RESTITUTIO ISRAELI FUTURA.

SEU

TRACTATUS,

Quô ex Textu *Hoseæ* 3. v. 4. 5.
(De *Filiis Israël*, deque mysteriis
Regis Hebræorum, *Principis, Sacrificii, Altaris*, *Ephod*, *Theraphim*, &c. explicato,)
Ostenditur, Populum *ISRAEL* in
Vet. Test. olim *DISPERSUM*, aliisque
Populis *immixtum*,
Brevî per veram ad Deum *Conversionem*, &
eximiam vitæ *Sanctitatem*, variis è Populis, etiam
Christiano nomine insignitis, (inprimis *Scythicæ* originis,) esse manifestandum, recolligendum, &
in promissam ei felicitatem gradatim
restituendum:
Cujus *Restitutionem*, sequetur deinde
JUDÆORUM etiam in Novo Testamento
dispersorum *Conversio* ad Christum, &
Restitutio.
Maturandæ sanctæ *Christianorum* in Fide
Unioni, & promovendæ *Sanctitati* inserviens.

STUDIO ET LABORE
FRANCISCI FORIS OTROKOCSI,
SS. Theol. Phil. & Jur. U. Doctoris minimi.

Psalm. 68. v. 23. juxta text. Hebr.
- - *Reducam de profundis maris.*

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Viennæ Austriæ, Typis Ignatii Dominici Voigt, Univ. Typ. 1712.

Deut. 30. v. 1. 2. & 3.

Cùm venerint ſuper te omnes ſermones iſti, benedictio ſive maledictio ; - - & CONVERSUS fueris ad Dominum Deum tuum, & obedieris ejus imperiis, - - in toto corde tuo, & in tota anima tua : REDUCET Dominus Deus tuus captivitatem tuam, & rursùm CONGREGABIT TE de cunctis populis, in quos te antè diſperſit.

Iſa. 27. v. 13.

In die illa, clangetur in TUBA magna ; ובאו האבדים בארץ אשור &c. *Et venient qui perierant in terra* (vel juxta ſenſum, *de terra ASSYRIORUM, & qui ejecti* (ſeu *depulſi*) *erant in terram Ægypti, & adorabunt Dominum in Monte ſancto in Jeruſalem.*

Jerem. 31. v. 10.

Qui diſperſit ISRAEL, CONGREGABIT eum, & cuſtodiet eum, ſicut Paſtor Gregem ſuum.

Idem Thren. 5. v. 21.

Converte nos Domine ad te, & convertemur ; INNOVA dies noſtros, ſicut à principio.

S. *Hieronymus* Comm. in Ezech. c. 37.

RESTITUTIO Populi ISRAEL, qui ductus eſt in captivitatem, & toto Orbe DISPERSUS, videtur quidem incredibilis his, qui Dei non nôrunt potentiam, ſed tamen FUTURA eſt.

EXCELLENTISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO, DOMINO
FRANCISCO
WILHELMO,
S. Rom. Imp. COMITI
de NESSELRODT,
EPISCOPÔ
QUINQUE-ECCLESIENSI,
PRÆPOSITO Albæ Regalis,
Inclytorum Comitatuum BARANYA,
TOLNA & VALKO Supremo ac Perpetuo
COMITI; nec non Sacr. CÆS. REGIÆq;
Majeſtatis Intimo CONSILIARIO:
Domino ac Patrono Colendiſſimo,
Vitam longam & felicitatem.

Excellentiſſime ac Reverendiſſime *Præſul*,
Domine Patrone mihi Colendiſſime!

M*Emoratû digniſſima ſunt Papæ* Sylveſtri Secundi *in ſuis Literis an. D. 1000. ad noſtrum S.* Stephanum *Regem Hung. tunc adhuc* Du-

cem *datis*, *(a) verba*, *(inter alia,) ac digna etiam ſpecialiùs* , *quæ frontiſpicio hujus* Tractatûs, *utpote uni ex præcipuis* Hungariæ *Epiſcopis dedicati*, *inſerantur*, *iſta ſequentia* : Gratias agimus Deo Patri, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui temporibus noſtris invenit ſibi DAVID filium Geyſæ, hominem (*b*) ſecundùm cor ſuum, & luce irradiatum cœleſti, ſuſcitavit illum (*nempe S. Stephanum*) paſcere (*c*) ISRAEL POPULUM SUUM, †electam Gentem UNGARORUM. *Quis hæc ſaniori & acriori præditus judiciô* , *tam ſplendida & magnifica verba*, *de* ignota *illa*, *ut tunc in iiſdem quoque Literis vocabatur*, *& paulò antè prorsùs barbara* Gente, *à Summo Orbis Chriſtiani* Pontifice *prolata*, *hôc jam noſtrô tempore*, *ac in tanto Evangelii progreſſu*; *non in altiorem ſumat conſiderationem ? quâ nimirùm ratione à tanto*

to

(*a*) Exſtant hæ Literæ ex MS. editæ in *Annal.* Eccl. Regni Hungariæ per *Inchoferum* Rom. ad an. D. 1000. pag. 256. & 257. & inde in *Antiq.* Hung. *Religione* p. 84. 85. ed. Tyrnav. (*b*) Sumpta phraſis ex Act. 13. v. 22. collat. 1. Reg. (al. 1. Sam.) 13 v. 14. (*c*) Ex 2. Reg. (al. 2. Sam.) 5. v. 2. & cap 7. v. 7. † Phraſis fundatur in 1. Pet. 2. v. 9. Deut. 7. 6. & 14. v. 2. & 26. v. 18.

to Pontifice, *de tam despecta & exosa aliis illo tempore* Gente, *hæc dicta fuerint? præsertim cùm fuerint tunc aliæ Nationes sub* Pontificis *illius regimine, in professione Doctrinæ* Christi *longè illâ excellentiores; utpote dudum jam in* Christianismo *radicatæ, altiùs fundatæ, & per hoc in* Christi *Regno nobiliores; quibus longè magis competebat ille titulus, (scilicet,* Israël Populus *Dei*, & Electa Gens, *) quàm* Hungaricæ *tunc* Genti, *si tantùm generalis ille sensus mysticus hîc spectandus esset, quô omnis* Christianus *populus, spiritualiter dicitur* Israël, *habitô respectû electorum in tali populo existentium; quem sensum hoc in Libro (d) pleniùs & explicatiùs suô locô potest videre Lector: sed omninò vera & accurata ex Spiritûs Sancti ipsum* Pontificem *dirigentis speciali intentione, ratio dictorum verborum hæc est; quia verba illa, (ut & alibi in hoc Libro (e) insinuo,) tam sublimi titulô Nationem* Hungaricam *commen-*

(d) Cap. 3. §. XXVIII. collatô ibid. §. XXIX. p. 86. 87. (e) Cap. 3. §. XXXV. p. 106.

mendantia, *ob occultam in medio* Hungarorum *magnam Populi* Iſraëlitici *partem*, *fuêre prophetica*, *de revelando ſuis temporibus* ſemine *illo* Iſraëlitico, *in eadem Natione per immixtionem latente*; *ut nempe eô illic revelatô*, *inter alios etiam populos partes ejuſdem* ſeminis *adhuc latentes*, *in dies magis ac magis ex* ſignis *ſuis in hoc* Tractatu (*f*) *poſitis noſcerentur & manifeſtarentur*. *Si enim olim* Pontificum *etiam* Judaicorum *verba ſingulari obſervatione digna*, *& ex ſe hominibus non ſtatim intellectû ſublimiori pervia*, *fuêre* prophetica; (*ut patet ex* Joan. *cap. 11. v. 49. 51. & 52.*) *quantò magis id dicere poſſumus & debemus de iſtiusmodi verbis notatû dignis Summi* Chriſtianorum Pontificis? *Alioquî etiam conſtat*, *magnos in Populo Dei viros*, *nonnunquam* ignaros *etiam* prophetare: *ut alibi* (*g*) *à me jam eſt demonſtratum*. *Taceo nunc*, *quòd non pauci in Hungaria Populum Hungaricum ſubinde vocant*

(*f*) Cap. 6. §. VI. & VII. pag. 481. & ſeq. (*g*) *Clav. Prophet.* Claſs. 3. c. 4. §. 2. pag. 448.

cant Magyar Iſraël, *hoc eſt*, Iſraëlem Hungaricum, *ſeu* Magaricum: *cujus denominationis ratio probabiliter pleniùs tunc patebit, quando etiam* Aſiatici Hungari, (*de quorum numero quoſdam in vicinia Perſarum & Tartarorum, an. D. 1329. fuiſſe* Chriſtianos, *tradit* Joannes XXII. *Papa in ſuis Literis (h) ad eos datis,*) *nationaliter convertentur.*

Hæc de titulo illo Nationi Hungaricæ *per* Pontificem *dato, ſubſidii & lucis causâ in præſentis* Tractatûs *ſcopum, eruditis ad ulteriorem conſiderationem hîc præmittenda duxi. Cæteroquin ad argumenta potiùs in hoc* Tractatu *(i) poſita, pro pleniori* Quæſtionis ſecundæ *à me ventilatæ diſcuſſione, unumquemque* veritatis *&* pietatis *amantem ablego, ut ea in timore Domini, mentéque docili (abſque ſpiritu contentionis) ſubinde volvat & revolvat, atque intra ſe diligenter expendat, An non id veriſſimum eſt, quod per illa adſtrui-*

)(4

(h) Refert ejus Liter. *Raynald.* ad an. D. 1329. n. 96. (i) Cap. 3. pag. 85. 86. 94. & ſeq. collat. pag. 68. & 69.

ſtruitur ? ,, *veterem nempe Populum* Iſraëliticum ,, *ex captivitate Orientali nunquam in Patriam re-* ,, *verſum, nec* Judaicæ *Reipubl. unquam unitum,* ,, *aliis Populis, etiam* Chriſtianâ *Fide ſucceſsû* ,, *temporum imbutis, modô illô, qui hôc Librô in-* ,, *dicatur, eſſe* immixtum, *& in eos quôdam mo-* ,, *do transmutatum. Quô cognitô & admiſsô,* (*ut certè à* veritatis *cultore admitti debet,*) *id maximè hoc tempore nobis* Chriſtianis *in tot Partes* (*proh dolor!*) *diviſis incumbit, ut depoſitô perſonarum odiô, nos invicem ſincerè diligamus, eaque omnia agamus, quæ hanc dilectionem mutuam, & ſtudium mutuæ* concordiæ *maturandæ teſtentur; & ea agentes, Deum ardenter oremus, ut quantocyùs Spiritum virulentæ* contentionis *compeſcat, laborioſos ſanctæ* pacis *Eccleſiæ amatores ſuſcitet, atque etiam animos atrociter nunc inter ſe diſſidentes & digladiantes, ad* concordiam *&* unionem *fraternam maturandam ac ineundam flectat; ut in dies* ſemen *illud* Iſraëliticum, *quâ parte in medio* Chriſtianorum *latet, per veram ad Deum* converſionem, *perque ſingularem vitæ* ſanctitatem *manifeſtetur. Nec poteſt eſſe dubium, quòd quamprimùm* ſanctitas *ejusmodi in* Chriſtianitate *paſſim fulgebit,* Iſraël *quoque ille, de quo hîc agimus, in medio noſtrî manifeſtabitur. Ex eo autem via expeditiſſima ſtruetur, ad infideles etiam* (Turcas *nempe,* Tartaros *& alios*) *convertendos: quandoquidem hac-*

tenùs horrenda inter Chriſtianos *diſſidia, vitaque & mores eorum doctrinæ* Chriſtianæ *contrarii, multùm obſtiterunt ſalutari illorum converſioni: qui dum convertentur, jam tunc longè pleniùs* Iſraëlitæ *etiam ignoti manifeſtabuntur. Quantum verò ex eo emolumenti, quantumque lætitiæ S. Eccleſiæ* Catholicæ *acceſſurum ſit; nemo ſani judicii de magnitudine ejus dubitare poteſt. Tunc enim juxta plenam verborum emphaſim implebitur illud propheticum Moſis:* (*k*) Habitabit ISRAEL confidenter ſolus; oculus JACOB in terra frumenti & vini, cœlique caligabunt rore: (*ſive ut ex Hebræo verti poteſt:* Fons Jacob in terra frumenti & muſti; etiam cœli ejus ſtillabunt rorem.) BEATUS es TU ISRAEL; quis (*l*) ſimilis tuî Populus, qui ſalvaris in Domino? *Et mox in fine versûs ſequitur juxta textum Hebræum:* Et mentientur (*m*) tibi inimici tui, (*ſcilicet, fucatâ & falsâ blanditie ſe tibi adjungent,*) & tu ſuper excelſa eorum calcabis. *Idem eſt ſenſus juxta text. Vulgat.* Et tu eorum colla calcabis. *Horum occaſione verborum dico confidenter; quòd nullus unquam admirandam & profundiſſimam ibidem in antecedentibus (ſcil. Deut. cap. 33.) prophetiam* Moſis *de tribubus* Iſraëlis, *rectè, plenè, & jux-*

(*k*) Deut. 33. v. 28. 29. † *Frumentum* & *Vinum* ſeu. *muſtum*, hîc potiſſimùm ſpiritualiter accipienda ſunt; ſed tamen nec literalis ſenſus excluditur. (*l*) Collat. Pſalm. 147. v. ult. (*m*) Juxta Pſalm. 65. (al. 66.) v. 3.

ta principalem illic Spiritûs S. ſcopum intelliget, niſi admittat id, quòd hôc Librô adſtruitur, veteres nempe Iſraëlitas *variis populis, ac etiam* Chriſtianis *eſſe* immixtos. *Atque hoc vel maximè futurum eſt (uti & eſſe debet,) unum efficax medium ac motivum ſedandæ tam diuturnæ, tamque atrocis inter* Chriſtianos *vigentis nunc diſſenſionis, ſi ipſi* Chriſtiani *seriò conſiderent*, ſemen *illud* Iſraëliticum, *quâ ſuî parte latet inter* Chriſtianos, *unà cum ipſis* Chriſtianis *in varias partes &* Sectas *nunc eſſe diviſum; ita ut non ſolùm inter* Catholicos, *ſed & inter diſruptos ab Eccleſiâ* Romano-Catholica, *utpote inter* Græcos & Græcanici *ritûs homines, atque inter* Proteſtantes *& alios Sectarios*, ſemen *illud (latens inter Chriſtianos) debeat quæri: ut* (n) *ex hoc Libro legenti patet. Unde rationi & æquitati conſentaneum eſt, ut* Chriſtiani *amore ac deſiderio* ſeminis *illius manifeſtandi, faciliùs & promptiùs de ſuo in invicem rigore ac horrore remittant, & placidiùs quàm hactenùs ſecum invicem agant, modiſque omnibus ſanctam inter ſe* Fidei Unitatem *maturare ſtudeant.*

Præcipuè autem noſtris Hungaris *id ſervidè & diligenter hoc tempore agere incumbit. Cum enim ab una parte non obſcura ipſi (utpote* Scytharum, Medis *quondam vicinorum, ac partim etiam* Getarum

(n) Cap. 3. pag. 53. 60. 83. 98. 127. 128. 133. & cap. 5. pag. 318. & cap. 8. pag. 526.

tarum *progenies*) *habeant indicia*, *quòd* Seminis *illius* Israëlitici *pars aliqua in medio ipsorum lateat*; (*ut hujus Libri* (*o*) *paragraphos aliquot attente perlegenti & accuratè expendenti patet*;) *ab alia verò parte horrenda planè iniquitas & ingens securitas carnalis* (*in comparatione non paucorum aliorum Christianorum*) *per plurimos in Patria* Hungarica *regnet, imò subinde grassetur*; *ex his ritè expensis, fortiùs nostri* Hungari *præ aliis* (*præsertim tot horrendis subinde justô Dei judiciô adversis pressi*) *moveri debent*, *omni vitæ & morum suorum emendatione, ardenti nempe in Deum pietate*, *& sincerâ in proximum dilectione id agere*, *ut* semen *illud* Israëliticum *in medio ipsorum quoque latens*, *quantocyùs se manifestet*, *& suî manifestatione ipsam etiam Patriam eorum nunc miseram & afflictissimam*, *feliciorem in dies reddat*: *sicque tanquam magni peccatores sint aliis etiam populis magnum & fulgidum exemplum veræ ad Deum conversionis*, *& suî emendationis*, *ad bonum* Israëli *promissum*, *passim in Orbe Christiano obtinendum*. *Obstare quidem nititur Diabolus* (*quantum ipsi cœlitùs permittitur*,) *per varias iniquitates*, *& præsertim per frequentes tumultus & seditiones*, *ac per consuetam* (*in intemperantia & luxu vitæ*) *securitatem carnalem*, *ne bonum* Israëli *promissum unquam Patria illa videat*; *sed quas*-

(*o*) Cap. 3. §. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. pag. 68. 69. 70. 76. & seq. usque ad 82.

quascunque nectat fraudes, non tamen boni *ejusdem adductionem ita retardare & impedire poterit, quin illud* Psalmistæ *brevi jam impleatur*: (*p*) Tu exurgens misereberis Sion, quia TEMPUS (*est*) miserendi ejus: quia VENIT TEMPUS *statutum*: Quoniam PLACUERUNT Servis tuis LAPIDES ejus, & Terræ (*seu* pulveris ejus) miserebuntur. *Quamprimum nempe disjecti nunc* Lapides (*scilicet fortiora quædam membra*) *Populi* Christiani *ita* placuerint Servis *Dei*, *ut miserti tot ruinarum ejusdem Populi, veteribus odiis & contentionibus virulentis procul à se relegatis, incipiant disjectos illos* Lapides *mysticos amare, & seriò omnique studiô sanctæ* paci *&* unitati *Christianorum maturandæ & promovendæ operam dare, tunc certà aderit* tempus *illud* (*q*) miserendi, *ac* tempus statutum, (*juxta Psalmistam,*) tempus*que* subitò faciendi *ea*, (*juxta* (*r*) *Isaiam,*) *quibus S. Ecclesia admirabili suî incrementô exaltetur, & omnes boni exhilarentur. Stat aliunde etiam illud*: Qui PACIS ineunt consilia, sequitur eos GAUDIUM. Prov. 12. v. 20.

Cùm autem tanti momenti boni *adductio* (*Deo sic disponente,*) *non sine mediis futura sit; ex eo haud sine ratione existimandum est, Deum, uti sapientissimum* Gu-

(*p*) Psalm. 101. (al. 102.) v. 14. 15. Conferantur de hoc loco ea, quæ habeo in *Præfatione Examinis Reform. Luth.* (*q*) Loc. cit. (*r*) Isa. 60. v. ult. colô ult.

Gubernatorem, multorum magnorumque ex aliis Nationibus Virorum in memoratam Patriam Hungaricam *concursum &* incorporationem *ideò præordinâsse, (sanctione etiam in hanc rem per S.* Stephanum *Regem Hung.* (*f*) *de* exteris *in Hungaria benignè suscipiendis constitutâ,) ut iidem suâ prudentiâ, dexteritate & pietate,* bonum *S. Ecclesiæ & Reipubl. in eadem Patria promoveant; ut nempe illic isto pactô inter* tres *Nationes*, Hungaricam, Germanicam (*ac speliàliùs* Austriacam) *&* Sclavonicam *cum suis diversis dialectis & propaginibus consideratam, (vel si qui alii ex Christianis his accedent,) arctâ* dilectione *firmatâ, imò quod majus, ex* tribus *potioribus & scientiâ clarioribus* Christianismi *Partibus, viris eruditioribus ac modestioribus sanctâ in Fide* Unione *ceu firmo* (*s*) vinculô *copulatis, ipsa Patria, & in ea S. Ecclesia* Catholica *eò fortiùs contra quoslibet suos adversarios* (Turcas, Tartaros *& alios*) *stare possit.*

Et quoniam Vestra *quoque* Excellentia *una est ex memoratis Personis* Hungariæ *junctis, utpote jam per suum celebrem* Episcopatum *eidem Patriæ incorporata; inde apprimè conveniens erat, ut iste de* Restitutione Israël *Tractatus* Vestræ *Reverendissimæ* Excellentiæ *dedicaretur, ut quem ipsa quoque* V. Excellentia, *inter alia mea* Opera *ex Summariis titulis suis visa,*

Deo

(*f*) S. Stephanus Decr. Lib. 1. cap. 6. (*s*) Juxta Ephes. 4. v. 3. collat. Eccl. 4. v. 12. de *funiculo triplici.*

Deo sic animum dirigente, benignè elegit, sub suo Illustri Nomine in lucem edendum. Quam ob rem, dum dictum Tractatum, *mole quidem haud magnum, sed non sine magno multoque labore de re magna elaboratum,* Vestræ Excellentiæ *ut benignissimo Domino Patrono typis jam editum dedico & offero, atque hôc ipsô memoriam* Vestræ Excellentiæ *in S. Ecclesia perennaturam posteritati etiam transcribo, humillimè oro eandem, ut hunc ipsum intuitû gloriæ Dei & S. Ecclesiæ* Catholicæ, *gratum & acceptum habere, inter alias suas occupationes haud illibenter perlegere, scopumque hujus* Tractatûs, *ac pias meas in Dei gloriam intentiones, ulteriùs etiam suo favore & assistentiâ benignè promovere, & uno verbô, quicquid in afflictæ nostræ Patriæ, & in ea S. Ecclesiæ* bonum *Vestra* Excellentia *facere poterit, id pro viribus & facultate à Deo data efficere dignetur; ut ex* bono *illo S. Ecclesiæ, quod illic ex melioratione vitæ cum tempore affuturum est, alii etiam ad imitandum sumant sibi exemplum. Demùm* Vestræ Excellentiæ, *vitam longam cum florenti sanitate & omni benedictione cœlesti, ex animo precor, in Nominis Dei gloriam, & S.* Ecclesiæ Catholicæ *emolumentum.*

Ejusdem Vestræ Reverendissimæ Excellentiæ

Humillimus in Domino Servus.
Franciscus Fóris Otrokocsi.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Clementissimus & summè misericors Dominus, Populum suum, primariò nempe *Israëliticum*, (in suis posteris ad ipsum convertendis consideratum,) quem prævidit & prædixit in horrendis ultimo tempore afflictionibus futurum, sic per *Mosen* suum Servum consolatur: (a) *Judicabit Dominus Populum suum, & in Servis suis miserebitur*; (seu juxta literam textûs Hebræi: *& super Servis suis pœnitentiâ ducetur*;) *dum videbit, quòd infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.* Posterior pars hujus versûs sic propriè ex Hebræo sonat: *Dum videbit quòd abiit* (b) *manus, & nihil est clausus atque derelictus.* (De *clauso* & *derelicto*, vide juxta textum Hebræum, 3. (al. 1.) Reg. 14. v. 10. & ibid. c. 21. v. 21. item, 4. Reg. 9. v. 8. ac præsertim 4. Reg. 14. v. 26.) Summa autem sensûs integri versûs hic est: Tunc Dominum *judicaturum* causam *Populi sui* (variis calamitatibus hinc inde vexati & afflicti) contra Diabolum, & Mundi iniquitatem, tuncque *suorum Servorum* ipsum verè timentium, & ad eum indesinenter gementium ac suspirantium *misertum*, quando nullum ei eisque aderit *brachium*, seu *subsidium* humanum, à quo amotionem tot malorum in Mundo grassantium, & promissæ sibi liberationis ac prosperitatis maturationem sperare possent, adeo quidem, ut ex suis, vel ex sibi faventibus, nec *conclusus* vel *obsessus*, aut etiam *contemptus* & *derelictus* quispiam humanæ menti appareret, à quo humanitùs levamen aliquod ex-

(a) *Deut. 32. v. 36. Confer Psal.* 135. (*al.* 134.) *v.* 14. *&* 2. *Mach. 7. v. 6.* (b) Manum *in Scriptura S. frequentissimè sumi pro viribus &* potentia, *notum est peritis in eadem Scriptura. Confer hic specialiter Dan. 12. v. 7. de* dispersione manûs Populi sancti.

exspectari quiret. (Similitudo nempe hîc sumitur à bellicis tribulationibus, in quibus dum fortiora loca per obsidionem *clauduntur*, viliora oppida & pagi (ad tempus) *relinquuntur* ab hoste, & quasi contemnuntur; quo in casu populus afflictus adhuc sperat, quòd fortè hinc vel inde ex suis habebit aliquam pro sortis suæ levamine consolationem; at verò ubi demùm & obsessa (seu *clausa*) loca capiuntur, & priùs *derelicta* penitùs in potestatem hostium veniunt, tunc jam nihil ei de suis pro solamine humanitùs superest.)

Negari autem non potest, hanc prophetiam *Mosis* ad Ecclesiam *Christianam*, & quidem primariò ad semen *Israëliticum* in medio *Christianorum* latens, (suo tamen tempore manifestandum) pertinere; ut perspicuè patet attentè legenti, & benè expendenti ea, quæ de hujusmodi *prophetiis* & *promissis* ad Populum *Israël* factis, in hoc Libro subinde (c) trado. Sincerus Scripturæ Divinæ, & veritatis ac pietatis amator, vel ex solo textu *Mosis* integro, citatô cap. Deut. 32. diligenter excusso, & cum nostro hoc *Tractatu* collato, non difficulter perspiciet, quo sensû hîc de *Populo suo*, ac *Servis suis* Dominus loquatur.

Dum ergo electi ac Deum verè timentes in Populo *Christiano*, omnia sibi & S. Ecclesiæ exaltationi per diversos hostes, & proximè per turbulentos & suæ gloriæ avidos spiritus contraria experti fuerint, dumque modis omnibus auxilia illa, quæ ad incrementum veræ pietatis & optatissimæ *felicitatis* S. Ecclesiæ facerent, prorsùs abesse viderint, dum nempe nec in potentioribus, nec in infirmioribus ulla spes humanitùs affulget futuræ meliorationis Statûs ipsorum, tunc sciant propè esse prosperiores illos S. *Ecclesiæ Catholicæ* dies, quibus impietas passim regnans unà

(c) *Vide Cap. 3. §. 29. p. 87. & præcipuè §. 63. ejusd. cap. p. 174. & cap. 4. §. 3. p. 216.*

unà cum variis erroribus debelletur, *veritas* autem, *pietas* & *justitia* uberrimum ac potentissimum accipiant progressum. Uti enim pleniorem electorum Dei felicitatem tunc fore propinquam *Christus* Dominus prædixit, dum ingentes & quàm maximæ ultimi temporis calamitates (cum concomitanti ejusdem Domini in suis Sanctis ceu *nubibus* adventu) incipient fieri, juxta illud ejusdem monitum consolatorium: (*d*) *His fieri incipientibus, respicite & levate capita vestra, quoniam APPROPINQUAT redemptio vestra*; sic etiam de hac S. Ecclesiæ *felicitate*, quâ occulti *Israëlitæ* contra regnantem Mundi iniquitatem verè ad Dominum *convertentur*, & per insignem sanctitatem manifestabuntur, idem dicere possumus; tunc nempe illa *felicitas* inopinatò aderit, cùm omnia in Mundo ei adversarentur, cumque de ea prorsùs conclamatum & desperatum esset. Sic nimirum implebitur hîc vulgatum illud in verbo Dei fundatum: *Ubi deficit auxilium humanum, ibi incipit Divinum.* Ita etiam per *Isaiam* ipse Dominus prædixit; quòd dum (*e*) *justitiâ longè* ab hominibus *stante*, & *veritate in plateis corruente*, nullus (quorum interesset) mortalium inveniretur, qui ex officio pro facultate sibi data, grassanti iniquitati, *viriliter*, strenuè, & cum sancto zelo resisteret, per hocque re ipsâ *Virum* se ostenderet, tunc ipse Dominus ut *Vindex* zelosissimus, in *salutem* Populi sui *justitiam ut loricam induturus* esset, tuncque *venturus* esset *Sioni* ut ejus *Redemptor*, & *eis, qui redeunt ab iniquitate in JACOB.*

Quicunque igitur gementes & suspirantes super tot Mundi iniquitatibus, & super tot Orbis Christiani corruptelis, avidè expectant optatissimam Populi *Israëlitici* plenam *conversionem*, manifestationem & *restitutionem*, ac per hoc rerum *Christianitatis* melioratio-

)()(

(*d*) *Luc. 21. v. 28. collat. ibid. v. 25. 26.* (*e*) *Isa. 59. v. 14 15. 16. 17. 18. 19 & 20.*

tionem; illi quantumcunque huic tanto *bono* prorsùs contraria adhuc experiantur, ne tamen spem abjiciant, sed quantò plùs contraria illa mala accumulantur, tantò magis spe erigantur, tantòque majori (*f*) *animi fortitudine* roborentur, de affuturo brevì mirabiliter ingenti illo *bono*, de quo loquimur; donaque & bona cœlitùs accepta ad illud maturandum, promovendum & accelerandum strenuè conferant, ut ipsi sint demùm ii, in quibus ipse Christus Dominus contra hostes & *corruptores* Populi sui, ac in summa, contra regnantes multifarias in Mundo iniquitates, (*g*) *justitiam ut loricam induat*, certâque de successu felici fiduciâ, ut *galeâ salutis capiti impositâ muniatur*, ac *zelô* sanctò *velut palliô operiatur*, ad faciendam justissimam de *hostibus suis vindictam*, & ad manifestandam undique suam in Ecclesia *gloriam*; ut sic experimentô fiat notum, venisse reverà *Sioni*, & omnibus qui de *Jacob* semine (tam literaliter quàm merè spiritualiter accepto,) verè ab *iniquitate convertuntur*, Vindicem ac *Redemptorem*.

Si quis hìc quærat *utilitatem* hujus *Tractatûs*; (uti non desunt tales curiosi;) sic ei respondeo; quòd tametsi unicuique docili, ac Deum, & ejus S. Ecclesiæ Catholicæ *bonum*) ex vera Populi *Israëlitici* conversione & *restitutione* affluentissimè affuturum) sincerè atque ardenter amanti, ex attenta hujus Libri lectione ac relectione satis superque pateat ingens hujus *utilitas*; attamen propter eos, qui non statim primâ fronte insignem *Tractatûs* hujusmodi de *Israëlitis* utilitatem animô capere possunt, en non gravabor hìc succinctè quasi punctatim *utilitatem* illam benigno ac docili Lectori ob oculos pandere. (1.) Primùm

(*f*) *Juxta Psal. 137 (al. 138.) v. 3.* (*g*) *Cit. Isa. cap. 59. v. 17. 18. 19. 20. Confer hic lucis causâ de* lorica, *Ephes 6. v. 14 & de* galea salutis, *ibid. v. 17. & 1. Thess. 5. v. 8. item de* vindicta. *Psal. 149. v. 6. 7.*

mùm etiam exordiô hujus *Tractatûs* perlectô, inde sciet Lector quilibet, se certò & sincerè amare (*b*) *bonum electorum* Dei, si Tractatû de futura *conversione*, & *restitutione* Populi *Israëlitici* delectetur: (qualibus ego quoque hunc Librum, & non aliis, consecratum esse volo:) alioquî, contemnentes & nihili facientes hujusmodi *Tractatum*, sciant se alienissimos esse ab amore *boni electorum*, seu à sincero desiderio excellentioris emolumenti S. *Ecclesiæ* Dei, ac per hoc non nisi *nominales Christianos* esse. Quàm optabile hoc *bonum* sit, de quo loquimur; patet ex verbis Apostoli ad Rom. 11. v. 15. *Quæ assumptio* eorum, (nempe Israëlitarum,) *nisi vita ex mortuis*? Adjunge ibidem v. 25. & 26. (2.) Per hunc & hujusmodi *Tractatum*, stimulus datur *Christianis*, inprimis Deum timentibus, & aliquâ eruditione imbutis, ut maturent optatissimam illam dicti Populi *Restitutionem*; quam dum maturant, simul etiam S. *Ecclesiæ Catholicæ* exaltationem, ac pomœriorum ejus dilatationem accelerant. Quamprimùm enim *Israëlitæ* (seu posteri veterum *Israëlitarum*) in medio *Christianorum* latentes, per veram & plenam ad Deum *conversionem* se se manifestabunt, illicò incipiet per tales sensibiliter sancta Dei *Ecclesia* exaltari, ac multò pleniùs jam tunc exaltabitur & dilatabitur, quando etiam *Turcæ*, *Tartari*, *Persæ*, aliique Populi à Fide Christi adhuc alieni ita convertentur, ut simul *Israëlitæ* quoque iis *immixti*, ac in medio eorum latentes, singulari quâdam præ aliis pietate & sanctitate se se noscibiles reddant. (3.) Per dictorum *Israëlitarum* plenam ad Dominum *conversionem* ac suî manifestationem, ingens planè gloria & *decor* spiritualis accedet S. Ecclesiæ *Catholicæ* contra fœditatem diversi generis malorum, & impietatem passim hoc tempore regnantem. Illi enim ex singulari quadam & excellenti *sanctitate* se

(*b*) *Phrasim hanc vide Psalm. 105. (al. 106.) v. 5.*

se noscibiles exhibebunt, quòd sunt ex *semine* antiquo *Israëlitico*. (Signa eorum dignoscendorum videat Lector (*i*) in hoc Libro.) Atqui *Sanctitas* ejusmodi est planè specialis *decor* Ecclesiæ Dei, juxta illud, Psal. 92. (al. 93.) v 5. *Domum tuam DECET SANCTITUDO Domine*! Tunc sanè implebitur plenissimè illud de Ecclesia Christi Sponsa: (*k*) *Quæ est illa, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa* (seu *pura*) *ut Sol, terribilis ut* † *castrorum acies ordinata*? Atque tunc aderit vera etiam vitæ & morum *Reformatio* in Scripturis prædicta, illos confundens, (in multorum tamen ex iis salutem,) qui (*l*) hodie prætensâ *Reformatione* suâ gloriantur. (4.) *Tractatus* iste ad hoc etiam prodest per modum motivi, ut *Christiani* diversarum partium erga se invicem placidiores fiant, propter semen *Israëliticum* in medio ipsorum latens; cùm ex hoc Libro discere possint, partem aliquam Populi *Israëlitici* populis etiam *Christianis* (partium diversarum) esse sparsim hìc atque illic immixtam: ac per hoc tantò promptiores se se exhibeant, ad maturandam sanctam inter se invicem *Unionem*. (Vide hìc cap. 3. §. XLIII. & XLV. pag. 127. & 133. & cap. 8. § VII. pag. 526.) Si qui nimis scrupulosè dubitant de illorum *Israëlitarum*, de quibus loquimur, *Restitutione*, aut fortè, quòd majus est, prorsùs contemnunt legere etiam vel audire eorum *Restitutionem* futuram; sciant illi, (quicquid ipsis videatur,) brevì Deum admirabili modô in stuporem omnium eosdem è medio *Christianitatis* hinc & inde per partes manifestaturum, (antequam ex aliis etiam populis illorum conversio, & plenior manifestatio fiat,) in gaudium quidem piorum, at

verò

(*i*) *Cap. 6. §. VI. & VII. pag. 481. & seq.* (*k*) *Cantic. 6. v. 9. (al. 7.) collat. ibid. cap. 4. v. 7.* † *Juxta text. Hebr.* ut vexillatæ acies, *sive* copiæ. (*l*) *Contra hos vide* Examen Reformationis Lutheri *&* Sociorum *ejus à me editum.*

verò in horrendam impiorum *Christiano* nomine abutentium, confusionem & humiliationem. Tunc implebitur illud: (*m*) *Ego Dominus*, *in tempore suo SUBITO faciam istud.* Lege illic etiam præcedentia: & cave interim, ne sis è numero *illusorum* illorum, qui de prophetiis sacris nondum impletis, hoc saltem solent vulgò contemptim dicere: (*n*) *In longum differentur dies*; (hoc est, Post multa adhuc tempora fiet talium prophetiarum implementum;) imò aliqui ultimo hoc tempore ultra etiam progrediuntur in contemptu promissionum, ac dicunt intra se, factis suis internum sensum testantes: (*o*) *Ubi est promissio adventûs ejus?* vel juxta Vers. Vulgatam: *Ubi est promissio*, *aut adventus ejus?* (5.) Addendum hìc, quòd per hujusmodi *Tractatum* de *Israëlitis* certò certiùs ita cum tempore confundentur visibiles & blasphemi *Judæi*, ut nihil prorsùs ipsis reliquum fiat, quo se se ampliùs lactent figmentis suis, de popularium suorum *Israëlitarum* in diversis *Orientis* & *Austri* partibus (ut ipsi nugantur) regno & potentiâ. Constat enim vel ex hoc *Tractatu* (*p*) evidentissimè, veteres illos *Israëlitas* in captivitatem *Assyriacam* (imò & *Babylonicam*) abductos, qui nec in patriam rediêre, nec *Judaicæ* Reipublicæ fuêre unquam sociati, nullibi in toto Orbe terrarum in sua forma *Hebraica* reperiri: at verò & hoc constat, quòd illi nequaquam prorsùs perierunt, (ut in hoc Libro (*q*) clarè docemus,) sed aliis populis sunt *immixti.* Unde evidenter sequitur, *Judæos* memoratos in suis nunc dictis figmentis horrendè confusum iri. Et cùm certum sit, *Israëlitas* illos aliis populis *immixtos*, nequaquam ad *Judæorum* placita, figmenta & fabulas transituros, sed è contra illos quoque, qui non-

 dum

(*m*) *Isa. 60. v. 22. col. ult.* (*n*) *Ezech. 12. v. 22. 27.* (*o*) *2. Pet. 3. v. 4. juxt. text. Græc. Conf.* Clav. Proph. *pag. 461.* (*p*) *Pag. 91. 94.* (*q*) *Pag. 85. 86. 88. - - 91. 95. & seq.*

dum sunt *Christianismô* imbuti, suo tempore unà cum Populis illis, (*Turcis* nempe, *Tartaris*, *Persis*, *Indis* & aliis,) quibus sunt immixti, ad veri nostri *Messiæ* & Salvatoris Fidem esse convertendos; inde necesse est, ut dicti *Judæi* undiquaque confusi, & de suis figmentis ac vanissima sua expectatione ad desperationem redacti, tandem & ipsi *Christianam* Fidem amplectantur. (Quomodo hoc intelligendum sit, vide hujus Libri Cap. 6. Paragr. III. & IV. pag. 475. 477. 479. collatô Cap. 3. §. LXXV. pag. 197.) Obiter hîc & hoc insinuo, quòd quicquid splendidi ac gloriosi tradunt illi fabulosè de venturo suo (r) *Messia*, (etiam duplici,) ejusque actibus magnificis futuris, id omne (recisis inde meris nugis & crassis mendaciis,) sensû mysteriis Spiritûs S. haud repugnante, & statui Ecclesiæ Novi Testam. conveniente, in ipso nostro *Messia* ac Salvatore, quatenùs in suo ultimi temporis *Vicario*, & aliis eximiis *Sanctis*, excellenti quôdam modô & gradu (ſ) habitaturus est, implebitur. (6.) Non est hîc omittendum, quòd etiam pro maturanda & diligenter curanda conversione *Turcarum* & *Tartarorum*, magnum dat stimulum attenta hujus Libri (s) lectio omnibus illis, qui habent aliquem zelum promovendæ gloriæ Dei, & dilatandæ S. Ecclesiæ. Docetur enim hîc, (t) populis etiam illis veteres *Israëlitas* esse *immixtos*. Alioquî etiam constat expertis, maturam eamque (u) *multam* jam esse *Messem* inter *Turcas*, dummodò adsint prudentes, solidè eruditi, pii, modesti & strenui (v) *operarii*, ad insinuandum, & persuadendum illis *Christi* doctrinam

(r) *Vide hic* Raymundi *Ord. Prædicat.* Pugionem Fidei, *in Parte 2. pag. 411. & 412. adit. Lipsiens. an. 1687.* (ſ) *Vide hic meam* Clavem Prophet. *pag. 181. & 182.* (s) *Vide hujus Libri cap. 8. §. VI. punct. 2. pag. 518. 519. & seq.* (t) *Pag. 65. 80.* (u) *Juxta Joan. 4. v. 35.* (v) *Vide Matth. 9. v. 37. & Luc. 10. v. 2.*

nam. A parte *Tartarorum* etiam constat ex (x) Scriptoribus, quàm magnam olim quidam Magni *Tartarorum Chami* propensionem habuerint ad Fidem Christianam. Hæc satis monstrant docili & à contentionibus alieno Lectori, haud contemnendam hujus *Tractatûs* utilitatem; quam tantò pleniùs noscet, quantò avidiùs & attentiùs in timore Domini hunc librum legerit ac relegerit, & citata quoque diligenter expenderit.

Demùm Lectori insinuo, me hunc *Tractatum* priùs rudiori Minervâ & breviùs, postquàm me Deus internâ instructione cœpit vocare in S. *Romanam* Ecclesiam, adhuc an. Dom. 1692. *Franequeræ* scripsisse, dum tertiâ vice versarer in *Hollandia* ac *Belgio* Fœderato, & habuisse etiam animum, (si ita Deo placuisset,) *Ultrajecti* an. D. 1693. typis in lucem edere; (quod testari posset, si viveret, D. *Hermannus Witsius*;) at verò tandem in Ecclesia *Catholica*, partim *Romæ* an. D. 1697. partim & præcipuè *Tyrnaviæ* post multas alias occupationes an. 1706. & 1707. resumsi, & in longè meliorem ac ordinatiorem formam redactum, ac plusquàm duplô auctum, nunc jam post ordinariam *Censuram* seu *Approbationem*, edo in lucem, in Dei gloriam, nostrique Domini Salvatoris (meam juvantis infirmitatem) Regni incrementum, animarumque in eodem Regno salutem æternam. Tu quoque benigne Lector, hôc *Tractatû* utere in eundem finem, piisque meis intentionibus & laboribus in Domino fave, & vale. Viennæ Austriæ, die 25. August. An. D. 1712.

Pacis & Salutis tuæ amantissimus,
Franciscus Föris Otrokocsi.

(x) *Vide M.* Paulum Venet. (*an 1272. & seq.*) *qui cum in aula Magni* Chami Cublai *17. annos vixisset, scribit eum petiisse à Pontifice Rom* centum viros sapientes, *ad instruendum ipsum & suos in* Lege Christiana; *Lib 1. de* Region Orient. *c. 3. & seq. Imò* Hajtonus *Armenus* (*qui floruit an. D. 1307*) *scribit eundem* Cublai (*ipsi* Cobila *dictum*) *factum fuisse* Christianum. *De Tart. c. 19.*

CONSENSUS SUPERIORUM
de hoc Libro *typis imprimendo.*

Adm. Rev. & Spectabilis P. Decane!

LIbrum hunc, cui titulus, RESTITUTIO ISRAEL, Studio & Labore *Francisci Fôris Otrokocsi* compositum legi; nihil in eo contrarium Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus inveni. Proinde eundem (si ita placeat) pro typis ex Officii sui potestate approbare poterit. Ex Acad. Soc. Jesu Collegio, 7. Dec. An. 1710.

PAULUS HANSIZ, m.p.

Imprimatur, si Reverendissimo & Amplissimo Magnifico Domino RECTORI videbitur.

P. Mag. PAULUS WUTSCHNIG,
Ord. S. P. Augustini, p.t. Facultatis
Theolog. DECANUS. m. p.
Viennæ, die 8. Decemb. 1710.

Imprimatur.

ERNESTUS Præpositus Claustro-Neoburgensis, Universitatis Viennensis p.t. REGTOR, m.p.
Viennæ 9. Decemb, 1710.

RE-

RESTITUTIO ISRAEL FUTURA.

CAPUT I.

In quo, Præcognita *hujus Tractatûs*, Exordium *nempe Operis, Textû* Hoseæ cap. 3. præmissô, *& ipsius Textûs* Partitio, *nec non* Quæstiones *ad Textûs illustrationem pertinentes traduntur.*

Hoseæ 3. v. 4. 5.

Dies multos sedebunt filii Israël sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim. Et post hæc revertentur (seu *convertentur*) *filii Israël, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum: & pavebunt* (seu pavidi accedent) *ad Dominum, & ad bonum ejus, in novissimo dierum.*

I. QUàm sit lætissimum nuncium sanctis & electis Dei, audire futuram *Israëlitarum* conversionem ad Mundi Redemptorem, & *restitutionem* in integrum, ut sint populus Dei verè sanctus; nôrunt omnes ipsô interno animi de hoc exultantis experimentô, quorumcunque pectoribus zelum Deus suæ

gloriæ & desiderium (*a*) *videndi* in terris *bonum electorum* indidit. Quàm etiam esset gratum piis rerum Divinarum scrutatoribus, scire, ubi sint *Israëlitæ*, signanter *decem Tribuum*, olim (tempore Vet. Testam.) in captivitatem (†) abducti, & quâ ratione tàm ignotorum, quandovè sperari possit conversio futura? nemini sanæ mentis dubium esse potest. At verò quàm sit obscura, & tractatû difficilis hæc materia, ipsa ejus tractatio, si quis solidè & debita cum industria eam velit pertractare; unumquemque docere poterit.

II. Quòd futura sit suo tempore *Israëlitarum* illorum vera & plena conversio ac *restitutio* in gratiam Dei, ipsum Dei verbum hac de re toties, & tanta cum evidentia editum, non tamen hactenus in plena sua emphasi impletum, dubitare nos non sinit. Tempus etiam tanti boni non procul jam abesse, vel solùm ex tot sæculorum jam post natum Christum decursu, Mundique hujus ad suum finem appropinquatione, colligere possumus. Verùm maxima in hoc argumento difficultas, præcipuumquè rei momentum in hoc consistit; nimirùm invenire rectè, *Ubinam sint Israëlitæ illi, signan-*

(*a*) *Ps.* 106. *juxta Hebr.* (aliàs 105.) *v.* 5. (†) *Vid.* 4. *Reg.* 17. *v.* 6. 7. 8. & *sequ.* collat. ibid. *cap.* 15. *v.* 29.

signanter decem tribuum ab Assyriis abductarum, quibus olim Deus per Prophetas, ac proximè per Oseam in nostro textu, conversionem ad Dominum, & optatissimam restitutionem promisit? Hoc enim est, quod universum hoc argumentum maximè illustrabit, nostrosque oculos aperiet, ut sciamus, unde & ubi futurum sit initium gloriosæ hujus *restitutionis*, (quæ non simul & semel tota futura est, sed suos gradus, & intervalla habebit, ut suo loco (*b*) audiemus,) eòque ardentiùs demus operam, ut desideratissimum hoc Dei opus, quantùm in nobis stat, maturemus & acceleremus.

III. Cœperunt jam aliqui tentare hanc præcipuá rimari argumenti hujus partem, in eaque vidêre aliquid; at non sine notabili defectu: non solùm in hoc, quòd inter quos *Israëlem* veterem quæsiêre populos, (inter *Tartaros* nimirùm, & *Turcas*; imò aliqui eorum (*c*) tantùm inter *Tartaros*,) eosdem in totum ipsissimos sub alia forma putârunt esse veterum *Israëlitarum* posteros; (quod longè aliter esse infrà (*d*) patebit;) sed & in eo maximè, quòd ubi primariò velut in primitiis quibusdam sunt quærendi dicti *Israëlitæ*, (hoc est, pars illorum, seu

(*b*) *Infra Cap. 6 §. IV. & V.* (*c*) *Vide infra Cap. 2. §. XVII.* (*d*) *Ibid. §. XVIII. & XIX.*

pars posteritatis eorum,) ibi ne vel minimâ conjecturâ quæsiêrunt.

IV. Nos itaque Divino freti subsidiô, experiemur, num aliquod lumen pro præcipua hujus textûs difficultate illustranda afferre hîc possimus, dabimusque operam, ut genuinum textûs propositi scopum enucleemus, ita demonstrando, ubi sint veteres *Israëlitæ*, ut inde simul pateat, tenuia quædam & obscura hîc prædictæ *Restitutionis* (respectû quorundam) initia jam adesse, ac plenius etiam ejusdem implementum præ foribus esse.

V. Textum sacrum quod attinet: Post ductam primùm cap. 1. *uxorem (e) fornicariam*, seu *meretricem*, jubetur iterum Propheta, sub initium Capitis tertii, *(f) diligere mulierem adulteram* ab *amico* suo *dilectam*. Qui Dei mandato (cujus omnia mandata, quidquid jubeat ac præcipiat, contra omne judicium humanum sunt sanctissima,) obsecutus, protinùs post acceptum mandatum, conducit eam, seu familiarem sibi reddit *(g) quindecim argenteis*, (scil. siclis) *& corô* integro, *atque dimidiô coro hordei*. (Hoc est 45. modiis.) Ubi sic pretiô (sive potiùs munere) exhibitô, eam sibi devinxit; his verbis, typicè futurum *Israëlitarum* statum deli-

(e) *Ose.* 1. *v.* 2. (f) *v.* 1. *c. c.* (g) *Hos.* 3. *v.* 2.

delineantibus, fuit eam allocutus: (*b*) *Dies multos* † *expectabis me: non fornicaberis, & non eris viro: sed & ego expectabo te*: vel de verbo ad verbum ex Hebræo: *Atque etiam ego erga te*; ſcilicet, futurus ſum is cum tempore, (quaſi diceret,) quem promiſi, amicus & maritus, dum te mihi munere devinxi. S. *Hieronymus* integrum verſum ſic explicat: *Hoc eſt: Nec aliis amatoribus turpiter te proſtitues, nec mihi viro, à quo conducta es, legitimè conjungeris. Ac ne putes tibi factam injuriam, quia dixi, Expectabis me: par pari referam: & ego expectabo te.* Subintellige juxta poſtrema hæc verba: „ *Expectabo* ſcil. tuam „ *converſionem*, vitæque meliorationem; at- „ que ſic demum experieris me ipſo factô, „ optimum tuum eſſe maritum, cùm te „ in amplexus meos aſſumſero. Quod inprimis mortuâ priùs ductâ uxore Prophetæ, abſque nota *Polygamiæ* ſimultaneæ, (quæ tamen in Vet. Teſtam. permiſſa eſt,) fieri potuit. Quanquam enim Scriptura S. nullam apertè faciat mentionem de eo, quòd Propheta in amplexus ſuos demum hanc mulierem aſſumſiſſet; at verò ex illa Prophetæ promiſſione, ſeu aſſecuratione facta ad eam: *Atque etiam ego erga te*, ſcil. futurus ſum devinctus, & ut *Hieronymus* in-

 ter-

(*b*) *Hoſ.* 3. *v.* 3. (†) *vel* Sedebis mihi. *de verbo, ex Hebr.*

terpretatur, *Expectabo te*; concludere possumus, Deum dedisse tantum temporis in hac vita *Prophetæ* & *mulieri* illi, ut *mulier* resipiscere, *Propheta* verò tandem eò tranquilliori animo eidem jungi potuerit. Nam si priori (necdum melioratæ) ad Dei mandatum, (quod semper purissimum & sanctissimum esse, jam monuimus,) se bona cum conscientia jungere potuit, in præsentium ac futurorum typum; cur etiam posteriori demùm, cui duriorem priùs legem de *scortatione* deserenda injunxerat, post elapsum certum expectationis tempus, servatâ in Deum suum fidelitate, jungere se non potuerit?

VI. Quòd autem priori actû se conjunxerit Propheta, post Scripturam S. hac de re disertè testantem, ingenuè recognoscit S. *Hieronymus*, (nîl obstante, quòd alibi (*i*) videatur innuere, quasi tantùm in visione mentis, hæc utraque Prophetæ contigissent,) ac Prophetam quoq; ipsum rectè excusat sic scribens: (*k*) *Utrumque potest intelligi, quòd & fornicariæ priores de fornicatione susceptos recipiat filios, & ipse ex meretrice generet filios; qui idcirco fornicationis appellandi sunt filii, quòd sint de meretrice generati. Nec culpandus Pro-*

(*i*) *Proœm. Comment. in Ose. Proph. ad Pammachium.*
(*k*) *Comment. lib. 1. in Ose. cap. 1.*

Propheta, interim ut ſequamur hiſtoriam, ſi meretricem convertit ad pudicitiam, ſed potiùs laudandus, quòd ex mala bonam fecerit. Non enim qui bonus permanet, ipſe polluitur, ſi ſocietur malo; ſed qui malus eſt, in bonum vertitur, ſi boni exempla ſectetur. Ex quo intelligimus, non Prophetam perdidiſſe pudicitiam fornicariæ copulatum, ſed fornicariam aſſumſiſſe pudicitiam, quam antea non habebat; præſertim cùm beatus Oſee hoc non ob cauſam luxuriæ, non libidinis, non propriâ fecerit voluntate, ſed DEI paruerit imperio: ut quod in iſto carnaliter legimus, in DEO factum ſpiritualiter probaremus; qui ſuſcepit Synagogam, hoc eſt, populum Judæorum, fornicationi & libidini ſervientem. Hæc ille. Unde pariter inferre poſſumus; quòd ſi *fornicariæ* ſe junxit Dei mandantis *imperiô*; cur non ad ejuſdem Dei mandatum, etiam *adulteræ* cap. 3. deſcriptæ, (poſt exſpectatam inprimis non fruſtra ejus reſipiſcentiam) jungere ſe potuerit, imò debuerit? Et revera integer hujus typi ſcopus id planè requirebat. Nam ſicut *ſeſſio*, ſive *expectatio* hujus *mulieris* ſine copula viri, typus erat *ſeſſionis Iſraëlitarum*, (de qua mox dicemus) *ſine Rege*, *ſine Principe*, &c. ac deſertionis eorundem à Deo, ad longum tempus; ſic ejuſdem in amplexus reſumptio, reſpondebat futuræ *Iſraëlitarum* à Deo receptioni & *reſtitutioni*:

ut hoc jam in sequentibus (quæ nostrum continent textum,) audiemus.

VII. Pergit igitur dehinc Propheta *mulieris* hujus typum, filiis *Israël* olim cum Idolis ac Dæmonum turba fornicantibus, applicare propheticè in nostro *Textu* hunc in modum: *Quia dies multos sedebunt filii Israël sine Rege, & sine Principe*, &c. *Et post hæc revertentur* (sive *convertentur*) *filii Israël*, &c. Quasi diceret ad mulierem in illa desertione positam: Hoc tibi esto motivum ad „ hanc *expectationem* æquô & patienti ani- „ mô ferendam; quia Deus sapientissimus „ & clementissimus te infirmam mulierem, „ toties antea turpiter lapsam, át nunc „ ad strictiorem hanc & solitariam vitam, „ per me redactam, suo verò tempore as- „ sumendam, typum ac figuram suæ Ec- „ clesiæ *Israëliticæ* toties ab ipso fornican- „ tis, & ob id ad tempus deserendæ, dein- „ de verò assumendæ, nunc exponit. Ut „ nempe tu *sedebis* diu sine viro, nec *scor-* „ *tari* poteris; sic etiam *filii Israël* diu *sede-* „ *bunt sine Rege, sine Principe*, &c. Et ut tu „ tandem à me in amplexus assumeris; „ (ubi nempe te correxeris;) sic & illi de- „ mum assumentur à Deo, per resipiscen- „ tiam.

VIII.

VIII. Ultrò autem patet, duo esse membra nostri Textûs.

(1.) Primum est, *Sessio filiorum Israël multis diebus sine Rege, sine Principe, & sine sacrificio, sine altari, sine Ephod, & sine Teraphim.* Quibus verbis, eorum miseranda desertio à Deo, suum tamen terminum habens, prædicitur. Cùm autem *sessuros*, non verò simpliciter *futuros* sine *Rege* &c. dicit eos Propheta; per hoc efficaciùs nobis insinuatur, quàm abjectus ac deplorandus futurus esset eorum status, qui ita in captivitate Mundi ac Diaboli, tanquam in *tenebris* & *umbra mortis sessuri* essent, ad instar eorum, qui ad placitum suorum Superiorum atque exactorum illic *sedere* & manere debent, ubi jubentur. Sic alibi quoque in Scripturis, dum *sedere* de illis dicitur, qui irâ Dei premuntur, hujusmodi servilis & captivus eorum status, hôc ipso loquendi genere exprimitur. Psal. 136. (al. 137.) v. 1. *Super flumina Babylonis, illic SEDIMUS, & flevimus, cùm recordaremur Sion.* Lament. 1. v. 1. *Quomodo SEDET sola Civitas plena populo.* Isa. 9. v. 2. Illud, *Habitantibus in regione umbræ mortis*, rectè etiam potest verti ex Hebræo, *Sedentibus in regione umbræ mortis.* Et Mich. 7. v. 8. *Cùm sedero in tenebris*, &c. pariter nostrum Textum illustrat.

IX (2.) Alterum eſt, eorum ultimis temporibus ſecutura *converſio* ad Deum & Chriſtum ejus, in his verbis : *Et poſt hæc revertentur filii Iſraël*, (ſcil. *revertentur* tum à peccatis & erroribus, tum à pœnali jugo peccatorum ſuorum,) *& quærent Dominum Deum ſuum, & David Regem ſuum; & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus, in noviſſimo dierum.*

X. Illuſtrandi ſacri Textûs causâ, ſequentes hîc *Quæſtiones* bono cum Deo enodandas proponimus.

(1.) *Quæſt.* Quô ſensû hîc *Filii Iſraël* ſu„ muntur; num pro *duabus* tantùm celebrio„ ribus, vel pro *decem*, vel potiùs pro omni„ bus *duodecim Tribubus* Hebræorum à Deo „ (ad tempus) rejectis?

(2.) *Qu.* Ubinam quærendi ſunt illi „ *Iſraëlitæ*, (ſignanter *decem tribuum*), qui olim „ aliquot ſæculis ante natum Dn. Salvato„ rem abducti in captivitatem, nunquam „ inde rediiſſe, ac in populum Dei reſti„ tuti eſſe leguntur?

(3.) *Qu.* Quodnam eſt hoc tempus „ *dierum multorum*, quibus *filii Iſraël ſedent ſi„ ne Rege, ſine Principe, ſine ſacrificio*, &c.?

(4.) *Qu.* Quid hîc per *ſeſſionem ſine „ Rege, ſine Principe, ſine ſacrificio, ſine altari, „ ſine Ephod, & ſine Theraphim*, intelligitur?

Ubi

„ Ubi figillatim de hoc *Rege, Principe, Sa-*
„ *crificio*, &c. dicturi fumus.

(5.) *Qu.* Qualis futura hæc eft *rever-*
„ *fio*, (five *converfio*) *filiorum Ifraël*, & qui-
„ bus gradibus peragenda?

(6.) *Qu.* Quid hîc intelligitur per *quæ-*
„ *fitionem Domini Dei, & David Regis*; quid per
„ hoc, quòd *pavebunt ad Dominum*; quid item
„ per *Bonum Domini*; (ad quod etiam *pavidi*
„ accedent;) & quid per *noviffimum die-*
„ *rum?*

CAPUT II.

In quo, *QUÆSTIO PRIMA*, (*Scil. Quô fenfû hîc* Filii Ifraël *fumuntur*, *&c. expenditur*, *& fusè explicatur*: *quâ occafione docetur*, *hîc per* filios Ifraël, *non folùm Judæos* duarum *Tribuum*, *nec folas* decem Tribus *Ifraëlitarum, fed primariò quidem* decem Tribus, (*& quos ifta myfticè fignificant*,) *fecundariò autem & remotè* Judam *quoque &* Benjamin, *tum in litera, tum in myfterio intelligi & fignificari.*

I. AD *primam Quæftionem* refpondeo. (1.) Sicut nunquam defunt Scripturarum facrarum extenuatores; fic neque olim defuêre, qui hîc per *Ifraëlitas* intellexerunt tantùm *Judæos* illos (duarum tribuum, *Juda* & *Benjamin* cum *Levi*,) qui *Babylonem* abducti erant, eorumque *dies* hîc memoratos determinârunt ufque ad tempus folutæ captivitatis, quô multi ex abductis *Judæis*

deis ſub *Zorobabele* redierunt in Judæam. De his ſonant iſta S. Hieronymi: (*a*) *Præſens Capitulum* (nempe tertium Oſeæ *alii Judæorum ſuper Babylonica captivitate interpretantur, quando ſeptuaginta annis deſolatum eſt Templum, & altare, & victimæ, & ſacerdotium non fuerunt, & poſtea ſub Zorobabele in ſedes priſtinas ſunt reverſi.* In horum refutatione, non eſt dignum, ut vel tempus inſumamus, cùm ipſa emphaſis verborum, v. g. *Dies multos*, (vel *diebus multis*) *ſedebunt*; item *Quærent David Regem*, &, *in noviſſimo dierum*, &c. ſatis ſuperque palpabilem hujus ſententiæ à vero elongationem monſtret, atque etiam ipſi Judæorum docti, aliter de hoc loco hodie ſentiant. (2.) Quidam hanc Prophetiam aliô modô coarctant, quàm priores illi in puncto *primo* deſignati. Videlicet, tempus quidem ſatis longum & remotum hîc ſub phraſi *dierum multorum* ſignificari concedunt & profitentur; ſed nomine *filiorum Iſraël*, non niſi *Judæos* illos intelligunt, qui in Novo Teſtamento Chriſtum Dominum abnegârunt & interfecerunt, ac propter hoc in Orbem terrarum ſunt diſperſi. Hos in cumulo ſic nobis recenſet *Cornelius* à Lapide: (*b*) *S. Hieronymus, Cyril-*

(*a*) *Comment. in Oſe. c. 3. ſub fin.* (*b*) *Comment. in Hoſ. 3. v. 4. 5.*

Cyrillus, Hajmo, Hugo, Lyranus, P. à Palatio, Vatablus, Ribera, Sanchez, & passim alii, ac S. Augustinus 18. *Civ.* 28. *censent hæc pati Judæos nunc, puta post Christum, & passuros eadem usque ad finem.* Ipse verò S. *Hieronymus* modò memoratus, suam de hoc loco sententiam de dictis *Judæis*, immediatè post recensitam illam priorem jam rejectam, sic expressit: (c) *Alii, ut NOS, in futurum deferunt tempus, & quæ sit causa tam grandis offensæ, ut tanto tempore relicti sint, maximè cùm idola non colant, præter INTERFECTIONEM SALVATORIS, aliam non valent invenire.* Et in superioribus: *Notandum*, (inquit,) *quòd hæc adultera, præsens tempus significet Judæorum; qui absque Deo, & notitia Scripturarum, & gratia Spiritûs S. diligantur à Domino, qui omnium expectat salutem, & aperit januam pœnitentibus, & illi nihilominùs res inutiles amant,* (d) *Traditiones hominum, & δευτερωτέων somnia diligentes; & nequaquam uvas habeant, & vinum, & plena musto torcularia, sed vetera vinacea, quæ projecta sunt.* De iisdem habet etiam infra sequentia: *Quodque dicit*: Non fornicaberis, & non eris viro; *hoc ostendit, quòd interim modò idolis non serviat, nec tamen habeat Deum, sed & ama-*

(c) *S. Hieron. cit. Comm. in Hos.* 3. (d) *Sic ille Judæorum* Traditiones *vocat* δευτερώσεις. *Vid. ejus epist.* 151. *ad Algas, qu.* 10.

& amatoribus & viro ſpoliata ſit. Et quia virum non habet, non veſcitur cibo hominum, frumento, & legumine, ſed hordeo irrationabilium jumentorum, ruminans vilitatem literæ, (e) quæ interficit, ut non habens Spiritum vivificantem. Hactenùs S. *Hieronymus.* Eandem ſententiam tradit paucis etiam S. *Auguſtinus*, (*f*) dum verbis illis noſtri textûs, *Diebus multis ſede-„bunt filii Iſraël ſine Rege*, &c. iſta ſubjicit: *Quis non videat, nunc ſic eſſe Judæos?*

II. Hæc ſanè duorum magni nominis SS. Doctorum de præſenti loco ſententia, non temerè rejici debet, quaſi penitùs hîc locum non haberet. Non tamen hæc eorum eſt mens, ut ſententiam illam hinc excludant, quâ hæc tam latiſſimi ſensûs Prophetia, ultra dictos etiam *Judæos* extenditur; secùs, quàm doctus quidam Vir inter *Proteſtantes* facit, (*g*) qui diſertè ſic reſtringit hanc prophetiam ad memoratos *Judæos* Chriſti abnegatores, ut dicat, eam *NON POSSE APPLICARI TRIBUBUS in captivitatem Aſſyriacam abductis.* Nam etſi de *Judæis* quoque illis, & eorum *Reipublicæ deletione* ſonat hæc prophetia; id tamen non obſtat, quò minùs etiam ad *decem Tribus* referri poſſit ac debeat; ut hoc pleniùs in ſequentibus

(*e*) 2. *Cor.* 3. *v.* 6. (*f*) *Lib.* 18. *de Civ. Dei*, *cap.* 28.
(*g*) Coccejus *Comm. in Hoſ. c.* 3. *v.* 4.

tibus patebit. Unde etiam S. *Hieronymus*, quanquam præcipuè de memoratis Novi Test. *Judæis* hanc prophetiam explicat, eò quòd ejus menti in illis clariùs & propiùs occurreret, hujus, quà tristia denunciat, implementum, quàm in aliis *Israëlitis*; attamen per hoc non solùm non negat latiorem hujus loci sensum, sed & ea tradit nobis in hac eadem serie suæ expositionis, quibus docet nos, se non excludere à scopo hujus prophetiæ illos etiam *Israëlitas*, qui in Veteri Test. sunt à Deo (ad tempus) rejecti, nec ab eo in hunc usque diem juxta vaticinia Prophetarum restituti. Sic enim disertè ad *primum* hujus *tertii* Capitis versum scribit: *Filii Israël in præsenti loco DUODECIM VOCANTUR TRIBUS; supra verò* (cap. 1.) *decem, quæ erant in Samaria, & possidebant Metropolim Jezrahel.* (Non tamen etiam ibi, (scil. cap. 1. Hos.) excluditur pars aliqua *Judæ*, quin potiùs disertè subincluditur; ut patet v. 7. & 11. ejusdem capitis.) Si *duodecim* hîc *tribus* vocantur *filii Israël* ex mente S. *Hieronymi*, impossibile est, consideratâ circumstantiâ temporis, quô hæc dicta sunt à Propheta, ut famosissimas *decem* illas *tribus* hinc excludamus, quæ olim diversam sibi à Domo *Davidis*, ac schismaticam erexerunt Rempublicam,

atque demum in *Assyriacam* sunt abductæ captivitatem. Ineptum enim est vel cogitare, *duodecim tribus* hìc ex mente Spiritûs S. eos tantùm *Judæos* dici, qui post solutam captivitatem *Babylonicam*, usque ad ultimum Hierosolymorum per *Titum* excidium, ab Urbe *Hierusalem* dependebant; qui nempe ex eo possent dici *duodecim tribus*, quia *Juda*, *Benjamin* & *Levi* habebant secum alios etiam *Israëlitas*, pauciores quosdam ex cæteris tribubus. Tametsi enim unà cum tribubus *Juda*, *Benjamin* & *Levi*, ex aliis etiam tribubus *Israëlis* quidam tempore captivitatis *Babylonicæ* redierunt in Judæam; quod ex 1. Esdr. cap. 1. v. 3. & 5. collat. ibid. c. 6. v. 17. & cap. 7. v. 13. non sine fundamento colligitur; & aliunde etiam constat, (scil. ex 2. Paralip. 30. v. 11. 18.) aliquos ex tribubus *Aser*, *Manasse* & *Zabulon*, ac etiam ex *Ephraim* & *Issachar* tempore *Ezechiæ*, paucissimis annis (circiter 4.) ante captivitatem *Assyriacam*, & post eam, tempore *Josiæ*, reliquias *decem tribuum Israël* ab *Assyriis* in sua patria relictas, (juxta 2. Paral. 34. v. 9. & 33.) aliquos verò adhuc temporibus Regis *Asæ*, ex *Ephraim*, *Manasse* & *Simeon* (juxta 2. Paral. 15. v. 9.) sese conjunxisse *Judæ* & *Benjamin*; imò adhuc in ipso ortu *scissionis*, aliqui (tametsi

pau-

pauci) ex *cunctis Tribubus Israël* reperti sunt, qui postposito *Jeroboamo* & ejus schismate, *Hierosolymam* se contulerunt, ipsique *Judæ*, ac Domui *David* se conjunxerunt; ut patet ex 2. Paral. 11. v. 16: & quanquam in Novi etiam Testamenti initio aliqui ex dictis tribubus decem per conversionem ad Fidem *Christi* se se adjunxerunt reliquis *Judæis* per Apostolos conversis; ut inferre possumus ex Jac. 1. v. 1. collat. Act. 2. v. 9. (ubi de *Parthis*, *Medis*, & *Ælamitis*, h. e. *Hebræis*, illorum idiomate locutis est mentio,) collat. ibid. v. 41. & ibid. c. 26. v. 7. at verò tum illi olim vel conjuncti *duabus Tribubus*, vel cum istis regressi in patriam, in comparatione cum non regressis unquam, tum isti ad Christum conversi in respectu ad non conversos ex iisdem, tam pauci sunt, ut vix notabilem aliquam particulam faciant dictarum *Tribuum decem*; ita ut maneat verum, (& est in confesso apud omnes eruditiores,) innumeram esse multitudinem illam *Israëlitarum decem tribuum*, quæ in hunc usque diem nunquam cum *Juda* & *Benjamin* coaluit. Quàm pauci redierint olim cum aliis ex captivitate, patet ex accuratâ lectione librorum *Esdræ* & *Nehemiæ*; in quibus nuspiam occurrit ullius alterius *Tribûs* distincta & expressa mentio,

 nisi

nisi solius *Juda* & *Benjamin* cum *Sacerdotibus* & *Levitis*. Vid. 1. Esdr. 1. v. 5. & cap. 4. v. 1. & cap. 10. v. 9. collat. ibid. c. 2. v. 1. & 3. v. 9. 12. & 4. v. 6. & 9. v. 9. & 10. v. 7. Item 2. Esd. (seu Nehem.) cap. 11. v. 36. collat. ibid. cap. 4. v. 10. & 5. v. 14. & 13. v. 12. 15. 17.

III. Nec facit quicquam contra assertionem nostram, quòd in Jerusalem *porta Ephraim* memoratur in libro *Nehemiæ*, (seu 2. Esd.) c. 8. v. 16. & 12. v. 38. Illa enim denominatio mansit ex antiqua impositione adhuc ante captivitatem facta. Vide 4. Reg. 14. v. 13. & 2. Paral. 25. v. 23. Alioquî constat ex 1. Esd. 4. v. 9. 10. Civitates tribûs *Ephraim*, h.e. ipsam *Samariam*, & alias Civitates ad eam pertinentes, tempore reditûs, & post reditum Judæorum, à *Samaritanis* (alio nomine *Cutheis* dictis) fuisse possessas; quos olim ex diversis gentibus Rex *Assyriæ* ut colonos (loco *decem tribuum*) eò transferri fecerat. Tantum abest, ut ex *decem tribubus* multi rediissent, ut etiam ex *Juda* ac *Benjamin* plurimi manserint in dispersione per *Babylonios* facta: ut patet ex libro *Esther*; (*b*) in quo *Judæi* toties ac toties memorati, potissimùm pro populis *Juda*

(*b*) Esth. 3. *v.* 7. 8. 10. 13. *&* 4. *v.* 3. 7. 16. *& cap.* 6. *v.* 13. *&* 8. *v.* 1. *&c.*

Juda & *Benjamin* accipiuntur: inter quos ipse quoque *Judæorum* Principalis, scil. *Mardochæus*, Reginæ *Esther* Nutricius, ex Tribu *Benjamin* fuisse refertur; cap. 2. v. 5. collat. cap. 11. (Vulg. Verf.) v. 2. De *decem* autem *tribubus* expresſè scribit *Sulpitius Severus*, (qui floruit circa an. D. 400.) quòd illæ ipsius adhuc tempore (*i*) *barbararum Gentium imperiis* fuerint *contentæ*: ut infra (*k*) pleniùs ejus verba in medium afferentur. Conferat hîc Lector Tob. 1. v. 1. 2. 15. 16. 17. Quàm pauci etiam fuerint ex *decem* illis *Tribubus* per Apostolos ad Christum conversi, patet non solùm ex hoc, quòd paucissimi se olim ex iis Reipublicæ *Judaicæ* adjunxerint; sed & ex eo, quòd notabilis alicujus multitudinis magnæ ex iisdem tribubus sub initia Novi Testamenti conversio, nec ex sacris, nec ex aliis Scripturis fide dignis ostendi potest. Nec est ullus eruditorum, qui non agnosceret paucitatem illorum conversorum. Ex his jam firmiter infero, *duodecim Tribus* in verbis S. *Hieronymi*, nostrum Textum, quantum ad *filios Israël* explicantibus, ex scopo ejusdem sacri textûs, nequaquam posse ac debere aliter accipi, (scil.

 pro

(*i*) *Sacra Hist. lib.* 2. *pag.* (*mihi*) 76. 77. (*k*) *Ad Quæst.* 2 *c.* 3. *S.* 27.

pro pauciſſimis quibuſdam,) ſed in ſua latitudine ac nativa ſignificatione eô modô ac ſensû, quô etiam maximam illam partem *Iſraëlitarum* comprehendat, quæ nunquam hactenùs ex ſua *diſperſione* ad jucundam bonorum per Chriſtum partorum fruitionem eſt recollecta. Sic itaque priùs allata de *Judæis* Chriſti interfectoribus S. *Hieronymi* verba haud obſtant, quò minùs præſentem *Oſeæ* de *filiis Iſraël* prophetiam latiori ſensû, juxta quod ipſa verba & ſcopus verborum requirunt, accipiamus: quod in ſequentibus paulò poſt adhuc clariùs & pleniùs patebit. Atque hæc de *ſecunda* in hunc locum quorundam ſententia, ſatis.

IV. (3.) Aliqui hanc Prophetiam accipiunt & intelligunt de *decem* tantùm *tribubus* in captivitatem *Aſſyriacam* abductis, nec inde hactenus unquam reverſis, ſed in fine mundi ad Chriſtum convertendis. Quam ſententiam Cornelius à *Lapide* (ut ſuam quoque) ſic proponit: (*l*) *Dico cum Theodoreto, Theophylacto, Chaldæo & à Caſtro, Prophetam pergere loqui de* Iſraëlitis, *id eſt,* DECEM TRIBUBUS, *ac prædicere eorum excidium, & deſolationem duraturam, uſque ad finem mundi. In Aſſyriam enim abducti, inde nunquam redierunt, niſi perpauci mixti Judæis: ſed ſparſi &* (†) *INCOGNITI*

(*l*) *Comment. in Hoſ.* 3. *v.* 1. 2. 3. (†) *Nota hoc Lector, & confer infra cum cap.* 3. §. 30.

TI vagantur etiamnum toto orbe. Unde carent Rege, Lege, Republicâ, sacerdotio, &c. *serviuntque viles, pauperes, & miseri aliis gentibus & Principibus, uti mulier illa (quæ horum erat typus,) sedebat apud Osee desolata, quasi vidua, carens marito omnique aliâ ope Divinâ & humanâ, habens solùm tenuem sustentationem, quam dabat illi Osee.* (Ubi mox subjicit locum de *Israëlitis* 2. Paralip. 15. v. 3.) Hanc sententiam quod attinet; fatendum est, præsentem Prophetiam quidem primariò de *decem tribubus* sonare; tum quòd tota Prophetia *Oseæ* potissimùm *decem* illas *tribus* respicit, & eos in Christiano populo, qui *tribubus* iisdem respondent in mysterio; tum quòd in hac eadem Prophetia, subinde *decem tribus* peculiari nomine *filiorum Israël*, vel absolutè *Israël*, vel *Ephraim* (principalis *tribûs* inter *decem* nomine,) distinguuntur à *Juda*, utramque tribum, nempe *Juda* & *Benjamin* designante: attamen nec *duas* alias *tribus* (nunc dictas) hinc penitùs excludendas esse, tum superiora docent, tum ipsa res Prophetiæ id ipsum suadet.

V. Itaque, (4.) verior, & Prophetiæ huic adæquata sententia hæc est, ut hîc juxta ea, (quæ jam præmisimus,) primariò quidem, & proximâ Spiritûs S. intentione *decem tribus*, (& qui per has in myste-

rio significantur) intelligamus; at verò secundariò, & remotè *Judam* quoque & *Benjamin*, (seu, principales Christi interfectores obduratos,) tum in litera, tum in mysterio subincludi censeamus. Hoc enim requirit tum latitudo sensûs phraseos *filiorum Israël*; quæ nonnunquam pro universis tribubus *Israël* accipitur; uti etiam *Israël* in loco parallelo, 2. Paralip. c. 15. v. 3. *Transibunt multi dies in Israël*, (seu, *Israëli*,) *absque Deo vero, & absque Sacerdote Doctore, & absque Lege*; (ut taceam nunc, quòd phrasis illa aliquando, præcipuè *duas tribus* significat, in oppositione tantùm ad Sacerdotes, & alios filios *Levi*, uti passim apud (m) *Esdram* & (n) *Nehemiam*; tametsi ante hos etiam, rarissimè tamen, *Israël* pro *duabus tribubus* una cum *Levi*, & aliis paucis iisdem adjunctis, invenitur: 2. Paral. 12. v. 6. & 21. v. 2. juxta Hebr. text. & v. 4. ibid. & cap. 28. v. 27.) tum quòd res hîc prædicta (tam tristis ad tempus, quàm jucunda demum,) nec de *duabus tribubus* (una cum *Levi*) negari potest, quasi in eas non quadraret. Insuper patet pleniùs ista sententia, I. ex hoc, quòd

(m) *Vid.* 1. *Esdr.* 2. *v.* 2. 59. 70. *& cap.* 4. *v.* 3. *&* 6. *v.* 16. 19. 21. *&* 7. *v.* 7. *&* 9. *v.* 1. *&* 10. *v* 1. 2. 5. 10. 25. (n) *Vid.* 2. *Esd.* (*seu Nehem.*) 1. *v.* 6. *&* 2. *v.* 10. *&* 7. *v* 7. 61. *v.* 73. *&* 8. *v.* 1. *&* 9. *v.* 1. 2. *&* 10. 33. *v.* 39. *&* 11. *v.* 3. 20. *&* 12. *v.* 46. *&* 13. *v.* 3.

quòd etiam ſuperiores duas præcipuas magnorum virorum ſententias (puncto *ſecundô* & *tertiô* relatas) in ſe complectitur; quarum neutra caret validâ ratione, ſi neutra alteram excludat. Sic fiet, ut ambæ ſententiæ inter ſe concilientur,ac ſibi invicem concordent: qui modus exponendi Scripturas, quotiescunque fieri poteſt, adhiberi debet, & aliis modis (Scripturas præter ſuum ſcopum coarctantibus) longè præferendus eſt. II. De *Judæis* Chriſti interfectoribus (ſeu illorum poſteris) non poteſt eſſe ullum dubium apud omnes illos Chriſtianos, qui eorum converſionem juxta oracula Scripturarum expectant, quin illi hîc includantur; itaque potiſſimùm altera noſtræ ſententiæ pars, quæ ſonat de *Iſraëlitis decem tribuum* eſt hîc nobis firmiter ſtabilienda.

VI. Ejus ſtabilimentũ aliquod præmiſimus jam in ſuperioribus, (*o*) non ſolùm in hoc *quarto*, ſed etiam in *tertio* (*p*) puncto; nunc autem ea, quæ generaliùs & ſparſim diximus,ſic diſtinctiùs & in cumulo proponimus; (1.) Quia tametſi nomen *Iſraël*, vel *filiorum Iſraël* aliquando (ut jam diximus) præcipuè de populis *duarum tribuum* uſurpatur; (quod priùs valde raró uſurpatum, de-

(*o*) *S. II. & III. hoc cap.* (*p*) *S. V. hôc cap.*

demum post solutam captivitatem Babylonicam frequentiùs factum est, ut judiciosus Lector ex *Esdræ* & *Nehemiæ* Libris (collatis cum aliis) perspicere potest;) attamen longè frequentiùs vel pro omnibus *duodecim tribubus*, (ut ante Schisma, *Jeroboami* primi tempore factum,) vel signatè ac peculiariter pro majori parte posterorum *Israëlis*, h. e. pro *decem tribubus* in sacro Codice accipitur: ut eundem Codicem sedulò volventi non est ignotum. Legat inprimis, & evolvat diligens Lector *tertium* & *quartum* (aliàs 1. & 2.) Regum Libros, inde à 12. capite 3. Lib. Regum, usque ad 4. Lib. cap. 18vum, (additis etiam versibus 15. 19. 23. & 27. cap. 23. ibid.) & inde à 2. Paral. c. 10. usque ad cap. 31. ejusdem Libri, non dubitabit de peculiari illa acceptione τῦ *Israël*, & (†) *filiorum Israël*. Apud Prophetas etiam, inprimis apud nostrum *Hoseam*, item *Amosum*, *Michæam*, & *Zachariam*, subinde ista specialis acceptio occurrit. Ut alios taceamus, sic *Hos.* cap.

1. v.

(†) *Notet obiter hîc Lector, quòd jam ante* Schisma *quoque* tribuum, *seu ante* Jeroboami *primi tempora nonnunquam* tribus *numerô potiores distinguebantur nomine* Israël *à sola tribu* Judæ, (*quosdam* Levitarum *&* *Sacerdotum secum habente*;) *ut patet* 1. *Reg.* (*al.* 1. *Sam.*) 11. *v.* 8. *&* 2. *Reg.* (*al.* 2. *Sam.*) 3. *v.* 10. *&* *cap.* 5. *ibid. v.* 3. *&* 19. *v.* 43. *&* *cap.* 20. *ibid. v.* 2.

1. v. 1. 4. 5. 6. 11. & (præter textum nostrum ex cap. 3. sumptum) cap. 4. v. 1. 15. 16. & 5. v. 1. 3. 5. 9. & 6. v. 10. & 7. v. 1. 10. & 8. v. 3. 6. 8. 14. & cap. 9. v. 1. 7. & 10. v. 1. 8. & 11. v. 1. 8. 12. & cap. 13. v. 1. 9. & 14. v. 2. 6. nomen *Israël* pro *decem tribubus*, vel pro parte *Israëlitarum* schismatica accipitur quantum ad literam; quantum ad mysticum autem sensum, pro Christianis illis (r) qui in mysterio respondent *schismaticis* olim *Israëlitis* à Domo David abruptis. Unde evidenter sequitur, à verbis nostri textûs, tam magni momenti prophetiam de *filiis Israël* pandentibus, non solùm non excludi *decem tribus*, (unà cum iis, quos præfigurârunt,) sed primariam & principalem (in respectu *Juda*) earum haberi in iisdem rationem. (2.) Quia res ipsa in nostro textu prædicta, (tam tristis, quàm jucunda demùm,) æquè non potest negari de *decem tribubus* (nunquã hactenùs restitutis,) ac de *duabus tribubus*, *Juda* & *Benjamin*, & his adjuncta tribu *Levi*, aliisque paucis illis Hebræis, qui quondam vel ante captivitatem Babylonicam, vel post eam solutam se se adjunxerant *Judæ* & *Benjamin*. Imò quò priùs cœperunt decem tribus *sedere*, (h. e. luctuosè manere) *sine Rege*, *sine Principe*, *&*

 sine

(r) *Vide hic lucis causâ S.* Hieron. *in* Hos. *c.* 1. *v.* 11. *&* *passim in* Hos.

sine sacrificio, &c. quàm duæ tribus; (priùs enim illæ, quàm hæ abductæ sunt in captivitatem, scil. annis 130. mensibus sex, & diebus decem, juxta (*r*) *Josephum*: juxta alios, paulò pluribus;) & quò magìs, quove plùs caruerunt iisdem, quàm duæ tribus; eò plùs hactenùs res tristis prædicta in eas quadrat, quàm in duas tribus: hæ enim etiam in captivitate Babylonica habuerunt utcunque & ad tempus suum (*s*) Regem, scil. *Joachin*; item habuerunt continuatam successionem Pontificum: (*t*) *Josedech* enim captivus abductus est Babylonem, at deinceps ibidem è vinculis solutus; cui successit *Jesus*, seu *Josua*, filius ejus, qui floruit tempore solutæ captivitatis; huic verò successit (*u*) *Joachim* filius ipsius; habuerunt etiam secum insignes duos Prophetas, scil. *Ezechielem*, & *Danielem*; respirium quoque quàm memorabile in eadem captivitate habuerint, patet ex Jerem. 29. v. 4. 5. 6. 7. & quàm feliciter non adeò multô tempore elapsô (h. e. expletis 70. annis) inde liberati, & patriæ suæ (qui redire voluerunt) restituti sint, suosque *Principes*, suum *Templum*, suum *altare*, & sua

(*r*) Joseph. *Antiq. lib.* 10. *c.* 11. (*s*) 4. *Reg.* 25. *v.* 27. 28. & *Jerem.* 52. *v.* 31. 32. (*t*) *Vide Joseph. Antiqu. Lib.* 10. *c.* 11. (*u*) *Ibid. Lib.* 11. *c.* 5.

& sua *sacrificia* iterum habuerint, Libri *Esdræ* & *Nehemiæ* nos docent. At nihil horum de *decem tribubus* abductis & dispersis, hactenùs legimus: sed continuatur in hunc usque diem earum Reipublicæ eversio, & membrorum ejus dispersio. Unde sequitur, quòd res quoque jucunda hîc prædicta, & suo tempore eventura, non solùm non minùs spectat ad *decem tribus* nunquam hactenùs restitutas, quàm ad *duas*; sed insuper priùs ac citiùs in iis implebitur, quàm in *duabus* illis *tribubus*, (scil. *Juda* ac *Benjamin*,) quæ unà cum *Levi*, & parte quadam aliarum tribuum olim eisdem juncta, fuerunt in Novi Testamenti Initio Christi interfectrices, & in hunc usque diem adhuc sunt necis ejusdẽ approbatrices. Id enim requirit non solùm major diuturnitas rejectionis & dispersionis dictarum *decem tribuum*, sed & comparatio peccati earum cum peccato *Judæorum* Christi interfectorum. Etsi enim satis magnum fuit peccatum *decem tribuum*, ob quod à DEO abjectæ sunt; videlicet idololatria cum omni superstitione & impietate eidem juncta; de qua vide 4. Reg. 17. v. 7. 8. & sequ. attamen longè majus fuit & est peccatum *Judæorum* Novi Testam. contra Christum, & ejus salutiferam doctrinam obstinatè

natè induratorum : quod nulli erudito Christiano est dubium. Expendat hîc Lector, lucis causâ Matth. 11. v. 21. 22. 23. 24. & 12. v. 41. 42. & Joan. 15. v. 22. 24. Priùs ergo expectanda est *decem tribuum* conversio ad Christum Dominum, earumque in statum felicem *restitutio*, quàm aliorum *Judæorum* Christi interfectorum. Non desunt etiam alii, (v) qui hunc ordinem conversionis *Israëlitarum* futurum agnoscunt, & ex professo tradunt.

VII. Hæc de *prima Quæstione*, (quæ erat, *Quô sensû hîc filii* Israël *sumuntur*?) satis dicta sunto. Ad *Secundam* nunc progrediamur.

(v) *Vide Christoph.* Besoldum (*ex* Heurnio) *Dissertat. de Jure, ordinibusque Civium*, §. 13. *p.* 75. 76. *edit. Argent. anno* 1626.

CAPUT III.

In quo, *QUÆSTIO SECUNDA*, (*scil. Ubi quærendi sunt* Israëlitæ, *signanter* decem tribuum? *&c.*) *tractatur & expenditur*; *doceturque*, (*figmentis Judæorum explosis*, *& aliis etiam quorundam recentiorum opinionibus haud probatis*,) *veteres* Israëlitas decem tribuum *nunquam ex captivitate reversos*, *vel Judaicæ Reipublicæ unitos*, *unà cum aliis è* Juda, Levi *&* Benjamin *simili sorte nunquam eidem Reipublicæ sociatis*, *variis* Nationibus, *specialiter etiam* Scythicis, *& quidem etiam ad* Christianæ *Fidei professionem conversis*, *esse immixtos* : *quod validis* argumentis *ostenditur*.

I. *Quæ-*

I. *Quæstio Secunda* hæc erat: Ubinam quæ-
„ rendi ſint illi *Iſraëlitæ*, (ſignanter *decem*
„ *tribuum*,) qui olim aliquot ſeculis ante na-
„ tum Dom. Salvatorem abducti in capti-
„ vitatem, nunquam inde rediiſſe, ac in po
„ pulum Dei reſtituti eſſe leguntur? Ad
quam ſic in ſequentibus reſpondeo.

II. *Quæſtio* hæc eſt ſanè omnium conſenſû eruditorum non parvi momenti; eò quòd ut quidam Author (*a*) rectè obſervat, (loquendo de decem tribubus,) *Num ſint illi vel peculiaris ac diſtinctus populus, vel mixti cum aliis Nationibus, nec in Ethnicorum, nec in ſacra Hiſtoria* (*quantum* ipſi *notum eſſet*,) *ulla hujus rei extat mentio*: unde tantò major à nobis adhibenda eſt diligentia, ut ea ritè reſolvatur. Non enim mediocrem bonis omnibus afferre debet animi erectionem & conſolationem inter tot ſeculi præſentis adverſa, totque hominum corruptelas, ſi ſciatur, ubi ſint illi, quorum jucunda & optatiſſima *converſio* ac *reſtitutio*, non procul jam differetur: ut & in exordio hujus operis inſinuavi. De *duabus tribubus*, ſeu *Judæis* illis in genere, qui Chriſtum Dn. Salvatorem protervè repudiârunt, & quorum vel nomen juſtiſſimô DEI judiciô ob necem Domi-

(*a*) Fletcher *in Anglic. Tractatu de* Decem Tribubus, *pag. 5.*

Domini noſtri, exoſum eſt aliis Nationibus, utpote *Chriſtianis*, non eſt neceſſe, ut ſolliciti ſimus, ubinam ſint; cùm oculis noſtris poſſimus videre eos hîc atque illic paſſim in Orbe terrarum per diſtinctas catervas & ſynagogas, (easque alicubi parvas, alicubi majores) eſſe diſperſos. Illæ ergo *tribus* nobis quærendæ nunc ſunt, quæ latent, (cùm tamen reverà adſint in Mundo, eò quòd ſermo Dei falli nequeat;) & quæ nunquam poſt ſuì rejectionem *Judæis* notiſſimis ſe ſe conjunxerunt. Dum autem de dictis *tribubus* aliquid certi dicemus, illis inventis non erit difficile judicium ferre etiam de *Judæis* ac *Benjaminitis* illis, qui nunquam in patriam redeuntes, demùm æquè ac *decem tribus* ab aliis Nationibus ſunt abſorpti.

III. (1.) De *decem tribubus* primùm etiam *Judæorum* nugacem narrationem, vanamque ſui lactationem (eruditis non ignotam) debemus hîc in medium proferre, atque etiam explodere. Fingunt nempe illi, & gloriantur, quòd vetuſti *decem* tribuum *Iſraëlitæ*, ſeorſim in Oriente, ſcilicet in *Media*, in *Perſide*, alibique magnas ditiones cum valida manu & potentia teneant. Qua de re videri poteſt R. *Benjamin* (an. D. 1173.) in ſuo *Itinerario*: qui inter alia de

di-

dictis *Israëlitis*, eorumque ficta potentia sic fabulatur: (*b*) ומטילמאם לכיבר שלשה ימים ואומרים בני אדם שהם שבט ראובן וגד וחצי שבט מנשה &c. H.e. *A Tilimase* (†) *tribus diebus Chebarem* (de quo Ezechiel. 1. v. 3.) *devenitur. Vulgò hic esse tribum Rubenis, Gadis, & dimidiam Manassis tribum ferunt: quas Salmanasar Assyriæ Rex captivas abduxit. Hos Israëlitas huc profectos, magnasque istas munitasque Civitates, (scil.* Tilimas, Themam, & Thanai) *condidisse ajunt, & cum omnibus Regnis bella gerere; nec ad eos accedere posse quenquam.* Et mox: *Cæterùm Chebar* (inquit) *maxima Civitas quinquaginta fermè Israëlitarum millia habet; & in his tum sapientiæ studiosos, tum viros fortes, qui acie decertant cum Babyloniæ incolis, & regione septentrionali.* Et alibi, dum de *Aria*, de montibus *Haphton*, & *initio Mediæ* tractat, sic scribit: (*c*) *Hic plusquam centum Israëlitarum cœtus commorantur. Isti primâ captivitate à Rege Salmanasare abducti fuère, & Chaldaicè loquuntur.* Item, ubi de tractu fluminis *Gozan*, & parte Persidis agit: (*d*) *Sunt* (inquit) *in Perside quidam Israëlitarum, qui ex illo loco* (scil. ex tractu Gozan) *ortum ducunt, & affirmant in urbibus Nisboris quatuor Israë-*

(*b*) *Benjam. Itinerar. pag.* (*mihi*) 84. 85. (†) *Non multò ante de Septentrionali* Babyloniæ *latere loquetur p.* 82. (*c*) *Pag.* 90. (*d*) 97. & 98.

Israëlitarum tribus residere, tribum Danis, Zebulonis, Ascheris, & Naphtali, captivam multitudinem primam, quam Salmanasar Assyriæ Rex abduxit. Et mox subjicit: *Et illorum* (Israëlitarum nempe) *Regio ad viginti dierum iter protenditur. Civitates & Castella in montibus habet, quæ ab uno latere* Gozan *flumen alluit; nec ullô gentium jugo premuntur; sed Principi præposito parent, cui nomen Doctor Joseph, Præfectus summus Levita.*

IV. Hæc ille, satis magnificè more Judaico, de suis post alios nugatur: cujus verba retulisse, in tanta seculi nostri scientiæ Geographicæ & Historicæ luce, est refutâsse. Hinc eruditè observat de hoc Authore *Constantinus* l'Empereur: (*e*) *Noster ubi ad remota ista loca pervenit, ibi demùm disertus esse incipit, eaque narrat, quæ nunquam idoneis testibus probabit.* Et alibi: (*f*) *Hîc* (inquit) *nobis absolutum quoddam Israëlitarum imperium obtrudit. Sed imperitiam hominis spectate, qui parum memor præcedentium, regionum mirabilem situm describit: idque eò collimans, ut ultra patentia & invia deserta nobis Israëlitarum regnum fabricetur, ne cui mirum videatur, quòd tanti regni fama hactenùs ad nos non pervenerit; cùm tamen regiones à multis peragratæ fuerint.* Cæterùm qui

(*e*) Differtat. *præmiss.* Itinerario *Benjamin.* (*f*) *In suis* Notis *ad pag.* 82. Itinerar. *ad voc.* Rechabita: *suarum Notarum p.* 200.

qui pleniùs hæc & ſimilia dicti *Judæi* in gratiam ſuorum edita figmenta, exploſa videre vult, conſulat nunc citatum ejus Caſtigatorem eruditum: qui ſpeciatim celebre etiam eorundem de fluvio (*ff*) *Sabbation* dicto, (quem aliqui ipſorum cum *Gozan* eundem eſſe cenſent,) deque *Iſraëlitarum*, (inprimis *quatuor tribuum*) ultra fluvium illum ſitorum, ac fluviô illo recluſorum & ab aliis ſeparatorum Regno & ſtatu felici figmentum, nervosè explodit. Contra quos in everſionem hujusmodi (de ſuis contribulibus) figmentorum, validè ſemper allegare poſſumus argumentum ex eo ductum, quòd in tanta hoc tempore hiſtoriarum & rerum Geographicarum ſcientia, nec non in tot experimentis quorundam Chriſtianorum diverſas *Orientis* & *Auſtri* regiones peragrantium, nullum ab ipſorum Chriſtianorum experientia, vel fida eorundem ex ſua peregrinatione redeuntium relatione teſtimonium detur, quod *Judæorum* de ſuis *decem*, vel etiam pauciorum *tribuum* popularibus opinionem, ſeu fictam traditionem confirmaret.

V. Ejuſdem cum figmentis *Benjaminis* farinæ eſt putidum illud mendacium *Abrahami*

(*ff*) *Cit.* l'Empereur *in ſuis ad* Benjam. *Itinerar.* Notis pag. 205. 206. 207.

mi Peritzol (*g*) Judæi, (super suorum nugacissima fictione, ex mera credulitatis levitate conceptum) de ficto quodam *Principe exercitûs Israëlis*, nomine (ut ille scribit,) *Davide Ben-Salomo*; quasi is anno Mundi juxta suorum computum 5284. hoc est, anno Christi 1524. (*h*) à *deserto Chabor*, è medio *decem tribuum* ad Pontificem Romanum (à suis missus) advenisset: unde enarratô hoc fictô adventû, subjecit demùm ista: † *Sufficit nobis, - - verificatum fuisse apud Reges & Principes, & coram multis in plateis Romæ, quòd adhuc sit inventio TRIBUUM ISRAELIS, & quòd sint valde numerosi, habeantque REGES MULTOS.* Ita etiam jam antecedenter dicebat, (*i*) *illis omnibus* (scil. *decem tribubus*) *esse REGES & Principes, & populos multos ad instar arenæ, quæ sunt in littore maris.* Finem verò adventûs ficti illius Legati sic describit: (*k*) *Historici, & melioris notæ Judæi, qui cum ipso locuti sunt, affirmant, istum Judæum reverà auxilium petiisse à Papa,* (*Rege Gentilium*, ut ille ait,) *ut instrumenta bellica ex metallo* (scil. bombardæ) *ipsi darentur ad projiciendum lapides,* (*& boni quoque artifices,*) *ut illa in Arabiam portarent ad*

(*g*) *Scripsit iste suum opus mox citandum anno Mundi, juxta computum Judaicum* . 5285. *hoc est, anno Christi* 1525. (*h*) *Vide ejus* Orchoth Olam, *hoc est*, Itinera Mundi, *cap.* 14. *pag.* 90. 91. 92. 93. *edit.* Oxon. † *Pag.* 93. juxta *version. Thom.* Hyde. (*i*) *Pag.* 92. (*k*) *Pag.* 94.

ad perdendum inimicos suos; ipsumque vicissim daturum in manum Papæ, ejusque promotionem alias utilitates in usum dicti Papæ, cujus exaltetur gloria, & (aperturum) *viam ad dominandum in partem locorum, ubi sunt Authores collectionum*, (scil. divitiarum,) *& aromata, & medicamenta simplicia. Et hoc totum factum est, ut Judæi illi congregarentur, - - ad subjugandum terram Decoris.* Hæc ille. Sed fontem & larvam hujus figmenti *Judaici*, jam antehac Viri docti detexerunt. Scilicet, quia *David* Rex *Æthiopum* (unionis Ecclesiasticæ causâ) suos miserat oratores (inprimis *Franciscum Alvarez*) una cum literis ad Pontificem Romanum *Clementem* VII. ut & ad Regem Portugalliæ *Joannem* III. an. D. 1524. datis; ex hoc Judæi, (præsertim quòd *David* ille se *Salomonis* filium scripserit,) finxerunt sibi, suos hîc Populares misisse Legatum ad Pontificem Romanum, & ad dictum Regem.

VI. Audiamus hîc *Bartoloccium* Reform. Ordinis Cisterciens. (qui tamen in numero annorum Legationis *Æthiopicæ* dissentit à *Bzovio*) sic de citato Libello Judæi Abr. *Peritzol*, & memorato ejusdem mendacio scribentem :(*l*) *In hoc Libello præter alia multa,*

(*l*) Bartoloc. *Biblioth.* Rabbinic. *edit. Rom. an.* 1675. *Part.* I. *pag.* 42. *&* 43.

-unum, sine acri animadversione - - prætereundum non est: nempe fabula illa, quam pro vera historia cap. 14. *refert; ubi ait, quòd an. D.* 1524. *quidam Judæus ex Arabia ad Summum Pontificem Clementem VII. Romam venerit cum Credentialibus Regis Lusitaniæ, ut ab eo suppetias armaque bellica, ac artifices bombardarum reciperet, pugnaturus postea contra Regem quendam Arabiæ.* Et aliquantò infra: *Cæterùm* (inquit) *ad veritatem historiæ quod attinet; verum est, quòd Clemens VII. Pont. Max. an. D.* 1533. *Literas David Regis Æthiopiæ receperit, quibus Pontifici Rom. obedientiam spoponderat, & quas D. Franciscus Alvarez, Joannis Portugalliæ Regis Orator Romam attulerat, cum aliis ejusdem Regis credentialibus Literis, Sertuual datis* 28. *Maji,* 1532. *Summoque Pontifici consignaverat; ut videre est apud Robertum Momachum & alios: sed nihil de Hebræo Oratore in illis, neque alibi mentio reperitur. De hac Legatione - - confer eundem Momachum: ubi hujuscemodi Literæ, ex Æthiopica in Lusitanam, indeque in Latinam linguam traductæ fuerunt à Paulo Jovio. - - Versæ etiam in Italicam, & excusæ fuerunt Bononiæ per Jacobum Keimolen Al. an.* 1533. *- - Hæc audientes Hebræi Itali, - crediderunt David esse nomen Oratoris missi à Rege Æthiopiæ, seu à Regibus quibusdam Israëlitis regnantibus in Indiæ partibus.* Post hæc illicò refert ex Rabbi *Ghedalia* (qui vixit illo tem-

pore,

pore,) cum aliis Judæis decepto, quòd is ſcribat, *veniſſe* anno Mundi Judaico 5294. hoc eſt, an. D. 1534. *Judæum Rabbi David Rubenitam è remotiſſima Regione Romam*, & *locutum* fuiſſe cum *Clemente* Papa. Reliqua apud eundem R. *Ghedaliam*, congruunt fabulæ *Peritzolianæ*, eamque augent. Cui ad manum eſt Author, videre poterit hoc mendacium Judaicum eruditè refutatum apud citatum *Bartoloccium*. De origine autem hujus mendacii, eadem habet etiam D. Thomas *Hyde* (*m*) in ſuis ad *Peritzol* Notis, quæ *Bartoloccius*, utpotè ex ipſo excerpta.

VII. Tempus dictæ Legationis *Æthiopicæ* quod attinet; *Bzovius* refert eam ad an. D. 1524. ut videre eſt in *Annalibus* (*n*) ejus. At Odoricus *Raynaldus* aliique Legationis illius executionem apud Papam *Clementem* VII. factam, referunt ad annum D. 1533: qua in re præivit aliis Damianus *Goëz* anno D. 1541. eadem de re ſcribens, ut mox ex ejus verbis patebit. Res autem iſta ſic ſe habet: *David* Æthiopum Rex anno D. 1524. binas ſcripſit Literas ad *Clementem* VII. Pontificem, per *Franciſcum Alvarez*

 ſuum

(*m*) *Pag. 91.* (*n*) Bzovius *Annal. Tom. 19. ad annum 1524. num. 33. pag. 538. uſque ad pag. 546. edit. Colon. Anno 1630.*

suum Oratorem operâ *Joannis* Portugalliæ Regis(filii *Emmanuelis*) eidem Pontifici præsentandas: sed non priùs, quàm an. D. 1533. Mense Januario (unà cum Literis memorati Regis Portugalliæ in *Sertual* an. D. 1532. ad *Clementem* datis) sunt Pontifici præsentatæ in Conventu *Bononiensi*, Cæsare etiam *Carolo* V. ibi tunc præsente: ut hoc perspicuè patet ex Opusculo Damiani *Goëz*, de *Religione* & *moribus Æthiopum* an. D. 1541. *Paulo* III. Pontifici dicato, pag. 1287. & seq. *Hispaniæ Illustratæ* Tomo 2. edit. Francof. an. 1603. Verba *Goëz*(seu *Goës*,) in hanc rem, mox (*o*) producemus in medium; sed priùs hoc inculcandum Lectori censeo; quòd tametsi tardiùs, quàm an. D. 1524. ex Æthiopia *Franciscus Alvarez*, (Capellanus aliquando Regis *Portugalliæ*) cum suis comitibus in Europam advenit, (scilicet, non ante an. D. 1526. ut ex memorato Damiano *Goëz* patet,) attamen valde probabile est, famam paratæ hujus (an. D. 1524. jam dicto) legationis *Æthiopicæ*, viâ aliquâ, (per solitarium fortè aliquem peregrinum, sive Judæum, sive Christianum) adhuc anno D. 1524. pervenisse Romam, ac ibi, & inde passim in *Italia* divulgatam fuisse. Nam alioquî planè non videtur, quô modô, quô fun-

(*o*) *§. VIII. hôc cap.*

fundamentô, & quâ ratione potuissent jam an. D. 1525. Judæi (*Peritzol* nempe & alii) in *Italia* sibi fingere vel somniare, suæ Nationis *Principem* memoratô annô D. 1524. venisse ad *Clementem* VII. Pontificem Romanum, nisi aliqua dictæ legationis destinatæ notitia adhuc anno D. 1524. pervenisset in *Italiam*. Atqui constat ex ipsa narratione (*p*) *Peritzol*, (qui suum Librum supra citatum, scripsit an. D. 1525.) constat, inquam, *Judæos* figmentum illud suum, jam an. D. 1525. in *Italia* sparsisse. Et fortè ex ejus legationis famæ præmaturâ in *Italia* disseminatione factum est, quòd etiam Christiani quidam crediderunt, legationem illam adhuc an. D. 1524. ad Pontificem Romanum pervenisse: quod vel ex celebri Annalista *Bzovio* colligere possumus, qui eam sic refert, quasi an. D. 1524. *Romæ* peractam: ut jam supra (*q*) insinuavimus: non obstante, quòd & ipse Damiani *Goëz* de eadem legatione narrationem non prorsus ignoraverit. Imò & Odoricus *Raynaldus*, (*r*) Literas saltem Regis Æthiopum ad *Joannem* Regem Lusitaniæ de recommendanda sua apud Pontificem Ro-

 manum

(*p*) *Vide eum pag.* 1. *item pag.* 95. *&* 195. *edit.* Oxonien. *h. e. initium, med* (*ferè*) *&* *fin. libri ejus.* (*q*) *Hôc* §. *p.* 37. (*r*) Raynald. *Annal. Tom.* 20. *ad an. D.* 1524. *n.* 103. 104. *usque ad* 108.

manum legatione ſcriptas, ad an. D. 1524. retulit; ipſam tamen executionem dictæ legationis, poſt *Goëzium* in annum D. 1533. collocans.

VIII. Nunc jam Damianum *Goëz* viciniſſimum tempori dictæ legationis, audiamus ſic de ea ſcribentem: (*f*) *Anno Salutis MD XXXIII. Menſe Januario, Summis Chriſtianorum Principibus, Sanctiſſimo D. N.* Clemente *Pontifice VII. &* Carolo *V. Romanorum Imperatore, ſemper Auguſto*, Bononiæ *congregatis; Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Don Martinus de Portugallia, nepos, Conſiliarius & Orator Sereniſſimi* Joannis *Regis Portugalliæ, ad eundem Sanctiſſimum Dominum N. iterùm miſſus, duxit unà ſecum Dn. Franciſcum* Alvarez *Oratorem Sereniſſimi David Æthiopiæ Regis, vulgò* Pretogyam *nominati, miſſum ab Æthiopiæ Rege ad eundem Sanctiſſimum D. N. ſalutandum ac venerandum, eique obedientiam more cæterorum Chriſtianorum præſtandum; quemadmodum ex Literis utriusque Regis eidem Sanctiſſimo D. N. redditis, pleniùs apparebit. His datus eſt Senatus & Conſiſtorium publicum 29. Januarii; in quo poſt receptum Reverendiſſimum Cardinalem Tridentinum, ipſi duo Oratores Portugalliæ & Æthiopiæ magno comi-*

(*f*) *Tractatu de regno* Æthiopiæ, *&c. in Præfat. ad Lector.* Hiſpaniæ Illuſtratæ *Tom. 2. p.* 1286. *&* 1287. *cit. edit. Francof.*

comitatu in Consistorium venerunt, amboque venerabundi ac genû flexô. Primò Orator Portugalliæ Literas sui Regis unà cum exemplis Literarum dicti Regis Æthiopiæ ad se, & claræ memoriæ Emmanuelem *Patrem suum scriptarum; deinde Æthiopicus Orator binas sui Regis Literas eidem Sanctissimo D. N. reddidit, munusculumque aureæ crucis (libræ fermè ponderis) nomine sui Regis obtulit, primò pedem, deinde manum Sanctitatis Suæ osculatus, demumque ad oris osculum de more receptus.* Hæc ille. Qui aliquantò post, scilicet, pag. 1295. subjicit Literas ejusdem *Davidis Æthiopiæ Imperatoris*, ad *Joannem* hujus nominis Tertium Portugalliæ Regem an. D. 1524. scriptas, *Paulo Jovio interprete*. Et pag. 1297. loco tituli Literarum ipsis Literis ad Pontificem datis, formalibus verbis ista præfixit: *Literæ ejusdem Serenissimi Davidis Æthiopiæ Imperatoris, ad Pontificem Romanum scriptæ, anno millesimo, quingentesimo, vigesimo quarto, Paulo Jovio interprete.* Idem de aliis etiam ejusdem Literis itidem ad Pontificem datis legitur pag. 1299. De itinere autem Francisci *Alvarez* ex Æthiopia in Lusitaniam transvecti, ista apud eundem *Goëz* leguntur: (s) *Rodericus (* nempe Portugallus *) cum collegis honorificè excipitur*, scil. à Rege Æthiopum, *ac tandem peractis mandatis, & acceptis*,

(s) *Pag. 1293. cit. oper.*

ceptis, ad Emanuelem Regem (Portugalliæ, Patrem Joannis) *remittitur. Is cum ſuis Arquicum profectus, claſſem - - expectare non potuit, propter ventorum importunitates. - - Arquici Literas invenit apud Præfectum Oppidi, - - ex quibus Regis* Emanuelis *mortem cognoſcit. Quamobrem in Aulam Pretioſi Joannis*, (ſcil. Regis Æthiopum Davidis) *redeundum eſſe conſtituit: quô reversô, Pretioſus Joannes ad Rom. Pontificem ſcribit, Literasque Franciſco* Alvarez *Romam ferendas commiſit. Ii omnes jam ſpatio ſex annorum in illis Provinciis commorati, tandem cum Legato Æthiopico, quem Pretioſus ad noſtrum Regem mittebat; Arquici aliam claſſem, quæ eorum causâ iterum venerat, conſcendunt, idque anno MDXXVI. menſe Aprili. Inde ſolventes Indiam petunt, ac tandem longis navigationibus Ulyſſiponem ad Regem Joannem, an.* 1527*mo menſe Julio redeunt; qui Oratorem* * *Æthiopicum ob certas ejus Legationis cauſas apud ſe ad an.* 1539. *uſque retinuit, Franciſcumque* Alvarez *ad Clementem Pontificem VII. cum Literis Pretioſi Joannis*, (ſcil. Davidis,) *cujus Orator ex Æthiopia venerat, miſit; quas ipſe Pontifex ex manibus ejuſdem Franciſci* Alvarez *Bononiæ anno Salutis* 1533. *Menſe Januar. Carolo V. Imp. præſente accepit.* Hæc ille. Quia verò *Bartoloccius* ex *Momacho* tradit in (*t*) ſuperioribus, an. D. 1533. Franciſcum *Alvarez*

(*) *Alius hic fuit à Franciſco* Alvarez. (*t*) *S. VI. h. cap.*

rex Romæ fuiſſe, &c. inde colligere poſſumus, per Urbem *Romam* eum tranſiviſſe, dum *Bononiam* peteret. Non tamen eodem anno, menſe Januar. Pontifici *Romæ* præſens eſſe potuit; niſi dicamus eum adhuc ſub finem anni 1532. Menſe Octob. (vel initio Novemb.) *Romam* perveniſſe; (& fortè conſilio ſive Pontificis, ſive aliorum, *Bononiam* deinde unà cum Oratore Regis Portugalliæ ſe tranſtuliſſe hôc fine, ut ipſa Legatio tantò folennior & celebratior fieret, utpote in conventu Summorum Orbis Chriſtiani Principum proponenda.) Conſtat enim Pontificem *Clementem* VII. adhuc ſub finem anni 1532. Româ moviſſe, & perveniſſe *Bononiam*; ut patet ex narratione itineris ejuſdem Pontificis, quæ habetur apud (*u*) *Raynaldum*. (Si Robertum *Monachum* ad manum haberem, inde fortè aliquid adhuc lucis huic legationi afferre poſſem.) Hæc de tempore memoratæ *Legationis* dicenda habuimus, idque ad fortiùs evertendum mendacium *Peritzolianum*.

IX. Figmentis Judæorum hactenùs auditis, annumerandum eſt etiam illud, quô jam olim ſomniârunt illi, ſe habere potens quoddam Regnum Judaicum (vel potiùs *Iſraë-*

(*u*) *In Annal. ad an. D.* 1532.

Israëliticum) apud *Chozaræos*, seu (*v*) *Chazaros* Scythicæ originis populos, ad Judaismum (ut ipsi fingunt) conversos: ut videre est in Epistola (*x*) à *Rabbi* quodam *Chasdai* dicto, seculo octavo, vel aliquantò pòst scripta, ad *Regem*, ut fingitur, dictorum *Chozaræorum*, nomine *Josephum*; & Responsione sub nomine dicti Regis *Josephi*, ad eam pariter fictè rescripta: quibuscum conferri possunt alia etiam ad hoc figmentum spectantia, ex *Præfatione* Joan. *Buxtorfii* in Librum (כוזרי) *Cosri*, anno D. 1660. *Basileæ* ab ipso editum. Hoc quoque figmentum docet, quàm nulla fides danda sit Judæis, in iis, quæ de suorum Popularium passim dispersorum potentia & gloria, ex se ipsis narrant & tradunt. Varia *Judæorum* de suorum (ut volunt) in *Oriente* potentia, deque sedibus *decem tribuum*, partim ex citatis jam ipsorum Scriptoribus, partim ex aliis figmenta in uno cumulo videre qui vult, consulat (cui ad manum est,) doctissimi etiam *Huetii* Episcopi Abrincensis Librum de *Demonstratione Evangelica*, Propositione IX. Cap. 4. pag. 707. & 708. edit. Lipsien. an. 1694.

X. Por-

(*v*) *De his vide meas* Origines *Hung. Part.* 1. *pag.* 151. & 225. & *Part.* 2. *p.* 27. (*x*) *Vide hanc Epist apud Joan.* Buxtorff. *in Præfatione Libri* Cozri, *edit. Basil.*

X. Porrò, ne penitùs videamur *Judæis* negare, esse aliquos, imò etiam multos *Judæos* inter *Orientis* Populos, *Persas*, *Turcas*, *Indos*, & alios; (experientia enim nostros docere potuit in Hungaria, fuisse & esse multos *Judæos* inter *Turcas*;) sciendum est, *Judæos*, præterquam quòd inaniter fingunt suorum in *Oriente* dominia, in hoc turpiter falli, quòd dum audiunt, vel (peregrinando) vident *Judæos* esse inter populos *Orientis*, putant aliquando, & cum mendaci exaggeratione spargunt, illos esse ex antiquis illis *Israëlitis*, qui in captivitatem *Assyriacam* fuerant quondam abducti: cùm tamen re penitiùs expensâ, omnes illi, qui inter *Orientis* vel *Austri* populos pro *Judæis* hodie habentur, ac *Judaicam* contra Christum profitentur Religionem, sint potiori ex parte è recentiori per *Titum* & *Adrianum* facta dispersione; (cujuscunque fuerint tribûs;) alii si qui fortè reperiuntur, inter eos *Hebraicæ* originis, (pariter ut illi distincti ab aliis populis,) non alii sunt, quàm qui ex reliquiis *Babylonicæ* captivitatis, (Politiæ tamen *Judaicæ* quondam etiam è remoto exilio post reditum aliorum sociatis,) unà cum Hierosolymitanis, & aliis ejusdem farinæ *Judæis*, in repudio ac neceveri *Messiæ* contumaciter consenserunt, & ad-

adhuc consentiunt: quos Deus ut justissimus Judex, ob hanc ipsorum apertam contra Mundi Salvatorem inimicitiam & blasphemiam, voluit unà cum cæteris parricidis, in manifesta ab aliis populis distinctione, ludibrio exponere, per hoc severè vindicans de pervicaci & blasphema illa Natione contemptum & necem dilectissimi sui Filii. (Non esse autem tales de *decem* illis *tribubus* occultis, ut sic dicam, & ignotis, de quibus hîc quærimus, infra (†) patebit.) Atque hæc est mihi primaria & præcipua causa, ob quam Deus non sinit istos *Judæos* Christi crucifixores ullo modo per mixturam cum aliis populis, quantùm ad formam ipsorum *Judaicam* aboleri: ita ut non gloriæ, sed potiùs ignominiæ ac pœnæ cedat ipsis apud justissimum Judicem, hæc tam manifesta eorum ab aliis populis distinctio. Nam alioquî, quomodocunque per matrimonia & rituum suorum desertionem miscerentur cum aliis populis, facillimum tamen Deo esset eos cum tempore requirere, & electos è medio ipsorum verâ illâ *restitutione* (*y*) per Prophetas promissâ, in optimum statum restituere. Non indiget Deus externâ illâ eorum formâ &

distin-

(†) *S. XI. b. cap.* (*y*) *Juxta Act. 3. v. 21. collat. Isa. 1. v. 26. & Eccl. 48. v. 10. col. ult.*

distinctione, ad hoc, (nisi quòd nonnunquam infirmitati etiam hominum re ejusmodi externâ consulit), ut eos tanquam populi sui antiqui ac sibi dilecti reliquias gratiosâ suæ Majestatis præsentiâ & benedictione exhilaret. Adjungamus hîc aliam etiam ex S. *Augustino* rationem, ob quam non permittit Deus *Judæos* Christi interfectores (quà tales manent) ad modum dictarum *decem tribuum*, aliis immisceri Nationibus; ut nempe per custodiam *Sacri Codicis* Vet. Testamenti, nolint velint, testimonium ferant *Fidei Christianæ*. Verba ejus sunt: (*) *Propter hoc illa Gens* (Judaica) *Regno suo pulsa est, & dispersa per terras, ut ejus FIDEI, cujus inimici sunt, ubique testes fieri cogerentur. Perditô quippe Templo, Sacrificio, Sacerdotiô, ipsoque Regnô, in paucis veteribus Sacramentis nomen genusque custodiunt, NE PERMIXTI GENTIBUS sine discretione dispereant, & testimonium VERITATIS amittant: velut Cain accipiente signum, ut eum nullus occidat, qui fratrem justum invidus & superbus occidit. Hoc nimirum etiam in quinquagesimo octavo Psalmo non incongruenter intelligi potest, ubi Christus ex persona sui Corporis loquitur & dicit:* (†) „ Deus meus demonstravit „ mihi de inimicis meis, Ne occideris eos, „ ne

(*) S. *August. serm.* 31. *de Temp.* (*sub fin.*) *Op. Tom.* 10.
(†) *Psal.* 58. *juxta Vulg.* (*al.* 59.) *v.* 12.

„ne quando oblivifcantur (*ff*) Legis tuæ. *In eis quippe inimicis FIDEI Chriſtianæ demonſtratur Gentibus, quomodo prophetatus eſt CHRISTUS, ne fortè cùm vidiſſent tantâ manifeſtatione impleri Prophetias, putarent eaſdem Scripturas à Chriſtianis eſſe CONFICTAS, ut de Chriſto prædicta putarentur, quæ completa cernuntur. Proferuntur ergò Codices à Judæis, atque ita Deus demonſtrat nobis* (de) *inimicis noſtris, quos ideò non occidit, hoc eſt, de terris non penitùs perdidit, ne obliviſcerentur Legem ipſius, quam propterea legendo, & quædam ejus quamvis carnaliter obſervando meminerint, ut ſibi ſumant judicium, nobis præbeant teſtimonium.*

XI. Lubet verò ad illuſtrationem noſtræ de paulò antè dictis Orientalibus *Judæis* ſententiæ, id quod *Theophylactus Simocatta*, (cui uni longè plus fidei, quàm omnibus fabulatoribus *Judæis* hoc in puncto tribuendum eſt,) an. D. 612. de *Judæis* Perſidis ſcriptô conſignavit, in medium hîc producere. Sic ille de rebus inter *Chosroëm* Regem Perſarum, & *Varamum* Regni Tyrannum circa annum D. 590. geſtis agens, ſcribit: (z) *Multos Judæos, novarum Varami* (ſeu *Barami*) *molitionum magnoperè participes*, Mebodes (Dux Chosrois) *morte* pœ-

(*ff*) *Hoc* (*de* Lege) *lucis causâ à quibuſdam olim additum.* (z) *Simocat. Hiſt. Lib.* 5. *c.* 7. *pag.* 129.

pœnas reposcens, ferrô necat. Nam quòd Judæi Varamo ad tyrannidem invadendam adjumentum præstabant, non erat contemnendum; cùm ea gens per id tempus Persidem incolens divitiis afflueret. Et mox subjicit immediatè originem illorum & aliorum *Mediæ* ac *Persiæ* illius temporis *Judæorum*, his verbis: Τῶν γὰρ Ἱεροσολύμων ὑπὸ Οὐεσπασιανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος ἁλόντων, τοῦ τε ναοῦ ἐμπεπρησμένου, ὀῤῥωδοῦντες πολλοὶ τῶν Ἰουδαίων τὴν Ῥωμαίων ἀλκὴν, ἐκ τῆς Παλαιστίνης ὡς τοὺς Μήδους, καὶ πρὸς τὴν ἀρχέγονον τιθήνην μεταναστεύουσιν, ἐξ ἧς ὁ προπάτωρ ἐτύγχανεν ὢν Ἀβραάμ. Τὰ τιμιώτητα τοίνυν οὗτοι ἐμπορευσάμενοι, καὶ τὴν ἐρυθρὰν διαπεραιούμενοι θάλατταν, περιουσίας χρηματισθέντες μεγάλας περιεβάλλοντο. ἐντεῦθεν καὶ πρὸς τὰς στάσεις καὶ τὰς Βαβυλωνίας τῶν δήμων ἐκκαύσεις ἑτοιμώτατα διωλίσθαινον. H. e. *Occupatis siquidem à Vespasiano Hierosolymis, & Templo concremato, plurimi de Judæis Romanorum potentiam metuentes, è Palæstina ad Medos* (✝ Persasve) *& ad primævam nutricem suam* (h. e. in Chaldæam) *transmigrârunt, ex qua antiquissimus eorum Parens Abrahamus originem duxit. Pretiosissima igitur quæque secum auferentes, enavigatô mari Erythræo, & magnis opibus acquisitis, inde etiam ad sediti-*

D tiones

(✝) *Rectè quoad scopum, mentemque Authoris addit Interpres* Jac. Pontanus.

tiones faciendas, & (*) *Persicos populos novitatis amore incendendos, facillimè dilapsi sunt*. Hæc ille: qui ne vestigium quidem ejus rei prodit, quòd jam illô (quo ista scripsit) tempore, aliqui *Israëlitæ*, præter hos Christi abnegatores & interfectores, sub forma & religione *Judaica* in *Perside*, vel ejus finitimis suas mansiones habuissent. Unde judicium pariter ferre possumus de aliis quoque *Judæis* in *Oriente* (ut & *Austro*) Christum blasphemantibus, illos nempe non esse ex *decem tribubus*; quas quærimus. Ita etiam concludere inde possumus, alios vetustiores *Israëlitas* ac *Judæos*, (ex *Juda* & *Benjamin*, & quondam sociis ac concivibus horum,) qui aut nunquam fuêre *Hierosolymitanis* post solutam captivitatem Babylonicam sociati, aut saltem non pari furore ac cæteri adversùs Dominum Salvatorem ducebantur, jam inde ab olim successû temporum vicibus diversis (potiori saltem ex parte,) Divinâ providentiâ per commixtionem in alias Nationes transiisse, ut appropinquante felici eorum *restitutione*, iterum à DEO perquirerentur. Si qui tamen horum diutiùs præ cæteris aliquam suî ab aliis populis distinctionem præ se tulerint, illi sanè

(*) *Rectè vertit Interpres* Persicos; *nam non rarò* Persas *Simocatta* Babylonios *vocat*.

nè ita tenuissima tantùm quædam *Hebraismi* vestigia in minoris momenti ritibus ut, fortè in quibusdam eduliis, vel aliqua dierum distinctione) retinuerunt, ut vix ampliùs suæ originis recordati fuerint, etiamsi à *Scythis*, vel quibuscunque eorum sociis & concivibus diversi ritûs, quasi traditione quâdam obscurâ ductis, suo nomine *Hebræum* significante, hoc est, Scythicô sermone *Sidó* (vel flexione Latinâ & Græcâ in plur. *Sidones*) vocarentur. Sic enim à nostris Hungaris, ut & à Sclavis *Hebræi* vocantur, ab antiquioribus nempe & potioribus inter Chananæos terræ Chanaan incolis, nempe *Sidoniis*, ortis ex *Sidone* (*a*) primogenito Chanaan. Hinc etiam *Moschus Sidonius* apud *Strabonem*, (*b*) idem est doctissimo Dan. *Hüetio*, (*c*) quod *Moses* ille celeberrimus, ac origine *Hebræus*. Sed de nomine *Sidó*, ut & populis, quos *Strabo* (†) inter quosdam Scythicæ originis populos, *Sidones* vocat, si cui placet, videat nostras *Origines Hungaricas*, Part. 2. cap. 13. §. 26. 27. 28.

XII. Occasione nunc dictorum, non est à re nostra alienum id quoque hîc notare, quòd ut *Judæi* & *Israëlitæ* illi (aliis im-

(*a*) *Gen.* 10. *v.* 15. (*b*) *Geogr. Lib.* 16. (*c*) *Demonstrat. Evang. Prop.* 4. *c.* 2. (†) *Lib.* 7.

mixti,)de quibus proximè diximus, populorum illorum, quibus immixti sunt, mores, ritus, ac mysteria Religionis, sua paulatim fecerunt; sic vice versâ populi illi insinuati partem aliquam opinionum, vel traditionum Judaicarum & Israëliticarum suis opinionibus junxerunt, atque suis domesticis commentis & fabulis interpolârunt, & involverunt: uti fit aliàs etiam in diversorum populorum mutuis inter se commixtionibus vulgò notis. Sed hæc assertio de *Israëlitis* in sequentibus aliquantò pòst (†) clarior fiet. Nunc saltem ad scopum nostrum patet ex hactenùs dictis, omnem imaginationem distincti alicujus populi *Israëlitici* in captivitatem *Assyriacam* quondam abducti, in *Oriente* vel *Austro* alicubi delitescentis, vel quod amplius, distinctam suam politiam & regnum habentis, tanquam merè *Judaicam* & vanissimam Christianis habendam esse.

XIII. At cum Diabolus sit ingeniosus Propheta, tametsi mendacissimus & dolosissimus, (ut qui in crassissimis etiam suis nugis & fabulis veritatem aliquam solet adulterare & incrustare;) sciendum est, in omnibus illis ejus figmentis, *Judæorum* ore & calamô traditis, quibus ipsi inter *Me-*

(†) *S. XXV. hôc cap. Confer etiam S. XXIII. huj. cap.*

Medos, *Perſas*, *Indos*, *Chazaros* Scythas, vel alios populos, amplum ſibi imaginantur ſuæ Nationis dominium, hanc ex Supremi rerum omnium Directoris ſapientia ſubeſſe veritatem, à Diabolo dolosè occultatam; quòd *Iſraëlitæ* (ut pleniùs infrà (*d*) patebit,) magno numero ſunt jam ab olim iis admixti, hunc in finem, (providentiæ Divinæ reſpectû,) ut ſuo tempore unà cum iiſdem populis ad promiſſum (*e*) *Iſraëli* Regnumcœleſtis originis, Regníque ejus felicitatem à Deo perducantur; qui certè, eò propinquiores jam ſunt cæteris *Judæis* manifeſtis Regno illi, quò remotiùs ab iis, in erroribus de vero *Meſſia*, per ſuam illam in alios populos tranſitionem receſſerunt, eorumque horrendas blaſphemias deſeruerunt. Ne autem dubitent *Judæi*, multos olim *Iſraëlitarum* tranſiiſſe in alios populos; graviſſimô apud ſuos teſtimoniô *Benjaminis* ſui hac de re doceantur: qui de *Walachis* (quos *montes incolere* rectè obſervat,) ſic (an. D. 1173.) ſcribit: (*f*) *Natio*, quæ *WALACHORUM nomen gerit*,

(*d*) *Hôc* §. 13. *ac* 14. 15. & *ſeq. hoc cap.* (*e*) *Iſa.* 14 *v.* 1. 2. *Jer.* 31. *v.* 4. & *ſequ.* & 49. *v.* 2. *col. ult.* & 50. *v.* 19. *Ezech.* 36. *v.* 12. & 37. *v.* 21. 22. 23. 24. 25. *Abd. v.* 17. *Mich.* 4. *v.* 8. *Confer. Act.* 1. *v.* 6. & *Dan.* 2. *v.* 44.
(*f*) *Itinerar. pag.* (*mihi*) 21. *juxta edit.* & *verſion. Conſtant.* l'Empereur.

rit, - - Christianorum statuta non observant, suisque Judaica nomina imponunt. Unde nonnulli eos JUDÆOS FUISSE asserunt, Judæosque appellare fratres suos; quumque hos offendunt, eos spoliare, sed non occidere, quemadmodùm occidunt Græcos. Hæc ille. *Judæos* hos *fuisse*, ideo sparsum fuisse censeo; quia multi *Judæorum* seu *Israëlitarum* veterum se se eis quondam immiscuerant, & in unum cum eis populum coaluerant. Alioquî enim *Walachi* majori suî parte valde probabiliter ex eadem mundi parte venerunt in suas sedes Europæas, ex qua etiam antiquiores *Hungari*; videlicet partim ex *Asia* fœcundiore, partim ex *Scythia*, ut qui inde ab antiquo videntur indivulsè *Hungaris* adhæsisse, vel cum iis vicinitatem coluisse; non obstante, quòd aliqua pars eorum ex vetustis *Romanorum* coloniis originem ducat. Intellige autem hîc in verbis Benjaminis, *Walachos Bosniæ* tunc montium, & ex parte etiam *Thessaliæ* incolas: (diversas enim sedes *Walachi* & olim habuerunt;) de quibus videri potest Joannes *Lucius*, eruditus *Dalmata* (†) Historicus. Quòd dicit *Benjamin*, eos *Christianorum statuta non observâsse*, hoc intelligo ex gemina hâc ratione: partim, quia illo adhuc tempore multi *Walachi*

(†) *De Regno Dalmat. & Croat. lib. 6. cap. 5. p. 281.*

chi erant alieni à *Christi* fide ; partim quia in externa etiam *Christianismi* professione suam barbariem retinebant, & adhuc plurimi eorum retinent.

XIV. Annon etiam aliqui vel multi ex illis quoque *Judæis*, quos olim Imp. *Adrianus* circa an. D. 134. ad *Bosphorum* (sive *Thracium*, sive potiùs *Cimmerium* ac *Scythicum*, vel fortè utrumque) teste S *Hieronymo* relegavit, partim *Græcis*, partim *Thracibus*, partim *Walachis* nunc memoratis, partim aliis populis *Bosphoranis*, ut & *Septentrionalibus* sint admixti; meritò quæro, & non sine fundamento ex nunc dictis, & adhuc ex *Leunclavio* mox dicendis (*g*) in partem affirmativam propendeo. Poterant nempe tales esse simpliciores, & minùs quàm alii *Judæi* pertinaces in Dominum nostrum Salvatorem ; ideò placuit Deo tales maturiùs sequestrare ab aliis contumacioribus, ut tantò citiùs præ aliis, eorum demùm posteri, bona in prophetiis promissa, in plenitudine consequantur. Verba S. *Hieronymi* de Judæis illis ad *Bosphorum* relegatis, hæc sunt: (*h*) *Licet nos possumus BOSPHORUM, in Hebraico habetur* ספרד, (Sepharad,) *quod nescio cur LXX.* Ephrata *transferre voluerint. - Nos autem ab Hebræo, qui nos in Scriptu-*

 ris

(*g*) *S. XVI. h. cap.* (*h*) *Comm. in Abd. v. 20.*

ris sanctis erudivit, ⁎ *didicimus* BOSPHORUM *sic vocari*; (nempe Sepharad;) *& quasi Judæus: Ista, inquit, est Regio, ad quam Hadrianus captivos transtulit.* Subjicit Judæus apud eundem: *Quando ergo Christus noster venerit, tunc reversura est in Judæam etiam illa captivitas.* Quòd LXX. Interp. vocem (*i*) *Sepharad*, seu *Sapharad*, vel *Saparad*, verterunt per τὸ *Ephrata*, quod (à rad. פרה, *Parah*,) significat *fructiferam, uberem*, ac *fœcundam*, non est mirum: respexerunt enim procul dubio ad nativam τῦ *Sepharad*, utpote vocis *Assyriacæ* (innuente id S. *Hieronymo*) significationem: quæ eximiè illustrari potest ex (*k*) vicinæ quondam Assyriis Hungaricæ seu Magaricæ Nationis verbo *Szaporod*, (& cum Paragogico, *Szaporodik*,) unde Participium *Szaporodó*, h. e. *augescens, fructificans*, vel *ubertim se multiplicans*; à simpliciori nomine, *Szapora*, hoc est, *fœcundus, copiosus, abundans*; quorum utrumque cognatum est Hebraico (& Chaldaico) *Saphar*, h. e. *numeravit, recensuit*; unde etiam habemus *Sáfár*, hoc est, *Dispensator*, & quasi victualium Curator, & *Recensitor*. Sic tractus *Bosphori* (seu rectiùs *Bospori*) *Scythici* poterat eô nomi-

(*i*) *Cit.* Abdiæ *v.* 20. (*k*) *De* vicinitate *illa*, *vide lumen in* Originibus *nostris* Hung. *Part.* 1. *pag.* 6. 7. 39. *&* 40.

nomine dici, (ſcil. *fœcundus*,) ob populos, quos ubertim ſolebat proferre & profundere: *Bosphorus* autem *Thracicus*, ob terræ illius fertilitatem. Non obſtat, quòd aliqui olim dixerint, vocem illam (*Sepharad*) Aſſyriis *terminum* ſignificâſſe; (ut ab Hieronymo refertur;) non enim ex vi vocis, ſed ex re ipſa per fictionem quandam interpretatio illa ſumebatur; eò quòd olim, ut dubitari vix poteſt, *terminus* imperii *Aſſyriorum* (ad tempus aliquod ſaltem) verſus Occidentem Septentrionalem, ſeu Æſtivum, fuerit *Bosphorus Scythicus*, vel etiam *Thracicus*; ut ſic Hebræi dixerint ex ſuo idiomate, quaſi eſſet vox illa compoſita, *Soph- rad*, h. e. *finis* (ſeu *terminus*) *dominantis*. At longè plùs hîc tribuendum eſt LXX. *Interpretibus*, quàm pòſt- ſecutis *Rabbinis*. Hæc de *Sepharad* obiter. Taceo autem nunc illud eruditis notum, quòd *Sepharad* recentioribus Judæis eſt *Hiſpania*. Subjungamus hîc alterum etiam S. *Hieronymi* locum paulò antè citato cognatum, qui in Zach. c. 10. v. 11. ſic ſcribit: (*l*) *Narrant Hebræi, captivum populum Judæorum, non ſolùm in Medos & Perſas, ſed in Bosphorum quoque & SEPTENTRIONALEM PLAGAM ab Aſſyriis atque Chaldæis eſſe translatum, & poſtea*

D 5 *eos*

(*l*) *Hieron. Comm. in Zach.* 10. *v.* 11.

eos EX PARTE revocatos, Dei eos ad se convertente clementiâ; *& hoc est quod nunc dicitur*: „(*m*) Transibunt in mari angusto *Propontidis angustias, quæ Chalcedonem, & quondam Byzantium brevi freto claudunt.* Hæ ille ex Judæorum traditione. Videmus in his, *Judæos* atque in genere *Israëlitas* olim juxta propriam Judæorum traditionem, non solùm per *Romanos*, (uti superior traditio eorum habet,) sed & per *Assyrios* atque *Chaldæos* (longè ante Romanorum imperium) ultra *Bosphorum* Thracicum, seu ultra fretum, quod est inter *Chalcedonem* & *Constantinopolim* (quondam *Byzantium* dictam,) ad *Septentrionalem* plagam, ad *Thraces*, *Dacos*, & alios *Ponti* Euxini, *Bosphori* Scythici, & probabiliter etiam *Mæotidis* accolas (fortè venditione mediante) fuisse dispersos: unde non nisi *ex parte* aliqua redierunt per vices, eodem modô, quo etiam ex tractu Babylonico non omnes, sed aliqui saltem redierunt in Patriam, temporibus *Zorobabelis*, *Esdræ* & *Nehemiæ*. Quòd autem etiam *Adrianus* Imp. multô post Assyrios & Babylonios tempore, pariter in easdem, vel versùs easdem partes relegaverit aliquos *Judæos*; (ut paulò antè (†) audivimus;) probabile est, quòd Assyriorum & Babylonio-

(*m*) *Cit. Zach. loc.* (†) *Hôc Paragr. pag. 56.*

loniorum ea in re exemplum eſt ſecutus.

XV. Et ut eò minùs dubitemus, diſperſos fuiſſe olim aliquos *Hebræos* etiam ad *Scythas*, in tractum nempe *Mæotidis* ac *Bosphori* Scythici, ſive per *Adrianum*, ſive alio modô; conſulere hîc debemus etiam *Theophanem*; (*n*) qui an. D. 787. diſertè ſcribit, fuiſſe tunc ad *Phanagoriam* Urbem Bospori Scythici οἰκοῦντας Ἑβραίους, *habitantes Hebræos*: quam vocem Author *Hiſtoriæ Miſcellæ*, ſuo fortè tantùm ſenſui ſatisfacere volens, vertit (vel ſcripſit ex alio) *Iberos*; cùm tamen *Iberi* longè infra illum tractum fuerint ſiti, in vicinia *Colchidis* & *Albaniæ*, ut eruditis notum. Hæc cuncta de *Hebræis* allata, eò faciunt, ut faciliùs nobis perſuadeamus id, quòd non multò ante ex R. *Benjamine* inſinuavi; multos nempe *Iſraëlitarum* ſe ſe *Walachis* olim immiſcuiſſe. Unde obvium eſt inferre, idem cum aliis etiam populis paulò antè memoratis, *Thracibus* nempe, & ſupra hos ſitis *Bosporanis* ac *Septentrionalibus*, eis eveniſſe.

XVI. An verò ex jam memoratis *Bosporanis* & *Septentrionalibus Hebræis*, per mutationem ſedium, vel aliô modô habeant ortum mixti illi *Livoniæ* Barbaris *Hebræi*; de qui-

(*n*) Theophan. *in Fragment. per* Petav. *ad calcem* Nicephor. *editis, pag.* 75.

quibus *Leunclavius*, ubi præmisit ex *Mornæo*, quòd iste *putat eò plures in Regionibus Russiæ, Sarmatiæ, Lithuaniæ HEBRÆOS inveniri, quò propiùs ad Tartaros acceditur*, sic scribit: (*o*) *Ut obiter aliquam de meo velut symbolam his adjiciam; adolescens in Livoniam, necdum Collegio Teutonicorum dissipatô, à Cunrado Patre missus ad Albertum Patruum; quùm alia isthic animadvertere memini, tum etiam versùs Lithuaniam, in vicinia Metropolis Rigæ, - in hujus vicinia, Nationem quandam esse barbaram* Lettorum, *à ceteris* Livoniæ *barbaris incolis*, Curonibus, *&* Estonibus, *linguâ planè discrepantem; qui perpetuò in ore quasi lamentationem quandam habent, quam vociferando per agros assiduò repetunt*, JERU JERU MASCOLON: *quibus verbis* JERUSALEM *&* DAMASCUM *intelligere creduntur; ceterarum in antiqua patria rerum, tot à seculis, & in remotissimis ab ea solitudinibus obliti*; an, inquam, hi ex *Bosporanis* & aliis paulò antè memoratis ortum duxêre; temporum successui pleniùs decidendum relinquo. Sufficit nobis ad scopum, lucem aliquam in his quoque nos habere, ut persuasum habeamus, jam ab olim aliquos, imò & multos *Hebræos* immixtos fuisse barbaris populis *Septentrionalibus*. Et quidem justissimum hoc erat & est judicium Dei super

(*o*) *Leuncl. Pandect. Hist. Turc. c.* 22. *p.* 121.

ſuper illos, ut talibus populis, & in tam ſterilibus terris immiſcerentur. Longè tamen ſunt cæteris ſuis popularibus feliciores coram Deo, *Hebræi* illi, qui hactenùs aliis populis ita ſunt immixti, ut certâ ſuî, ac vulgò noſcibili ſocietate ab aliis diſtinctâ, (qualis eſt aliorum *Judæorum* vulgò notorum,) non ſint ita palpabile (ut alii) maledictionis Divinæ exemplar, ob cædem in Dominum Salvatorem perpetratam, vel ob alia in Deum crimina graviſſima olim commiſſa. Illa enim quorundam commixtio cum aliis populis non æquè Deo exoſis, (tametſi barbaris,) certum indicium eſt, tum mitigatæ aliqua ex parte iræ Dei eis incumbentis, tum etiam propinquioris eorum illuminationis, quòd nimirùm priùs quàm alii ſui populares rigorem adhuc *Judaicum* retinentes, (ut jam ſupra (*p*) inſinuatum eſt,) ad felix illud Regnum ultimi temporis *Iſraëli* promiſſum, perventuri ſint. Atque hæc ſunt ea, quæ occaſione *primæ* de *Iſraëlitarum* inveſtigatione (ubinam ſint?) ſententiæ, (quæ eſt Judæorum,) dicenda habuimus. Ad alteram jam veniamus ſententiam.

XVII. (2) Propiùs ad veritatem accedentes eruditi quidam inter Chriſtianos, exiſti-

(*p*) *Cap. 2. §. VI. pag. 27. & 28.*

existimant veteres illos *Israëlitas decem tribuum*, apud *Colchos, Tartaros*, & *Turcas*, aut saltem apud *Tartaros*, esse quærendos. Qui fuerint olim *Colchi*, & qui sint *Colchorum* illorum posteri, ex nostris *Originibus Hungaricis* (q) disci potest. Fuerunt nempe illi, partim *Hungarorum* quorundam majores, partim ii, qui *Hungaris* olim constanter fuêre sociati; ut quidam *Alani*; partim etiam reliquiæ colonorum cujusdam Regis *Ægypti* (scil. *Sesostris* juxta *Herodotum*,) in *Colchide* quondam relictorum. Posteriores duo populi, videlicet, *Tartari* & *Turcæ*, plùs quàm desideraretur, jam diu noti sunt Christianis. Verùm dupliciter errant sententiæ hujus Authores (ut ipsi eam proponunt) in hoc argumento. (*I.*) Quòd putant memoratos populos in solidum esse ipsissimam posteritatem (sub aliis nominibus) veterum *Israëlitarum* decem tribuum: sicut disertè Philippus *Mornæus* (r) hanc sententiam profitetur; præsertim de *Colchis* & *Tartaris*; quanquam etiam de *Turcis verisimile* hoc censet. Verba ejus sunt: *Ab iis* (scil. decem tribubus) *prodiêre partim Colchi*, - - *partim Tartari*. Et aliquantò post: *Idem* (inquit) *non minùs verisimiliter de Turcis credatur*.

Cæ-

(q) *Part.* 2. *pag.* 166. *& seq. usque ad* 173. (r) *De Veritate Relig.* Christianæ, *p.* 423. *edit. Herbor. an.* 1609.

Cælius etiam Auguſtinus *Curio* de *Turcis* ſic ſcribit: (*ſ*) *Nec deſunt, qui Turcarum originem ad DECEM illas Iſraëlis TRIBUS, quæ in Mediam translatæ fuiſſe -- leguntur, referant. Leunclavius* quoque (*s*) cenſet ſententiam iſtam de ficta illa *origine Turcarum non eſſe temerè rejiciendam.* (Non quidem *temerè*, ſed cum fundamento mox indicando, meritò eam rejicimus.) De *Tartaris* verò ſeorſim, Libellum etiam peculiarem ſcripſit *Anglus* quidam (idiomate Nationis ſuæ) nomine *Fletcher*, quondam *Elizabethæ* Reginæ *Anglorum* Orator apud Ducem *Moſcovitarum* reſidens, cum hoc titulo: *THE TARTARS,*
„ *or TEN TRIBES.* H. e. *Tartari, ſeu, Decem Tribus.* Ac mox ſubjicitur ſumma Tractatûs his verbis: *That the Tartars are the Ten Tribes, who were carried Captives, and transplanted by the Aſſyrians.* Hoc eſt: *Quòd TAR-*
„ *TARI ſint DECEM TRIBUS, quæ captivæ fue-*
„ *rant abductæ, & transplantatæ* (in colonias)
„ *ab Aſſyriis.* Edidit in lucem hunc Tractatum D. *Samuel Lee*, Londini an. D. 1677. (at *Præfatio* data eſt an. D. 1667. d. 7. Aug.) cum titulo paulò largiore; cujus ſecundâ Parte, proprium ſuum opus deſignat. Titulus ſic ſonat: *Iſraël Redux*: ſeu, *Reſtauratio*

(*ſ*) *Sarracen. Hiſt. Lib. 3. pag. 56.* (*s*) *Pandect. Turc. n. 22. pag. 120.*

tio Iſraëlis, in duobus Tractatibus exhibita. Primus continet ſpecimen ſuper probabilibus quibuſdam argumentis, quòd hodierni TARTARI propè Caſpium mare, ſint POSTERITAS DECEM TRIBUUM Iſraëlis. (Atque hic primus Tractatus eſt memorati *Fletcheri.*) *Secundus* (continet) *Diſſertationem concernentem antiquum & ſucceſſivum Iſraëlitarum illorum ſtatum, cum perſpicuis aliquot Scripturæ argumentis, docentibus futuram eorum converſionem & ſtabilitionem* (ſeu reſtitutionem) *in propriam ipſorum terram.* Hæc illi. Fuiſſe verò quoſdam & ante illos dudum, (h. e. circa an. D. 1250.) qui putârint populos *Tartariæ* (ut & *Cumanos* ad Caucaſum) prodiiſſe à dictis *Iſraëlitis*, notavit memoratus *Samuel Lee* ex Matthæo *Pariſienſi.* Placet hîc apponere de *Tartaris* verba ejuſdem *Matthæi Pariſienſis*, ſeu rectiùs *Paris* dicti, natione *Angli*, Monachi Albanenſis, qui ad mandatum Papæ *Innocentii* IV. conſcripſit Hiſtoriam *Anglorum*; floruit autem an. D. 1248. & ſequ. & obiit an. D. 1259. (†) *Creduntur*, (inquit ille,) *iſti Tartari, quorum memoria eſt deteſtabilis, fuiſſe de DECEM TRIBUBUS, quæ abierunt relictâ Lege Moſaicâ poſt Vitulos aureos; quos etiam Alexander Macedo*, (ait,) *primò conatus eſt includere in præ-*

(†) *Matth.* Paris *Hiſt. Angl. in* Henric. *III. ad an. D.* 1241. *pag.* 370. *edit. Pariſ. an.* 1644.

præruptis montibus Caspiorum molaribus bituminatis. Et paulò infra: *Emergit autem dubium, si isti sunt nunc exeuntes Tartari, cùm non utantur linguâ Hebraicâ, nec Legem sciant Mosaicam, nec utantur vel regantur Legalibus institutis. Ad quod respondetur: quòd nihilominùs credibile est, quòd isti sunt de inclusis, de quibus mentio prælibatur. Sed sicut etiam adhuc in ducatu Mosaico, corda eorum rebellia in reprobum sensum sunt conversa, ita ut irent post Deos alienos, & ritus ignotos; ita & nunc magis prodigialiter, ita ut ab omni alia natione (*) ignorentur, cor eorum & lingua confunditur, & vita in ferinam crudelitatem & insipientiam Deo vindice commutatur.* Hæc vel ideò ex Authore *Catholico* haud recenti in medium adducere placuit, ut ex his pateat, non novam esse opinionem apud Christianos de dictis *Israëlitis decem tribuum*, quòd in alias transierint Nationes. Nec dubito, citatos Authores ævi recentioris, præcipuè in verbis *Matthæi Paris* suam fundâsse sententiam, latiùs etiam (per quosdam eorum) ad *Turcas* & alios extensam.

XVIII. At verò falli hos in illa de *Colchis*, *Turcis* & *Tartaris* (ut & *Camanis*) sententia; apparet ex hoc, quòd etiamsi multi ex antiquis *Israëlitis* immixti sint memoratis illis populis, (ut statim pleniùs men-

(*) *In textu*, ignoretur.

tem noſtram hac de re aperiemus;) nihilominùs tamen manet verum, dictos illos populos, principali ſuî parte eſſe genuinos poſteros veterum *Scytharum*, vel populorum *Aſiaticorum* extra *Hebræos*. Quod de *Colchis* (potiori eorum parte,) non erit obſcurum ei, qui noſtras *Origines Hungaricas* attentè evolverit. De *Turcis* autem & *Tartaris*, peculiari Tractatû, ubi & quando Deo placuerit, idipſum nitemur demonſtrare: quanquam etiam de illis lux aliqua ex noſtris *Originibus* affulget, quòd ſint (potiori ſui parte) *Scythicæ* originis. Interim de *Turcis*, (quorum genuini conſanguinei ſunt *Tartari*, ſeu *Tatari*,) ablegamus nunc Lectorem ad *Byzantinos* Scriptores; inprimis ad *Menandrum* & *Theophanem* Byzantinum, ſi fortè titubet de eo, quòd *Turcæ* origine antiquâ ſint veri *Scythæ*. Hæc de primo illorum errore.

XIX. Errant (*II.*) in hoc, quòd diſperſionem, ac nidum, (ut ſic loquar) inventionis dictorum *Iſraëlitarum* adeò coarctant, ut ferè tantùm intra *Colchos*, *Turcas*, & *Tartaros*, eoſdem concludant, (imò aliquis eorum, ut jam vidimus, tantùm ſub nomine *Tartarico* eos comprehendit,) cùm tamen etiam de aliis populis *Scythicis*, ac cæteris *Aſſyriorum*, *Babyloniorum*, & *Perſarum* vicinis

cinis quondam vel ſubditis debuiſſent aliquid hac in re cogitâſſe. Mox enim patebit, non ſolùm inter illos (*Colchos* nempe, *Turcas* & *Tartaros*,) fuiſſe diſperſos veteres *Iſraëlitas*.

XX. Ergo (3.) Sententia noſtra, utpote veritati rei congrua eſt hæc, quòd *Iſraëlitæ decem tribuum*, quæ nunquam leguntur in patriam reverſæ, vel Hieroſolymitanis poſt ſuam abductionem aliquâ ratione ſociatæ, unà cùm aliis è *Juda*, *Levi*, & *Benjamin* pariter nunquam reverſis, vel nunquam Reipublicæ *Judaicæ* conjunctis, iiſdem populis temporum ſucceſsû, ac per vices diverſas ſunt immixti, unuſque populus cum iis facti, in quibus fuerant diſperſi; poſteriores nempe, (è *Juda*, *Levi* & *Benjamin*) ipſis *Babyloniis*, eorumque ſubditis, & conſequenter illis quoque, qui proximè *Babyloniis* ſucceſsêre in imperio; h. e. *Perſis*, & *Perſarum* ſubditis atque viciniis: priores verò, id eſt, *Iſraëlitæ decem tribuum*, populis primùm *Mediæ*, (*Aſſyriis* tunc junctæ) in tractu *Halach*, (ſive *Hala*,) *Chabor* & *Gozan*, juxta 4 Reg. 17. v. 6. & 18. v. 11. atque in *Ara*, (ſive *Hara*) juxta 1. Paral. 5. v. 26. (quæ eſt S. *Hieronymo* (t) ipſa *Rages* Civitas *Medorum*; de qua eſt mentio To-

(t) *In Quaſt. & Tradit. Hebr. in 1. Paral. cap. 5.*

biæ 1. v. 16.) & labentibus annis, iis qui post *Assyrios* dominium terrarum illarum aliquamdiù tenuerunt. Tenuerunt autem non solùm *Babylonii* & post hos *Persæ*, sed & *Scythæ* aliquando: ut statim (†) patebit. Unde sequitur *Israëlitas* illos non solùm *Medis*, *Assyriis*, *Babyloniis*, & *Persis*, eorumque subditis & colonis, (qui sanè quàm latè patuerint, patet ex Historiis sacris & profanis; inprimis de *Rege Persarum Assuero* scribitur, quòd (*u*) *regnârit ab India usque ad Æthiopiam, super centum & viginti septem provincias*,) sed & *Scythis* variarum linguarum & populorum, ipsorumque coloniis ad *Orientem*, *Septentrionem*, *Occidentem*, imò & ad *Austrum* longè latèque disjectis ac disseminatis esse (*) *immixtos*. Argumenta nostræ hujus sententiæ generalia antequam producam, specialiùs de *Scythis* aliquid hîc ad scopum nostrum præmittere debeo, ex quo pateat, *Israëlitas* memoratos inter *Scythas* etiam & eorum colonias esse quondam dispersos.

XXI. Cùm constet *Scythas* jam ab antiquis-

(†) *S. XXI. h. cap.* (*u*) *Esth.* 1. *v.* 1. (*) Immixtio illa Israëlitarum *non solùm per viros*, *sed & per mulieres* Hebræas *Gentilibus junctas facta fuisse censenda est*, *eò quòd olim Deus eos quoque pro nativis* Israëlitis *habuit*, *qui ex sola matre* Hebræa *per virum alienigenam ortum habuerunt: ut patet* 1. *Paral.* 2. *v.* 34. 35. *& sequ.*

quiſſimis temporibus, adhuc ante *Aſſyriacam* Iſraëlitarum captivitatem, habuiſſe ſuas ex *Aſſyria* & *Media duas colonias maximas*; ut ex *Diodoro* Siculo (*v*) clarum eſt; qui ſpecialiùs etiam notat, *Medicam* eorum *coloniam* ad *Tanaim* fluvium extitiſſe; quocum ea in parte conſentit (*x*) *Plinius*; hinc ultrò colligere par eſt, hoſce *Scythas*, ſuccedentibus etiam temporibus ſubinde *Medos* (ſuos vicinos) & *Aſſyrios* infeſtâſſe, atque etiam victores nonnunquam ſuper eos, vel ſuper aliqua parte eorum evaſiſſe; uti eventus etiam id docuit. Inde eſt, quòd ſcribit *Herodotus*, (*y*) *Scythas* tempore *Cyaxaris* Regis *Medorum*, ſub cujus regni initium, nondum florebat *Babyloniorum* imperium, ſed pars eorum *Cyaxari* parebat, (annis nimirum circiter 633. an nat. Chriſtum, paulò ante celebris illius *Nabuchodonoſoris* imperii initia, & poſt *Aſſyriacam* ſub Rege Salmanaſare *Iſraëlitarum* captivitatem annis circiter 105.) *Scythas*, inquam, *Aſiæ* imperium per *viginti octo annos* tenuiſſe, ac præcipuè *Mediam* ſub ſua poteſtate habuiſſe. Ex quo credere par eſt, quòd ut antea, ſic etiam hoc tempore ſuos colo-

(*v*) *Diod. Biblioth. Lib. 2. & ex eo* Origin. Hung. *Part. 1. pag. 7. & 8.* (*x*) Plin. *Hiſt. Natur. Lib. 6. c. 7.* (*y*) *Lib. 1. & ex eo* Origin. Hung. *Part. 1. p. 4. 5.*

nos ex *Mediæ* & regionum ad eam tunc pertinentium (inprimis *Assyriæ*) incolis, iterum in *Scythia* adauxisse. Quis verò credat in medio populorum hunc in modum transplantatorum, non fuisse aliquos etiam è semine *Israëlitico*? Imò consideratô hac in re Divini consilii scopo, (qui erat ita dispergere *Israëlitas* in varias Gentes, iisque immiscere, ut unà cum iis demùm ad bonum promissum pervenirent,) non aberrabimus à vero, si dicamus istâ victoriæ *Scytharum* in *Asia* occasione, multos ex *Israëlitis* in eorum potestatem devenisse. Atque hinc est, quòd *Hebræi* jam *Aristophanis* tempore, h. e. annis circiter 430. ante nat. Christ. & pòst *Assyriacam* captivitatem annis circ. 300. adeò numerosi fuêre inter *Thraces*, (ad quos proximè non aliâ viâ commodiore ex sua dispersione transiêre, quàm per *Scythas*, qui jam olim teste *Diodoro* Siculo, (z) inde à *Tanai ad Thraciam usque* regiones sibi subjecerant,) ut eorum *exercitûs* cujusdam bellicosi sub *Sitalce* faciat mentionem ipse *Aristophanes*. (a) Hos quidem Thraces *Odomantes* ipse vocat; sed cùm describit eos, quòd *genitalia præcidere* seu

(z) *Biblioth. Lib. 2. & inde in* Origin. Hung. *Part.* 1. *pag.* 7. (a) *Aristoph. in Acharnens. Act.* 1. *Scen.* 4. *p.* 378.

ſeu circumcidere ſoliti fuerint; (nimirùm illô adhuc tempore, hunc ſuum ritum retinuerunt, quamvis jam hi *Scythis*, & per eos *Thracibus* eſſent immixti & incorporati;) ſatis ex eo non nobis ſolùm, ſed jam olim ipſis Græcis noſcendos eoſdem dedit, quòd fuerint origine *Hebræi*. Hinc eruditus ejus *Scholiaſtes* ſcribit de iis: (*b*) φασὶ δὲ ἀυτὰς Ιεδαίες ἐιναι. H. e. *Dicunt autem eos Judæos eſſe.* Ubi *Judæos*, more non ſolùm apud Græcos, ſed & apud alios dudum receptô, pro *Hebræis* in genere accipit.

XXII. Quomodo autem etiam è *Babylonicæ* captivitatis reliquiis, h. e. è non reverſa parte tribuum *Juda*, *Benjamin* & *Levi*, aliqui potuerint ad eoſdem *Scythas* diſpergi; non magnô labore inveniemus, ſi hiſtoriam *Perſarum*, *Parthorum*, & *Hunnorum* hanc in rem attentô animô excuſſerimus. Notum eſt *Babyloniorum* imperium, & cum imperio ipſos captivos ac ſervos eorum, tranſiiſſe ad *Perſas*; *Perſis* ſucceſſit in imperio *Alexander* M. unà cum ſuis *Græcis*; *Græcis* demùm in Oriente, annis circiter 246. ante nat. Chriſt. ſucceſsêre *Parthi*, populi (*c*) *Scythicæ* originis; quibus deinceps parebat

(*b*) *Ibid. in* Ariſtoph. (*c*) Juſtin. *Hiſt. Lib.* 41. *ſub init.* & *confer* Origin. Hung. *Part.* 2. *c.* 13. *p.* 174. & *ſequ.*

rebat non solùm *Parthia* sua, sed & *Media*, *Persia*, *Assyria* & *Babylonia*; usque dum post annos 472. h. e. an. D. (*d*) 220. victi fuêre à *Persis*, atque iterum ad hos imperium memoratarum Regionum rediit. Insuper *Hunni* in *Scythia* non solùm *Turcici* generis, (ut *Simocatta* sui seculi respectû, videtur, si non in totum, præcipuâ tamen parte *Turcas* eô nomine intelligere,) sed in genere, qui hôc nomine olim inter *Scythas* sunt vocati, adeò terrori fuêre Persis, (paucis post natum Christum seculis,) ut *Persæ* (*e*) pacem ab *Hunnis* annuatim *quadraginta aureorum millibus* redimere cogerentur; quô lucrô, quamvis jam seculo sexto (circa an. D. 589.) usque ad *Hormisdam* Regem Persarum, soli *Turcæ*, aut illi potissimùm ditarentur; ipsos tamen genuinos *Hunnos*, (h. e. Hungarorum majores,) quos ad Septentrionem *Persæ* sibi vicinos quondam habebant, in hac *Persarum* redactione sub tibutum, præivisse *Turcis*, facilè colligi potest ex maxima *Hunnorum* sub exitum seculi quar-

(*d*) *Ita* Petavius: *at* Bucholcz. *hunc finem Regni* Parthorum *ad an. D.* 226. *ponit*. (*e*) Simocatt. *Hist. Lib.* 3. *c.* 6. *pag.* 69. *In text. Græc. Simocattæ*, Medi *hîc habentur: ficut & supra* Parthos *posuit pro* Persis. *Sed rectè quoad sensum Interpres* Persas *vertit: de his enim ibi agitur; qui etiam* Medos *&* Parthos *tunc sub se habebant.*

quarti, & initium quinti potentia; qui eodem tempore non solùm in *Europam* fortissimâ cum manû eruperunt, (antiquâ suâ patriâ, *Daciâ* nimirum cum *Pannoniâ* sibi vendicatâ,) sed etiam in *Asia* (*f*) circa *Antiochiam*, & in tractu *Euphratensi* longè latèque populati sunt. Annon in tanta *Hunnorum* (in genere) adversùs Orientales populos prævalescentia, valde probabiliter conjicere possumus, Divinâ providentiâ, propter secuturam demùm posterorum hujus populi conversionem, aliquos etiam è memoratis tribubus *Israëlis* suâ dispersione & confusione cum aliis nationibus, in potestatem dictorum quoque *Hunnorum* venisse, ac iis demum, populisque eorum fœderatis incorporatos esse?

XXIII. His ita positis, facilè etiam conjiciemus, unde sibi *Judæi* medios inter Scythas *Chozaræos*, aliter & rectiùs *Chazaros* dictos (qui *Tartarorum* & *Turcarum* quorundam fuêre progenitores,) finxerunt suorum popularium (seculo octavo) regnum illud, de quo jam supra (*g*) meminimus; vel unde saltem evenit, ut *Chazarorum* illorum Rex, adeò se placidum *Judæis*, (in per-

E 5 sona

(*f*) *Vide* Hieron. *in Epitaph. Fabiol. & Nepotian. item*, Philostorg. *Lib.* 2. §. 8. *& ex iis* Origin. Hung. *Part.* 1. *c.* 3. *p.* 84. 85. 87. (*g*) §. *IX. b. cap. pag.* 43. 44.

ſona cujuſdam *Rabbi*, nempe Iſaaci *Sangar*) exhibuerit, (dicto ſeculo octavo,) ut ipſi in quodam ſuo Libro, *Cozri* dicto tradunt. Procul dubio Diabolus per eos in illo ficto ipſorum regno, ac etiam in traditione de *Rege Cozri*, (hoc eſt, *Chazarorum* Scytharum) ipſis favente, (imò ut alibi extra Librum *Cozri* fingunt, (*b*) planè ad *Judaiſmum* converſo,) id fallaciter occultavit, quòd multi olim ex populo *Hebræo* ſunt inter eos diſperſi, ac demum etiam iis immixti; quæ immixtio ſecum tulit, ut ipſi *Hebræi* aliquid ſaltem etiam de priſtinis ſuis ritibus & traditionibus (ſi non perpetuò, aliquamdiu ſaltem) retinerent, & per ipſos ad *Chazaros* etiam *Scythas* tranſiret: ita tamen illud ſucceſsû temporum à Gentilium (utpote plurium ac potiorum) placitis & traditionibus obrueretur, ut vix demùm dignoſceretur, an ex *Hebræis* ortum habeat, vel an ſit *Hebraicum* nec ne. Quàm fuerint autem potentes *Chazari* illi poſt *Hunnorum* & *Hunno-Abarum* è Scythia egreſſum, præſertim ſeptimo & octavo (poſt nat. Chriſt.) ſeculis, (ut & hoc obiter hìc inſinuem,) utpote qui tunc inde ab interioribus *Scythiæ* partibus, uſque ad *Bosporum* Scythicum, & *Cherſoneſum Tauricam*, (ubi nunc eſt *Tartaria*

(*b*) *Vide ſupr. cit. §. IX. hôc cap. pag.* 44.

taria Præcopensis,) imperium ac sedes suas extenderunt; patet ex *Nicephoro* (*i*) C. P. & *Theophane* (*k*) Chronographo. Unde non mirum, quòd planè circa tempus tantæ eorum potentiæ, finxerunt *Judæi* se habuisse Regem *Cozri* (h. e. *Chazarorum*) ad sua dogmata conversum, & potens apud *Chazaros* suorum popularium regnum. Vel saltem tanta *Chazarorum* potentia allicere tunc potuit *Judæos* etiam eos, qui erant ex posteris interfectorum Christi Domini, ut confertim se ad eos conferrent. Sed hæc obiter, & in digressu.

XXIV. Non diffitentur autem, imò ultro agnoscunt ipsi quoque *Judæi*, multos olim *Hebræos* disjectos fuisse etiam ad *Scythas*: ut patet ex sequenti testimonio Judæi Abrahami Peritzol: (*l*) *Ad lineas* (vel *tractus*) *Orientis est Hodu, quæ est India intra & extra Gangem, & regnum Sericæ magnum & mirandum; - - una cum duabus regionibus tendentibus versùs Aquilonem, dictis,* (†) *Scythania* (seu *Scythia*) *exterior,* (nempe *extra Imaum* montem,) *in medio tractûs montium, longè protractorum; & ibi JUDÆI MULTI CONCLUSI sunt.*

(*i*) Niceph. *Breviar Hist. p.* 23. (*k*) Theoph. *in Fragm. p.* 76. *&* *confer* Origin. Hung. *Part.* 1. *pag.* 225. 226.
(*l*) *Itiner. Mund. cap.* 9. (†) *Hebr.* הנקראים סקיטאיאה איסטירא.

sunt, ex sententia Scriptorum. Non obstat scopo nostro, quòd hujusmodi narrationes *Judæorum* de suis popularibus sunt fabulosæ. Nam sub talibus fabulis & figmentis eorum subest illa veritas à Diabolo tecta & obfuscata, quam supra jam (*m*) insinuavimus: quòd nempe multi olim *Israëlitæ* sunt in iis Regionibus, de quibus ipsi suas nugas referunt, dispersi, ac demùm in dies populis talium Regionum immixti. Sic jam dubitare nullâ ratione possumus, quin ad *Scythas* etiam multi Hebræorum quondam fuerint disjecti & dispersi. Esse autem illis admixtos, & in unum cum iisdem populum redactos, æquè ac cum aliis suæ dispersionis populis, argumentis validis jam promissis, infra suo loco (*n*) ostendemus. Porrò obiter insinuare & illud hîc volo, quòd aliqui (*o*) *Hebraicum* (seu *Chaldaicum*) illud in itinere Hebræorum ex Babylone reducum loci cujusdam nomen, *Casiphja*, seu *Chasphia*, 1. Esd. 8. v. 17. existimánt à mari *Caspio* (meditullio nempe veterum *Scytharum*) esse desumptum; quod si ita esset, tantò evidentiùs pateret nobis, quàm multi olim *Hebræorum* potuerint populis

pulis

(*m*) *§. XIII. hôc cap. pag. 53.* (*n*) *§. XXVIII. XXIX. & seq. h. cap.* (*o*) *Vide V.* Bedam *in* 1. *Esdr. c. 8.* (*al. ipsi, c.* 10.) *Oper. Tim.* 4. *& inde* Gloss. *Ordin.*

pulis *Scythicis* immiſceri; ſed antequam pleniori de loco illo, & origine nominis illius luce inſtruar, nolo ex eodem nomine quicquam hîc pro *Scythis* ad ſcopum meum colligere.

XXV. Dum hîc de *Scythica* Hebræorum antiqua diſperſione loquimur, lubet hîc & illud eruditis inſinuare, quales populos quoſdam *Hebræi* olim in medio *Scytharum* cognatam vel eandem ſecum de futura hominum *immortalitate*, tametſi fabuloſam tenentes ſententiam offenderint: unde tantò faciliùs cum talibus in unum coaleſcere potuerunt. *Getas* enim (p) *Scythicæ* originis populum *Herodotus* (annis circiter 443. ante nat. Chriſt.) vocat (q) *ἀθανατίζοντας*, h.e. *Immortalizantes*, ſeu dogma de ſuî poſt mortem *immortalitate* tenentes, quaſi etiam corpora eorum, quæ videntur in oculis hominum interire, mirô aliquo modo ad *immortalitatem* demùm transformarentur, & cum animabus eorundem in æternum victura eſſent. Hanc etenim fuiſſe mentem *Scytharum* illorum, (*Thracibus* nempe ad utramque *Iſtri* ripam quondam vicinorum,) apparet ex ſubjunctâ ejuſdem *Hero-*

(p) *Vide* Origin. Hung. *Part.* 2. *cap.* 11. *pag.* 15. 16. 17. 21. 22. *collat. Part.* 1. *c.* 10. *p.* 439. (q) *Herod. Lib.* 4, *cap* 93.

autem de *Getis* ista referimus, reflectere nos debemus ad id, quod non ita pridem (*s*) ex *Aristophane* & ejus *Scholiaste* retulimus, fuisse nempe quosdam *Hebræos* jam circiter 430. ante nat. Christ. annis *Thracibus* immixtos. Unde conjicere facilè possumus, non defuisse jam tunc ex eodem semine aliquos etiam inter eorum vicinos *Getas*; qui (sensû latiori accepti) partim *Daci*, partim *Jasi*, (aliter (*t*) *Jatæ*, unde *Getæ*,) hoc est, *Jazyges* fuêre. Sic accessu & admixtione *Hebræorum* tantò radicatior facta est illa de beata *immortalitate* sententia inter *Getas*, & fortè etiam adaucta. Nota est doctis etiam fabula felicitatis (*u*) *Hyperboreorum* (ut vocant) *Scytharum*, & Regionis eorundem. Primum illud, quod de *immortalitate* sua *Getæ* Scythæ fabulosè tradiderunt, umbram habet futuræ *resurrectionis* mortuorum, & æternæ *beatitudinis* Sanctorum. In altero Diabolus ut *Simia* Dei, (cujus tamen scopus erat, more suo, sui seculi homines mendaciis lactare, & iis immersos tenere,) crassam & rudem delineationem ejus felicitatis expressit, quam in *Adamo* quidem genus humanum per-

(*s*) *S. XXI. hôc cap. pag.* 70 (*t*) *Ita apud* Steph. *de Urb. Vid.* Origin. Hung. *Part.* 1. *p.* 439. *collat. Part.* 2. *pag.* 21. 22. (*u*) *Vide de his* Plin. & Diodor. *Sicul.*

perdidit, sed ea per Christum electis est restituenda, atque sic eâdem fruiturus est demùm etiam populus Aquilonaris, scil. tum *Scythicus*, tum *Israëliticus* Scythico intermixtus, dum ex potestate ipsius Diaboli Divinâ misericordiâ plenè eripietur. (Hîc lucis uberioris causâ consulenda sunt ea, quæ in *Clavi Prophetica* de *Restitutione omnium* (ipsa nempe Scripturæ S. phrasi) diximus.) Hæc occasione investigatæ inter *Scythas* dispersionis *Hebræorum*, seu *Israëlitarum*, dicenda nobis erant.

XXVI. Dum verò in hac *Israëlitarum* investigatione *Scytharum* nominis meminimus; per *Scythas* intelligimus omnes illos populos, qui origine antiquâ sunt ex *Scythis*. Sic (1.) *Turcæ* & *Tartari*, nec non *Parthi* & *Bactriani* extra omne dubium hîc sub nomine illo includuntur. (2.) Includuntur hîc *Hunni*, (uti & *Cumani*,) item, *Hunno-Abares*, & *Hungari* specialiùs dicti, ut genuini veterum *Hunnorum* posteri. (3.) *Sclavi* multi, *Sarmatæ*, *Alani*, *Gothi*, *Wandali*, *Rugii*, *Bulgari*, *Servii*, *Bosnenses*, *Croatæ*, *Moravi* cum *Bohemis* non paucis, & *Longobardi*; ut qui etiam antiquam & remotam suî originem, potiori suî parte ex *Scythis* trahunt. (*Dalmatas* etiam multos sub nomine latiori *Sclavorum* hîc includimus.) Contendimus nempe

inter

inter hos omnes ita olim fuisse multos *Israëlitarum* dispersos, ut lapsû temporum iisdem etiam fuerint immixti; ac per hoc illos inter hos quoque esse quærendos. De populis *Scythicis* jam *Christianis* factis dubium quoddam infra (*v*) amovebitur. Sciendum tamen est, non deesse adhuc etiam inter barbaros *Scythas*, *Hunniaci* ac *Hungarici* sanguinis populos: quod non esset difficile mihi probare, si hîc esset proprius ejus rei probationis locus. Quando illi *Christiani* fient, tunc longè pleniùs patebit, quàm multi olim *Israëlitæ* etiam *Hungaris* fuêre immixti.

XXVII. Inter *Colchos* etiam fuisse dispersos olim *Israëlitas*, colligitur non solùm ex eo, quòd etiam *Scythici* populi, videlicet *Hungari* & *Alani* quidam *Colchidem* quondam inhabitârunt; sed vel maximè ex hoc, quòd *Colchi Assyriis*, *Medis* & *Persis*, ut & *Babyloniis*, (primis & antiquis *Israëlitarum* captivorum dominis,) longè propiores fuerunt, quàm *Aquilonares* quidam populi; ad quos tamen negari non potest, dispersos aliquos *Israëlitas* quondam pervenisse. Atque idem de *Syris*, *Sarracenis*, *Armenis*, *Iberis* & *Albanis*, quantum ad istam vicinitatem est dicendum. *Indos* quoque & *Chinenses* ob eandem

F (cum

(*v*) *S. XXXIV. hôc cap.*

(cum *Persis* præsertim) vicinitatem, (quibus utrisque etiam *Scythæ* orientales vicini fuerunt, imò aliqui *Scytharum* inter *Indos* quoque habitârunt,) non esse excludendos à participatione dispersorum veterum *Israëlitarum*, unusquisque rerum Historicarum & Geographicarum peritus ultrò concedit. Ipsi verò *Judæi*, longè plus etiam de suis in *India* popularibus (*x*) spargunt, quàm est rei veritas. Sed ipsorum figmenta de potentia & regno suorum in Oriente popularium, non obstant, quò minùs credamus hanc subesse astû Diaboli in iis occultatam veritatem, (ut & supra (*y*) de aliis locis & populis notavimus,) quòd non pauci olim *Israëlitæ* iis fuerint immixti, suo tempore convertendi ad Christum, & potenter manifestandi. Omnibus *Judæorum* narrationibus fabulosis, de dispersis olim inter *Indos Israëlitis*, longè præferendum est illud *Sulpitii* Severi testimonium: (*z*) *Decem verò* Tribus *priùs ductæ, per Parthos, Medos, INDOS atque Æthiopas dispersæ, nunquam in solum patrium sunt regressæ; hodieque barbararum Gentium imperiis continentur.* (Hæc

(*x*) *Vide Abrah.* Peritzol, *Itiner. Mund. cap.* 24. *pag.* (*mihi*) 149. 150. 151. *ubi etiam de ficto eorum fluvio* Sabbatico *habetur. Confer* Benjamin. *pag.* 112. (*y*) *S. XIII. b. cap. pag.* 53. (*z*) *Sac. Hist. Lib.* 2. *pag.* (*mihi*) 76. 77.

(Hæc ille an. D. 400.) Habemus hîc etiam de *Æthiopibus*. Nec mirum, cùm *Persarum* veterum (*Israëlitas* per successionem sub se habentium) imperium usque ad *Æthiopiam* (*a*) fuerit extensum. Subjungo hîc illud de *Indis*, quòd aliqui *Protestantium*, quosdam *Muhammedanos* (*b*) in *India* cum aliis quibusdam *Indis* non ita pridem (ut scriptum quoddam typis *Ultrajecti* editum refert,) ad Christianismum conversos, censent ortum suum ducere ex *decem* Israëlis *tribuum* aliis Nationibus immixtarum reliquiis. De *Græcis* autem, & vicinis minoris *Asiæ* populis, aliisque ibidem propinquioribus, ob *Græcorum* (*Persis* quondam succedentium) imperium, dubitari nequit, quin & illis olim aliqui *Israëlitæ* fuerint admixti: quorum posteri tunc se manifestabunt, quando tempus recollectionis, & plenæ *Restitutionis* populi *Israëlitici* aderit. De *Ægyptiis* etiam, quantum ad *Israëlitas* decem tribuum, aliquâ saltem parte (quà nempe *duabus* etiam *tribubus* aliqui illorum fuêre juncti,) ad eos quoque disjectos, probabiliter colliget ille, qui novit antiquissimam & certissimam *Judæorum* quorundam post devastatam per

 Ba-

(*a*) *Esth.* 1. *v.* 1. (*b*) *De his vide Epist. Franc. Valentini*, Amboinâ *Civit. Ind. Orient.* 4. *Jun. An.* 1686. *ad Joan.* Leusden *dat.*

Babylonios Hierosolymam, transmigrationem in *Ægyptum*, Jerem. 43. v. 5. 6. 7. & 44. v. 1. ubi successû temporum longè magis adaucti sunt; (2. Mach. 1. v. 1.) adeò quidem, ut demùm *Onias* (c) Pontifex, *Templum* etiam quadantenùs Hierosolymitano simile, circa annum 160. ante nat. Christ. in tractu *Heliopolitano* illic pro *Judæis* exstrui fecerit. Hinc, & insuper ex consideratione amplitudinis veterum ante nat. Christ. imperiorum,(sub quibus *Hebræi* erant,) valde probabiliter colligimus, aliquos etiam è *decem tribubus* fuisse olim in *Ægyptum* quoq; disjectos. Quòd autem etiam inter *Occidentales* populos *Christianos* lateant aliqui eorundem *Israëlitarum*, infra (d) patebit. Sic impletum est in illis, illud comminationis Divinæ verbum: *Et dispergaris per OMNIA REGNA TERRÆ*. Deut. 28. v. 25. & ibid. v. 64. *Disperget te Dominus in omnes populos*. Et quod de *Juda* ac *Benjamin* prædictum erat per Ezechielem, (cap. 5. v. 12. & cap. 12. v. 14.) quòd *dispergendi* essent *in omnem ventum*, idem evenit etiam *decem tribubus*. (Confer hîc Eccli 48. v. 16. & Ezech. 36. v. 19.)

XXVIII. Postquam nidos dispersionis veterum *Israëlitarum* non apparentium, & con-

(c) *Vide* Joseph. *Antiqu. lib.* 13. *c.* 6. *collat. Lib.* 7. *de Bell. Jud. c.* 30. (*al. c.* 37.) (d) §. XXXV. *hoc cap.*

confecutæ eorum commixtionis cum aliis populis deteximus & recenfuimus ; argumentis jam oftendendum eft, ita illos fuiffe difperfos, ut fimul etiam immixti fint cum tempore populis illis,in quibus difperfi funt, feu quod idem eft,in eofdem populos, quantum ad externam apparentiam tranfierint. Argumenta mea pro ifta fententia hæc funt : (1.) Quia certum eft ab una parte, *Ifraëlitas decem tribuum*, (ut & alios fimilis fortis,) non prorsùs periiffe, fed alicubi adeffe in fuis pofteris in mundo; certum & iftud eft ab alia parte, *Ifraëlitas* illos in peculiaribus ac diftinctis fuis cœtibus ac focietatibus nullibi reperiri vifibiliter in Mundo. *Primum* (†) illud patet ex eo, quòd impoffibile eft, ut verbum Dei fallat, quod fubinde prædixit disertè futuram eorum *converfionem* & *reftitutionem*; ut in hanc rem clariffimum eft teftimonium illud, quod in noftro textu apud *Hofeam* (c. 3. v. 5.) habetur : quocum conferendus eft locus Mich. 2. v. 12. *Congregatione congregabo Jacob TOTUM Te ; in unum conducam RELIQUIAS ISRAEL.* Si quis dicat hanc & fimiles prophetias ad myfticum *Jacob*, & myfticum ac fpiritualem *Ifraëlem* pertinere, h. e. ad populum *Chriftianum* : ℞.

F 3 Ultrò

(†) *De altero argumenti hujus membro vid. §. 30. h. c.*

Ultrò & ego hoc fateor, sed tamen cum hac distinctione. *Israël* (ut & *Jacob*) mysticus seu *spiritualis* duplex est; (ad merè carnalem enim, quà talis manet, hujusmodi promissa non spectant;) nempe (1.mò) aut merè tantùm mysticus, ac spiritualis; videlicet ad similitudinem veteris *Israëlis* sic dictus, eò quòd ex aliis populis veteri populo *Israëlitico* in fœdus DEI successit. Sic omnes electi ex quacunque gente (extra Hebræos) ad Christum conversi sunt *Israëlitæ* (*e*) spiritualiter; ut patet ex Rom. 2. v. 28. 29. & 9. v. 7. 8. & Philip. 3. v. 3. Tametsi alii etiam Christiani præter electos, ob externam nominis & doctrinæ Christi professionem possunt ac debent dici *Israëlitæ* spirituales, saltem titulo-tenùs & externè, vel sensû latiori. Aut (2.dò) est aliquis ita *Israël* vel *Israëlita* spiritualis, ut simul origine etiam antiquâ sit ex *Israële* veteri, seu, ex *Jacob* Patriarcha. Sive, quod idem est, & spiritualiter & literaliter *Israëlita*: principali tamen & hîc habitô respectû ad spiritualitatem. Sic Joan. 1. v. 47. dicit Dominus de Nathanaële: *Ecce verè Israëlita*,

(*e*) *Confer hîc S.* Augustin. *Lib. 18. de Civ. Dei, c. 28. ibi*: Ipse quoque populus gentium spiritualiter-rectè dicitur Israël. *&* *Epist.* 200. *ad* Asellicum, *&* Justin. *Dial. cum Trypbon. p.* (*mihi*) 228. *&* 229.

ta, in quo dolus non est. Ubi dubium non est, quin Dominus maximè *spiritualiter* dicat eum esse *verè Israëlitam*; sed tamen ille ipse etiam *literaliter* (seu juxta carnis originem) fuit *Israëlita.* Ita etiam *Paulus* Apostolus, & alii fideles & sancti ex *Judæis* ejus tempore, fuerunt quidem etiam literaliter *Israëlitæ*, sed maximè *spiritualiter* & *in abscondito* (ut ipse loquitur) tales fuêre; juxta Rom. 2. v. 29. collat. Philip. 3. v. 3.

XXIX. In allata ergò *Micheæ* Prophetia, & similibus, (in quibus tam disertè & expressè de *Israëlitico* populo fit sermo,) secundarius quidem & remotior respectus est etiam ad *Israëlitas* tantùm mysticos ac spirituales, (in quantum illæ iis quoque aliquâ ratione sunt applicabiles,) hoc est, ad *Christianos* ex gentibus assumptos; (de quibus tamen peculiares etiam aliæ ac propriæ dantur prophetiæ;) at verò primarius & proximus respectus est ad eum *Israëlem*, qui & origine antiquâ, & sensû spirituali (in consilio Dei) est *Israël*; scil. vel jam est spiritualiter *Israël*, si Christi nomen & doctrinam profitetur, vel erit deinceps per veram conversionem. Absurdum enim est vel cogitare, Prophetas neglexisse suos in talibus prophetiis populares,

& non potiùs proximum (*f*) ac primarium eorum respectum habuisse. Confer hîc cum *Hoseæ* & *Michaæ* textu ad scopum argumenti, Isa. 27. v. 12. 13. Jeremiæ, 30. v. 10. 11. & 31. v. 1. 4. 5. 6. 9. 10. 11. 12. 35. 36. 37. & 33. v. 25. 26. & ibid. v. 7. juxta text. Hebr. & cap. 50. v. 19. 20. & Ezech. 36. v. 8. 12. 22. 26. 31. 32. & cap. 37. v. 22. 24. 25. Amos 9. v. 14. 15. Abd. v. 20. Soph. 3. v. 10. 13. Huc facit etiam insigniter locus ille, Rom. 11. v. 25. 26. *Cæcitas ex parte contigit Israël, donec* &c. *Et sic OMNIS ISRAEL salvus fiet.* Primum illud argumenti membrum confirmat omnium etiam illorum sententia, qui absque fabulis *Judæorum* constanter tenuerunt, (& tenent,) superesse alicubi in Mundo *decem tribuũ Israelitas*, quacunq; ratione illud fiat. Nec omittendum est hîc illud, quod disertè habetur de *decem Tribubus* in Scriptura sacra, *Dominum non dixisse, se deleturum nomen Israel de sub Cœlo.* 4. (al. 2.) Reg. 14. v. 27. *Sulpitii* Severi de iis sententiam jam supra (*g*) audivimus. S. *Hieronymus* autem sic de iis scribit; (*h*) *Regum narrat Historia, sub Roboam filio Salomonis duodecim tribus fuisse* (*i*) *divisas;* -- pri-

(*f*) *Vide & excute Act.* 2. *v.* 39. *& Psal.* 147. *v.* 19. 20. (*g*) *S.* 27. *b. cap. p.* 82. (*h*) *Comm. in Ezech.* 37. *v.* 16. (*i*) 3. (*al.* 1.) *Reg.* 12.

- - - *primasque decem Tribus captas ab Assyriis, & post aliquantum temporis, eas, quæ appellabantur Juda, à Chaldæis in Babyloniam ductas esse captivas; & tribum Juda post annos septuaginta antiquæ terræ redditam*; (scil. ex parte aliqua;) *DECEM autem TRIBUS, quæ vocabantur Israël, USQUE HODIE in montibus Urbibusque MEDORUM servire captivas.* Et alibi de iisdem sic docet: (k) *USQUE HODIE PERSARUM Regibus serviunt, & nunquam est soluta eorum captivitas.* Item: (l) *Israël & DECEM TRIBUS, usque HODIE in MEDORUM Urbibus & Montibus habitant.* Et Venerab. *Beda*, postquam præmisisset, (m) *verisimile videri*, eos, qui *sub Esdra Duce* (1. Esd. 7. & 8.) unà cum *Sacerdotibus & Levitis* redierunt in patriam *de decem tribubus* extitisse; (quod tamen tantùm de parte aliqua illorum concedendum est;) mox subjicit ista: *Tunc itaque* (scil. *sub Zorobabel* & *Josue*, 1. Esdr. 2.) *duæ tribus* (Juda & Benjamin) *maxima ex parte domum redierunt, ac Templum gravi cum labore restaurârunt. DECEM autem TRIBUS, quæ minorem Templi & Religionis curam habuerunt, jubente* (n) *licet Rege, in patriam redire neglexerunt, eò quòd destructô Chaldæorum imperio, sub Regibus Persarum,* qui

F 5

(k) *Comm. in Ose.* 1. *v.* 6. (l) *Idem Comm. in Joël. c.* 3. *v.* 6. (m) Beda *Exposit. Allegor. in* Ezram, *lib.* 2. *c.* 9. *Oper. Tom.* 4. (n) 1. *Esdr.* 1. *v.* 3.

qui gentem ipsorum diligebant, viverent. At verò cùm Templum reædificatum, & comprehensam esse Samaritanorum (†) invidiam compererant, tandem & de ipsis ALIQUI domum redire consenserunt; tametsi PLURES ibidem resederunt, quorum progenies USQUE HODIE eisdem in partibus detineri, & Persarum genti servire perhibetur. Hæc ille, qui obiit an. D. 731. Ante hos verò dudum *Josephus* (qui floruit anno D. 70. & sequ.) de iisdem, ut & de duabus tribubus sic scripsit: (o) *Literis* (Xerxis, seu Artaxerxis) *acceptis* (p) *Esdras, gavisus adoravit Deum. - - Advocatâ deinde Judæorum concione, qui apud Babylonem degebant, & perlectâ Epistolâ, ipsam quidem retinuit, exemplar verò ejus in Mediam ad omnes suæ gentis homines transmisit: qui cognitâ Regis erga Deum pietate, & erga Esdram benevolentiâ, omnes vehementer sunt lætati: multi verò ex eis, assumptis suis facultatibus Babylonem venerunt, cupientes reverti Hierosolymâ.* Et mox subjicit: ὁ δὲ πᾶς λαὸς τῶν Ἰσραηλιτῶν, κατὰ χώραν ἔμεινε. διὸ καὶ δύο φυλὰς εἶναι συμβέβηκεν ἐπὶ τε τῆς ἀσίας καὶ εὐρώπης, ῥωμαίοις ὑπακουούσας. αἱ δὲ δέκα φυλαὶ, πέραν εἰσὶν εὐφράτου ἕως δεῦρο, μυριάδες ἄπειροι, καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυνάμεναι. H. e. *Omnis autem*

(†) *Respicit ad cap.* 4. 5. & 6. *prim. lib. Esdr.* (o) *Joseph. Antiquit. Lib.* II. *c.* 5. (p) *Vid.* I. *Esdr.* 7. *v.* II. I2. & *sequ.*

tem populus (ſeu promiſcua turba) *Iſraëlitarum, in regione* (ſeu *ſede* ſua) *manſit.* (Gelenius ſenſum ſpectans ſic expreſſit : *Reliqua „ Iſraëlitarum multitudo, aſſuetum jam domicilium „ noluit relinquere.*) *Quapropter duæ tantùm tribus per Aſiam & Europam ſub Romano degunt imperio. DECEM autem TRIBUS nunc quoque ultra Euphratem ſunt, infinita hominum millia, quæ numero comprehendi nequeunt.* Hæc omnia teſtimonia oſtendunt, *Iſraëlitas decem tribuum* alicubi exiſtere in Mundo. Quæ verò objectio contra ſententiam à nobis poſitam formari hinc poſſet, ea infra (*q*) ſuo loco diluetur.

XXX. *Alterum* argumenti mei membrum (†) hoc erat: Certum eſt, *Iſraëlitas „ decem tribuum* in peculiaribus ac diſtinctis „ ſuis cœtibus & ſocietatibus nullibi re„ periri viſibiliter in Mundo. Quod ſic probatur. Quia nullus prorsùs fide dignus homo reperitur, qui teſtaretur nobis eos alicubi in ſuis diſtinctis ſocietatibus in forma Hebræorum inveniri ; nec etiam ulla fide digna relatio in ſcriptis de tali eorum in præſenti diſtincta ac ſeparata exiſtentia datur, (uti & ſupra §. IV. hôc cap. p. 33. in-

(*q*) *§. 80. b. cap. collat. §. 34. & 37. hôc cap.* (†) *Conſer lucis causâ de* primo *argumenti membro §.* XXVIII. *ſupra in hoc cap. pag. 85.*

33. insinuavimus;) tametsi hoc tempore peregrinationes hominum inprimis *Christianorum*, ad regiones remotissimas sunt frequentissimæ, & plurimi sunt Geographiæ peritissimi. Quomodo enim res tanti momenti hactenùs latuisset *Christianos*, tantum jam profectum in variis scientiis (inprimis Historicis & Geographicis) habentes? Nam *Judæorum* fabulas nihil hîc moramur, neque eorum relationem, qui figmentis illorum decepti, aliquid de dictis *Israëlitis* scripserunt, quasi essent illi alicubi distincti populi & ab aliis separati. Testimonia autem veterum de iis quomodo intelligenda sint, & quòd ea nostræ sententiæ non obstant, infra (r) dicemus. Deinde, si *Israëlitæ* illi, alicubi in suis distinctis cœtibus visibiliter existunt in Mundo; tum quæro; aut sunt illi aliis *Judæis* Christi hostibus in Religione conjuncti, aut minimè? At neutrum dici potest. Prius non: Nam iterùm quæram Judæos: quando illi desertâ priori suâ schismaticâ hostilitate, Politiæ Hierosolymitanæ, & Religioni *Judaicæ* (qualis est *Judæorum* Christi hostium) sese conjunxerunt? Ostendant ullum ea de re fide dignum testimonium, quòd talis eorum conjunctio unquam facta fuisset?

(r) *Cit. §. LXXX. h. cap.*

ſet? Certè ad Flavii *Joſephi* tempora uſque, nihil tale quid contigiſſe, apparet ex eo, quòd ne veſtigium quidem ejus rei in ejus ſcriptis exiſtat; cùm tamen rem tanti momenti, (maximè ubi ex profeſſo agit de *Iſraëlitis decem tribuum*, ac de ipſa ſoluta captivitate *Babylonica*, deque Literis per *Esdram* in *Mediam* miſſis, (quâ occaſione nulla commodior erat conjunctionis memoratæ, ſi unquam contigiſſet,) locô jam (*f*) citatô) conſignare minimè neglexiſſet, ſi ea unquam ante ſua tempora, vel ſuô ævo eveniſſet. Ex adverſo novimus ex Codice ſacro, *tribuum Iſraëlis reunionem* ſalutarem, ſub Chriſto & in ejus Fide futuram eſſe prædictam per *Ezechielem*, cap. 37. v. 19. 22. 24. qualis hactenùs juxta plenam prophetiæ illius emphaſim nondum eſt facta. Nec poſterius dici poteſt. Nam ſi extarent alicubi hodie in ſuis diſtinctis cœtibus literales *Iſraëlitæ*, qui cum hodiernis *Judæis* in Religione æquè non conſentirent, ac olim *Jeroboamitæ* cum Hieroſolymitanis, tantùm abeſt, ut eos *Judæi* celebrarent, (uti celebrant figmentis ſuis *decem tribus*,) ut potiùs in hoſtes eorum ſe ſe verterent, uti faciunt cum ſuis *Karaitis* Judæis, tametſi longè propinquioribus ſuis, quàm eſſent

(*f*) §. XXIX. *hôc cap. pag.* 90. & 91.

essent *Jeroboamitæ*. Insuper redit hîc quoque superior ratio; quia res tanti momenti non posset latere hodiernos *Christianos*, si tales *Israëlitæ* alicubi reperirentur. Cùm ergo nec *Judaicam*, nec ab ea diversam Religionem tenentes extent ullibi hodie dicti illi *Israëlitæ*, in sua distincta, visibili, ac *Hebraica* forma; sequitur falli omnes illos, (inprimis *Judæos*,) qui putant, adhuc *decem tribus Israëlis* olim abductas alicubi in Mundo reperiri, in suis distinctis cœtibus ac societatibus. Et cum simpliciter ac penitùs non perierint, ut supra (*s*) jam ostendimus; inde sequitur, eas aliis Nationibus esse immixtas, & in eundem populum cum illis redactas: quod suscepimus (ad *secundam Quæstionem*) demonstrandum. Unde obiter hîc notandum censeo, quàm rectè dictos decem tribuum *Israëlitas*, Cornelius à *Lapide* supra cap. 2. §. IV. p. 20. *incognitos* vocat, quoad præsentem nempe ipsorum statum.

XXXI. (2.) Alterum meum argumentum est hoc: Quia dantur quædam loca Prophetica ita contexta, ut prorsus nequeant plenè intelligi, nisi teneamus veteres *Israëlitas decem tribuum*, aliis populis, & quidem ex parte iis etiam qui jam *Chri-*

stiano

(*s*) *§. XXVIII. h. cap. pag. 85.*

ſtiano gaudent nomine, eſſe olim immixtos. *Primus* locus hîc eſto, Ezech. 36. v. 8. 12. ubi v. 8, hæc habentur: *Vos autem Montes ISRAEL, ramos veſtros germinetis, & fructum veſtrum afferatis Populo meo ISRAEL: propè enim eſt, ut veniat.* (Scilicet *Populus Iſraël*; ut textus Hebræus oſtendit: כי קרבו לבוא. H.e. *Quia propè ſunt ad veniendum.*) Deinde v. 12. pro pleniori luce iſta ſequuntur: *Et adducam ſuper vos homines Populum meum ISRAEL, & hæreditate POSSIDEBUNT TE, & eris eis in hæreditatem.* In his ſensû ſublimiori & Chriſtiano, extra omne dubium, per *Montes Iſraël*, intelliguntur ipſa *Regna Chriſtiana*, & diverſæ in iis *ſublimitates.* Et quia tales prophetiæ, qualis hæc eſt, proximè & primariò Populum origine *Iſraëliticum*, quatenùs ſpiritualiter etiam eſt, vel erit *Iſraël*, reſpiciunt; (ut jam paulò antè (*t*) docuimus;) ideo in conſilio Dei ac in ſcopo Spiritûs ejuſdem ſupponitur, fore vel eſſe aliquos in *Regnis* illis, ſeu *Montibus* myſticis ante plenum hujus prophetiæ implementum etiam ex ſemine veteris *Iſraëlis*, (tametſi hominibus ad tempus ſub illa ratione occultos,) qui ſpiritualiter quoque ſunt *Iſraëlitæ*, hoc eſt, Chriſto fide adhærentes: ut ſic denominatio illa *Montium* myſticorum

(*t*) §. XXIX. *hôc cap. pag.* 87. & 88.

rum ab *Israële* sumpta, significatione suâ tantò sit plenior, (cùm Scripturæ S. sensus sit latissimus,) & scopo totius contextûs congruentior. Per *Populum* autem Domini *venturum*, juxta v. 8. vel *adducendum*, juxta v. 12. intelligitur ille ipse populus, ex veteri *Israële* originem ducens, cujus veram ad Deum conversionem expectamus; proximè is populus, qui non ex corticalibus est *Judæis*, (tametsi etiam hi suo tempore convertentur,) sed ex *Israëlitis* illis, quos diximus, & ostendimus (*u*) jam aliis populis esse immixtos, ac per hoc in sua forma Hebraica inconspicuos. Tales sunt inprimis *Israëlitæ decem tribuum*, ac deinde omnes illi, quicunque ex *Hebræis* cujuscunque *tribûs*, vel olim, vel tardiùs aliis populis ita sunt immixti, ut nullâ formâ *Judaicâ*, vel blasphemâ erga Christum hostilitate sint ampliùs noscibiles & conspicui. In talibus enim (h. e. talium posteris) promissiones Propheticas priùs fore implendas, quàm in aliis *Judæis*, jam supra (*v*) docuimus. Illos ergo hîc nomine *populi Israël* intelligimus, ubicunque lateant. *Veniet* autem, seu *adducetur Populus* ille ad *Montes Israël* mysticos, h. e. ad præsentes Chri-

(*u*) *Supra* §. *XX. & sequ. hôc cap. pag. 67. & sequ.*
(*v*) §. *6. cap. 2. p. 27. 28. &* §. *16. hôc cap. p. 61.*

Christianos, non tam pedibus corporis, & externâ locorum mutatione, (tametsi in quibusdam talis etiam mutatio futura haud neganda est,) quàm pedibus animæ, & internâ mutatione; hoc est, verâ ad Christum conversione.

XXXII. Si quæras, unde, & ex quibus mundi partibus hæc *Israëlitarum* conversio, & ad Christi Ecclesiam (*montes* mysticos habentem) accessio est expectanda? ℞. Superiora (*x*) jam ostendunt, quòd ex iisdem populis, quibus immixti sunt, debemus istam eorum conversionem & accessionem expectare. V. g. ex *Turcis*, *Tartaris*, aliisque *Scythis* adhuc barbaris; item ex *Mediæ*, veteris *Assyriæ*, *Babyloniæ* & *Persidis* incolis, nec non ex *Indis*, *Chinensibus*, cetérisque populis, de quibus in investigata dispersione illorum (*y*) diximus. At verò, quia ibidem & hoc insinuavimus, quòd etiam in medio *Christianorum* sunt occulti *Israelitæ*, veterum nempe *Israelitarum* posteri, (tametsi eatenùs hominibus adhuc ignoti;) idcircò rationi cœlitùs illuminatæ consentaneum est, ut antequam occulti inter Muhammedanos, Paganos & Barbaros *Israëlitæ* converterentur, primùm in me-

(*x*) §. 20. 21. *& sequ. usque ad 27. inclusivè h. cap. pag. 67. usque ad 81.* (*y*) §. 25. 27. *hôc cap. pag. 77. & seq.*

dio *Christianorum* illos, seu illorum posteros quæramus. Videlicet tanquam certum supponendum est, innumeros esse hodie *Christianos*, qui nomine potiùs & frigidâ quâdam professione sunt *Christiani*, quàm re ipsâ & veris fidei effectibus: eò quòd innumeri diversis erroribus, & horrendis peccatis sunt immersi. Unde idem evenit (ex mutuo commercio) etiam *Israëlitis* in medio *Christianorum* occultis, quod aliis; ut nempe illorum quoque paucissimi sint hodie, qui vivæ fidei effectibus Christum colerent, sed maxima ex parte variis erroribus & peccatis obruti (& per hoc in Diaboli captivitate) tenentur. Quando ergo Dominus ex immensa sua misericordia occultos illos excitabit, & spiritum compunctionis, sanctique zeli eis dabit, ut suas varias aberrationes, suaque peccata defleant ac detestentur, & ardenti amore Christo Domino adhæreant, & se invicem sincerè diligentes, totos se se, viribus in (z) *vinculo* charitatis & *pacis* unitis, Regno Christi promovendo, & Satanæ ac peccati destruendo consecrent, tunc incipient *Israëlitæ* occulti è medio *Christianorum* ad Christum verè adduci, & super alios minùs ferventes exaltari, atque sic in dies mani-

(z) *Ephes.* 4. v. 3.

manifestari. Sic deinde tantò feliciùs ex aliis etiam populis eorum posteri adducentur. Monentur ergo mystici *Montes Israël*, (h.e. Christianæ *Sublimitates* & Eminentiæ,) ut *Populo* Dei, origine antiquâ *Israëlitico*, (hactenùs occultato,) brevî per veram ac plenariam conversionem & sanctum zelum manifestando, *frondes* spirituales *germinent*, & *fructum* bonorum operum (inprimis charitatis) *afferant*, ut sic tantò magis maturent & accelerent, dicti *populi* veram conversionem & manifestationem. Quòd porrò *Israëlitis* illis promittitur, ipsos *hæreditate possessuros* reliquum ac priorem populum Christianum; sensus illius dicti, ex ex verbis istis S. *Hieronymi* eliciendus est: (a) *In die illo, qui SANCTI sunt, & electi de Ecclesia, ascendent ad SPECULAM, & in sublimitate doctrinarum, atque operum suorum de rebus cœlestibus disputabunt.* Quia nimirùm tempore illo, ex *Sancto* illo (scilicet per veram conversionem sanctificando) Populo, de quo prædictum est, quòd (b) *Reliquiæ Israël non facient iniquitatem*, &c. futuri sunt præcipui Ecclesiæ Dei Duces, qui eam dirigant & protegant, tanquam suam in Christo & per Christum *Hæreditatem*; ideò phrasis illa,

(a) S. Hieron. *Comm. in Mich. 7. v. 1. & seq.* (b) *Sophon. 3. v. 13. collat. Jerem. 50. v. 20.*

Et hæreditate possidebunt te, (cit. c. Ezech. 36.) adhibetur. Confer Mich. 4. v. 8. Abd. v. 17. Jerem. 49. v. 2. col. ult.

XXXIII. Sed dices: Locus ille *Ezechielis* (cap. 36.) jam est impletus. ℞. Non nego præludia quædam implementi prophetiæ illius jam præcessisse: videlicet, literale ac typicum implementum fuit in liberatione populi Judaici è captivitate Babylonica: quod nequaquam exhaurit emphasim, & principalem scopum verborum. Spirituale etiam aliqua ex parte, & quasi in initiis præmissum est tempore Apostolorum. Spirituale item adhuc ulterius, sed in tenui tantùm delineamento, fuit in liberatione Ecclesiæ Christianæ à persecutione Ethnicorum Imperatorum, signanter *Diocletiani* & *Maximiani*: ut disertè S. *Hieronymus* (c) hanc prophetiam, quantum ad spiritualem sensum illi tempori applicat. At verò totus ejusdem Prophetiæ contextus valdè emphaticus ostendit, nondum hanc Prophetiam in pleniori verborum emphasi esse impletam. (Confer hîc *Clavis* meæ *Prophet.* class. 2. Regul. 5. & ibid. Regul. 1.) Unde est, quòd ipse quoque S. *Hieronymus* in Expositione citati cap. 36. *Ezech.* ea dicit futura ex scopo hujus

(c) *Comm. in Ezech.* 36.

jus capitis, sub finem, quæ certè hactenùs nondum sunt impleta, sed expectantur dehinc implenda. Ut v. gr. *Errantium* in *Urbes Ecclesiæ reductio* & *restitutio*; item, in *animabus* antea *dissipatis*, sed jam in *Ecclesiam reductis*, (h. e. reducendis,) *omnium virtutum plantatio*. Sic itaque tenue & partiale aliquod implementum hujus prophetiæ, quasi in præludio præmissum, non obstat, quò minùs, principale & plenarium adhuc restet expectandum.

XXXIV. Verùm est adhuc majus, quod hîc objici, & quæri posset. Videlicet, quomodo sententia illa de quibusdam origine antiquâ *Israëlitis* in medio etiam *Christianorum* quærendis, quæ tum pro expositione citati (*d*) textûs *Ezechielis* supponitur, tum in (*e*) superioribus insinuatur, stare possit, cùm ne vestigium quidem ejus rei inter Christianos adhuc appareat? deberent enim (stante illâ sententiâ,) aut illi *Israëlitæ* seorsim beatiores aliis esse, eò quòd juxta dictam sententiam tales *Israëlitæ* jam ad verum Messiam sunt conversi; aut insuper debuissent suos etiam principales, quibus immixti sunt, suosque in Christianismo sodales, ac fidei consortes felicio-

(*d*) §. XXXI. *h. cap. pag.* 94. 95. (*e*) §. 26, 27. *hôc cap. pag.* 81.84.

ciores tum in ſpiritualibus, tum in corporalibus hactenùs effeciſſe: quorum tamen neutrum adhuc cernitur. Præterea, nulli etiam in medio Chriſtianorum hactenùs reperiuntur, qui recognoſcerent ſe eſſe *Iſraëlitas* (diſperſorum nempe illorum poſteros) ratione antiqui ſui generis & fontis. (Non loquimur hîc de iis, qui non ita pridem ex *Judaiſmo* eſſent converſi, & per hoc origo eorum, vulgò eſſet nota; ſed de illis, quos diximus aliis populis eſſe immixtos.) Videtur itaque nullâ ratione ſtare poſſe, quòd eſſent aliqui occulti *Iſraëlitæ* (de quibus ſermo eſt) inter Chriſtianos. Reſp. Quod *primum* ſcrupuli hujus robur attinet; ſciendum eſt, quòd Deus, uti in omnibus ſuis (magni præſertim momenti) operibus circa ſuam Eccleſiam, gradatim & ſucceſſivè procedit à parvis initiis ad incrementa majora, (qua in re longioris, quàm infirmitas noſtra lætiora ſemper appetens, vellet, moræ, præcipua ratione noſtrî cauſa eſt, noſtra in Deum ingratitudo, & defectus veri fervoris,) ſic etiam in hoc admirabili, optatiſſimo & jucundiſſimo opere *reſtitutionis Iſraëlitarum*, gradatim & cũ certa temporum ſucceſſione progreditur ad majora; ut non mirum ſit, ſi humanæ infirmitati,

tati,

tati, non illicò appareat vel vestigium aliquod inchoatæ impletionis Divinarum promissionum. Præmonuit jam & olim Dominus in primo suo adventu, (*f*) *Regnum Dei non venire* (seu, non ingredi, non inchoari) *cum observatione* aliqua mundanâ, modô humanitùs perceptibili; ita debuit, ac debet fieri etiam ingressus illius *Regni* ejusdem Domini, quod per *Restitutionem Israëlitarum* futurum in ultima tempora dilatum est. Cujus cùm initia successiva, tamque occulta, & humanum sensum atque intellectum transcendentia sint, ideò fit, ut non priùs ea ab homine animadvertantur, quàm ubi Christus Dominus confertioribus & validioribus lucis suæ radiis animum ejus perstrinxerit. Nec sequitur ex occultis illis & parvis initiis futuræ *Restitutionis Israëlitarum*, debere vel ipsos, vel alios etiam unà cum ipsis feliciores jam esse in medio Christianismi, quàm antea fuerunt. Non enim talibus initiis, sed incremento operis illius evidentiori, plenæque conversioni, h. e. sanctitatem quandam excellentem secum ferenti, felicitas quædam specialis est in prophetiis promissa. Atque ipse Deus, ut est sapientissimus, inde à principio conversionis populorum illo-

 rum,

(*f*) *Luc.* 17. *v.* 20.

rum, quibus *Israelitæ* aliqui jam ab olim fuêre immixti, mirô modô ſemper operatus eſt, & adhuc operatur ea, tametſi humana mens ex ſe non percipiat, quæ futuræ illi dictorum *Iſraëlitarum*, ac per conſequens Populi *Chriſtiani* felicitati demum inſervitura ſunt. Occultâ nimirum ſuâ gubernatione ea agit in medio Chriſtianiſmi, quæ tempore opportunô manifeſtabit, in dictum finem (ex ejus conſilio) prævie parata fuiſſe.

XXXV. Modus etiam, quô occulti illi *Iſraëlitæ* quidam mediis *Chriſtianis* inferi potuerint, facilè jam intelligi poteſt ex iis, quæ ſupra (g) de parte *Iſraëlis* inter veteres *Scythas* & populos *Aquilonares*, aliosque diſperſa diximus. Ut ergo notum eſt, ſequentes populos origine antiquâ *Scythas*, aut certè aliquos eorum *Scythis* ad *Septentrionem* vicinos, videlicet, *Gothos*, partim in *Dacia*, partim in *Thracia*, partim in *Gallia*, partim & præcipuè in *Hiſpania*, (ne dicam nunc etiam de partibus quibuſdam *Germaniæ*;) *Wandalos* item non ſolùm in *Africa*, ſed & in *Luſitania*, & ante pleniorem eorum eruptionem, in partibus *Germaniæ*, (ubi etiam nunc, in quibuſdam ejus partibus, & provinciis ad eam ſpectan-

(g) S. XXVI. pag. 80. collat. S. XVI. hôc cap. pag. 61.

stantibus, adsunt eorum aliqui posteri,) *Longobardos* autem in *Italia* sedes suas olim aliquamdiu habuisse; sic dubitandum non est, aliquas eorum reliquias, & per consequens aliquos *Israëlitarum* veterum posteros quondam eis immixtos in iisdem regionibus mansisse, & successivè unà cum iisdem *Christianismum* amplexos fuisse. Nec ambigo, quin & *Britanni, Dani, Sueci, Poloni*, aliique in Septentrione & Occidente Christiani, si altè suas origines rimentur, negare queant, aliquos olim *Israëlitas* suis majoribus fuisse immixtos. Quid dicemus de nostra *Hungaria*, *Transylvania*, nec non *Bulgaria*, *Croatia*, & vicina *Moravia*, quas penè in totum populi origine antiquâ *Scythici*, veterum nempe *Hunnorum*, *Alanorum* & aliorum *Scytharum* posteri, (servatis suis propriis idiomatibus, signanter tribus principalibus,) in hunc usque diem inhabitant? (*Hunnorum* tamen aliquæ reliquiæ etiam extra *Hungariam* & *Transylvaniam* manserunt in *Europa*; (inprimis in *Helvetia*;) ut paulò pòst (*b*) dicemus.) Quis negabit, & quâ ratione negabit, horum majoribus aliquos olim imò & multos *Israëlitas* fuisse immixtos? quos unà secum tanquam sibi incorporatos vicibus diversis in præ-

(*b*) §. 37. *b. cap. pag.* 111. & 112.

dictas terras attulerunt; qui deinde pariter cum suis illis vehiculis *Christianismô* imbuti fuêre. Quibusdam *Scythicis* populis, v.gr. *Turcis* & *Tartaris*, negari (justa cum ratione) nequit, *Israëlitas* olim fuisse immixtos; quomodo ergò de aliis *Scythis* non minùs, imò magìs quondam celebribus, quàm illi ante suum *Muhammedismum* fuêre, idipsum negabimus? Lego quædam verba Papæ *Sylvestri* II. in sua Epistola (*i*) ad S. *Stephanum* (priùs Ducem, at deinde) Regem *Hungarorum* anno D. 1000. data, quibus Nationem *Hungaricam* insigni illo titulô, *Israëlem*, *Populum* Dei, & *electam Gentem* nominat: de quibus unicè veritatis amore, nullô autem vanô partium studiô ductus, non possum non sic sentire; prophetiam nempe intuitû Divinæ directionis iis subesse, insinuantem (præter latiorem tituli *Israël* significationem, *Christianis* in genere applicabilem,) cujus populi antiqui reliquiarum Natio illa occultum vehiculum sit, & quid in futurum de eadem manifestandum foret. Quid etiam in eo lateat, quòd hodie Hungarorum nonnulli Nationem *Hungaricam* vocant subinde *Magyar Israël*,

(*i*) *Vide eam apud* Inchof. *in Annal. Eccl. Regni Hung. ad ann. D.* 1000. *&* *in* Antiqua Hung. Religion. *à me edita.*

raël, h. e. *Hungaricum Israëlem*, eventus deinde docebit.

XXXVI. Porrò, quantùm ad futuram *Israëlis restitutionem*, *Israëlitis* accensendi hîc sunt omnium illorum *Judæorum* posteri, qui passim in *Italia*, aliisque *Occidentis* regionibus, nec non in *Græcia*, & aliis *Orientis* & *Austri* partibus, vicibus diversis, priùs vel tardiùs, (scil. vel *Apostolicis*, vel subsecutis temporibus,) desertô Judaismô (*) *Christianam* fidem fuêre amplexi. Non ita illi prorsus defecerunt, vel evanuerunt, quin alicubi reliquum sit latenter aliquod eorum *semen*: Deo verò omnia videnti facillimum est, *semen* illud, tametsi linguâ, nomine, & formâ externâ in alias Nationes transmutatum, sapientissimè suo tempore perquirere. Et ut hoc faciat, ipse suo gratiosô promissô, in genere de *Jacob* posteris, firmissimè se obligavit. Jerem. 33. v. 25. 26. *Hæc dicit Dominus: Si pactum meum inter diem & noctem, & leges cœlò & terræ non posui; equidem & semen Jacob & David Servi mei abjiciam*, &c. collat. ibid. c. 31. v. 35. 36. & cap. 30. (ibid.) v. 10. 11. *Tu ergo ne timeas, serve meus Jacob, neque paveas Israël*.

(*) *Nota, omnes hos ex illis fuisse, qui post solutam captivitatem Babylonicam* Judaicæ *Reipublicæ quondam se se sociaverant.*

raël. &c. *Faciam enim consummationem in cunctis gentibus, in quibus dispersi te; Te autem NON FACIAM in CONSUMMATIONEM.* Inprimis apud *Isaiam* cap. 27. v. 13. valde emphatica est phrasis illa, quâ prædicitur, quòd ad *clangorem tubæ magnæ*, (h. e. efficacissimæ prædicationis ultimi temporis,) *venient qui PERIERANT in terra Assyriorum*; h. e. qui per & post *Assyriacam* captivitatem huc atque illuc sunt dispersi, aliisque populis immixti, & per hoc ad tempus quodam modô (†) *perditi*. (De his enim proximè & primariò sonat illa prophetia; tametsi sensus ejus latior extendi potest ad omnes illos *Christianos*, qui sub novi *Assyrii*, (h. e. Turcæ) imperio & jugo periculis animæ & corporis sunt involuti.) Rectè Vulgat. Interpr. quoad sensum vertit: *De terra Assyriorum.* Inde enim fuêre primitùs dissipati, atque disjecti in diversas terras. Subjungo hìc obiter; in *Hungaria* etiã longè plures fuisse olim *Judæos*, tum seculo octavo, tum deinceps seculis undecimo & duodecimo, quàm nunc sunt, colligere possum, illud quidem prius ex epistola quadam Rabbi (k) *Chasdai*; hoc verò posterius ex

S. (l)

(†) Perditi *scil. tum quoad formam* Hebraicam *non apparentem, tum quoad statum suum* periculosum, *quem peccatis suis demeriti sunt.* (k) *Vide ejus verba huc facientia, in* Origin. Hung. *Part.* 2. *pag.* 28. & 29.

S. (*l*) *Ladislai* & (*m*) *Colomani* Regum Hungariæ Decretis: quos non solùm per expulsionem (à *Ludovico* I. Rege factam) diminutos esse, sed & per successivum ad Christianismum transitum, credere par est. Quorum etiam posteros, ut reliquum semen *Israëliticum*, Deus suo tempore manifestabit. Non dubito, quin & alii tale quid, imò aliqui longè plus, de suæ Patriæ *Judæis* quondam per Christianismum in alios populos transmutatis, & per hoc quasi absorptis, dicere queant. Taceo nunc, fuisse quondam non paucos (*n*) *Ismaëlitas* quoque (h. e. Muhammedanos) in *Hungaria*, Regibus *Hungariæ* subjectos, at successu temporum Christianismo imbutos; qui etiam (ut quos *Scythicæ* originis *Turcas*, Hungaris adhuc Paganis sociatos fuisse existimandum est,) valdè probabiliter habuerunt aliquos de semine *Israëlitico* sibi immixtos. Patet itaque jam & modus, quô *Israëlitæ* Christianis populis inseri, iisque immisceri potuerint, & de facto sunt immixti.

XXXVII. Ad *alterum* scrupuli objecti

„ ful-

(*l*) S. Ladisl. *Decr. lib.* 1. *c.* 10. & 16. (*m*) Colom. *Lib.* 1. *c.* 74. 75. & *Lib.* 2. *c.* 1. 2. & 3. (*n*) *Vide Decret.* S. Ladisl. *Reg. Lib.* 1. *c.* 9. & Colom. *Lib.* 1. *c.* 46. 47. 48. 49.

„fulcrum, (quòd (*) nulli Christianorum „hactenùs recognoscant, se esse ex illis *Israëlitis*, de quibus nunc agimus,) resp. Cùm initia hujus magni & admirandi operis debuerint esse (ut jam (*o*) est dictum) successiva, nec ante certum tempus à Deo definitum ab homine ullo modo perceptibilia; non est hac quoque in parte mirandum, si hactenus nulli inter Christianos se recognoscant esse *Israëlitas* illos, de quibus est quæstio; *Israëlitas* nempe ex occultis juxta pleniorem ejus nominis significationem. Noscent se, & noscentur etiam ab aliis suo tempore. (Quibus autem signis dignoscendi sint illi, infra (*p*) dicemus.) Insuper, quis non videt, quàm invalidum est hoc argumentum ab humana hujusmodi ignorantia & inadvertentia desumptum, ad hoc, ut negetur partem veri seminis *Israëlitici* olim dispersi, jam adesse in medio Christianismi? Nam præterquàm quòd ex eo pariter inferri posset, nullibi jam prorsùs dari ullos posteros *Judæorum* ac *Israëlitarum* illorum, qui adhuc temporibus *Apostolorum*, & virorum *Apostolicorum* (vel etiam post hos ante multa secula) in *Italia*, *Græcia*, & *Asia* fuêre conversi

(*) *Vide supra* §. XXXIV. *h. cap. pag.* 102. (*o*) §. 34. *h. cap. p.* 102. & 103. (*p*) *Cap. VI.* §. *VI.* & *VII.*

versi ad *Christum*, cùm tamen id sentire nimis temerarium, & omni ratione destitutum foret; ista etiam meritò (per modum retorsionis) objectioni illi opponimus, & quærimus: An ergò ex hoc, quòd jam hodie juxta pristinam suam formam non apparent ulli *Gothi* in *Thracia, Italia, Gallia*, vel *Hispania*, ulli *Saraceni* in eadem *Hispania*, ulli *Wandali*, (quod sciremus) in *Africa*, vel *Longobardi* in dicta *Italia*, negabimus sub mutata lingua, mutatisque multis aliis, jam ullum semen *Gothicum, Saracenicum, Wandalicum* & *Longobardicum* in memoratis Regionibus (divisim acceptis) latere? Aut quia extra *Hungariam* & *Transylvaniam*, & aliquos harum fines, nullibi videmus in Europa incolas *Hunniacè*, seu *Hungaricè* loquentes, & *Hungaricis* per omnia præditos moribus, ideò inficiabimur ullam *Hunnorum* & *Hungarorum* ultra *Hungariæ* fines ad Occidentem posteritatem (linguâ & habitû mutatis) ampliùs latere? Ut enim taceam hîc de *Silesia, Moravia, Austria*, & *Bavaria*, (in quibus etiam aliquas (†) *Hunnorum, Abarorum*, & *Ungarorum* reliquias, medios inter alios victores mansisse, negari nequit,) certè de *Uris*

(†) *Hinc nomen* Hunnorucum, *seu* Hunsruk *in Germania*, (*apud* Lazium *&* Aventinum) *inter* Tranum *&* Oenum.

Uris (*q*) *Helvetiæ* populis non abſque fundamento obſervatum jam eſt ab aliis, eos *Hunnorum* eſſe reliquias; quod & ipſum nomen eorum ſatis arguit: ut jam in *Originibus* noſtris (*r*) hac de re diximus. Præſertim quòd *Gothis* hi in *Italiam* profectis junguntur in allegato illic à me teſtimonio, hoc appoſitiſſimè concordat cum eo, quod ſcribit *Ammianus* de *Chunis* (h. e. ipſiſſimis *Hunnis* quibuſdam Europæis) & *Alanis* Gothico exercitui mixtis: (*ſ*) *Adacti* (inquit) *neceſſitate postremâ* Gothi, *Chunorum & Alanorum aliquos ad ſocietatem ſpe prædarum ingentium adſciverunt.* Potuêre tamen præter hos etiam ex ipſo Aſiatico *Hunnorum Athilam* ſequentium exercitu, aliqui paſſim (extra *Panno-niam* & *Daciam*) in Occidentis partibus à reliquis emanere. (Qui ſic objiciunt, & ex eo movent hîc difficultatem, quòd hominibus vulgò ſunt ignoti dicti *Iſraëlitæ*, debent iidem animo etiam volvere, non ſolùm deductionem (*ſſ*) magnorum Monarcharum recentiorum (ſcil. *Auſtriacorum*) ex antiqua familia *Aniciana* Romana; ſed & illud S. *Hieronymi* de S. *Paula* (celeberrima Ma-

(*q*) *Vide* Hofman. *in Lexic. Univerſ. ad vocem* Urienſes.
(*r*) *Part.* 1. *cap.* 9. *p.* 414. (*ſ*) Ammian. *Lib.* 31. *pag.* (*mihi*) 482. (*ſſ*) *Extat ea de re integer liber cum titulo*, Arbor Aniciana, *Authore Joan.* Seifredo *edit. Vien.* 1613.

Matrona) dictum: (*t*) - - - *Agamemnonis inclyta proles*: At notum est doctis, hunc *Græcum*, illam verò (linguâ, habitû & moribus) *Latinam fuisse*, & multorum sæculorum distantiam inter hunc & illam intercessisse. Non tamen dubitavit, qui ista scripsit, sic de illa sentire, non obstante externâ nationum in linguis, habitu, & moribus diversitate. Hæc obiter.) Jam exempla scopo nostro applicemus. Uti ergo in allatis exemplis, non sequitur, non esse illic latenter posteros dictorũ populorum, (vel etiam familiarum & personarum,) ubi hominibus non apparent, (eò quòd non possunt ita posteri unius Nationis in aliam transfundi, quin Deo notum sit, ex quo sint fonte antiquiori: quòd Sancti etiam eximii ultimo tempore haud dubiè certis ex signis cognoscere poterunt;) sic pariter nemo ex hoc, quòd nondum apparent illi *Israëlitæ*, de quibus hîc est sermo, inter *Christianos*, inferre potest, reverà non adesse inter illos. Alioquî, si staret talis illatio, similiter de *Persis*, *Medis*, *Indis*, *Turcis*, *Tartaris*, aliisque populis quibusdam nondum ad Christum conversis inferre posset quispiam, nullos penitùs *Israëlitas* illis esse immixtos, eò quòd nulli *Persæ*, *Medi*, (seu

(*t*) *Epist. 27. in Epitaphio S.* Paulæ.

Mediæ incolæ,) *Indi, Turcæ, Tartari*, aliique se se recognoscant origine esse *Israëlitas*. At verò quàm falsum sit negare de dictis populis nondum ad Christum conversis, (imò & de conversis,) quòd *Israëlitæ* iis essent immixti; apparet ex eo, quòd *semen* illud *Israëliticum*, cui Deus tot promissa per Prophetas dedit, nequaquam periit prorsùs ê Mundo; ut jam supra (*u*) docuimus: si non periit, nec tamen in sua forma apparet, necesse est id sequi, quod jam diximus; aliis nempe populis esse immixtum; è quorum numero, *Scythici* populi (vel alii in hunc scopum memorati) jam *Christiani*, nullâ ratione excludi queunt. Sic ergo objectio etiam illa bimembris, nihil obest sententiæ de veterum *Israëlitarum* posteris quibusdam inter Christianos latentibus à nobis positæ. Dignum notatu est illud in textu *Ezechielis* supra (*v*) citato, (ut & hoc in supplementum expositionis ejus hîc subjungam,) quòd Dominus *populum* illum *Israël*, ad *montes Israël* adducendum, scil. per veram & integram conversionem ex suis erroribus & peccatis educendum, exaltandum & manifestandum, suum *populum* vocat, verbis illis: *Populo meo Israël*; item, *Populum meum Israël*; quæ phrasis tametsi latiùs

(*u*) *§. XXVIII. h. cap. p.* 85. (*v*) *§. XXXI. h. cap. p.* 95.

tiùs ſumpta includit etiam illos, qui ex nondum credentibus, certò fient brevì *populus* Dei credens; attamen ſpecialiùs, propiùs & magìs propriè ſignificat *populum* illum, qui jam Chriſti nomen profitetur, quàm qui nondum profitetur. Hæc occaſione primi loci pro fulciendo argumento *ſecundo* ex *Ezechiele* adducti, dicenda erant.

XXXVIII. *Alter* locus pro eodem *ſecundo* argumento, eſt mihi apud eundem *Ezechielem* cap. 37. v. 1. 2. & ſequ. uſque ad v. 14. ubi habetur admirabilis illa *reſurrectionis* ſeu *reviviſcentiæ Iſraëlitarum* deſcriptio: quæ etiam nunquam plenè & exactè intelligetur, niſi admittatur hoc, quòd *Iſraëlitæ decem tribuum*, aliis populis, ac ſignanter (& proximè quantum ad hunc locum) etiam Chriſtianis ſunt immixti. Conſtat omnibus eruditioribus, *Reſurrectionem* quidem univerſalem demùm ſecuturam hîc ſupponi, ut veram & non fictam; at verò non de ea ex primario Spiritûs S. ſcopo nunc agi, ſed de populi Dei ex horrendis ſuis tum animæ, tum corporis calamitatibus, quibus velut ſepultus diù & obrutus eſt, eductione & deſideratiſſimâ exhilaratione, ſtatim patebit. Certum etiam eſt omnibus illis, qui tum alibi, tum hîc Scri-

pturæ S. terminos & phrases in plenitudine emphaseos suæ expendunt, & accuratè antecedentia cum consequentibus, vel vice versâ conferunt, *Domum Israël* in verbis illis, *Ossa hæc universa Domus Israël est*, (v. 11.) non in eo tantùm sensu latiore hîc accipi, quo nonnunquam solemus *Israëlem*, vel populum *Israëliticum*(juxta superiùs (*x*)dicta,) in genere pro *Ecclesia Christiana* accipere; sed primariò ac specialiùs, pro illa Dei *Ecclesia*, quæ ultimis temporibus præcipuum suum decorem, è Populo *Israëlitico* olim dispersо, & velut emortuo est habitura; adeoque sub figura *resurrectionis*, de ejusdem lætissima *restitutione* agi. (Alioquî etiam patet ex superioribus,(*y*) non posse ab hujusmodi Prophetiis excludi populum illum *Israëliticum*, in quibus Prophetæ sermonem suum expresse ad suos populares *Israëlitas* dirigunt.)

XXXIX. Audiamus hanc in rem de loco citato, potentem illum Scripturæ Divinæ Interpretem S. *Hieronymum* sic scribentem: (*z*) *Qui de Resurrectione generali hæc dicta intelligunt, illud, quod videtur facere quæstionem,* Ossa hæc, universa domus est Israël; *ad San-*

(*x*) §. *XXVIII. h. cap. pag.* 85. (*y*) §. *XXIX.* & *XXXI. hôc cap. pag.* 87. & 94. (*z*) *Comm. in Ezech.* 37. *ad v.* 1. & *sequ.*

Sanctorum resurrectionem referunt, de qua & Apostolus Joannes in Apocalypsi loquitur: (*a*) „ Beatus & sanctus, qui habet partem „ in resurrectione prima: &c. *quòd videlicet alia Sanctorum, alia Peccatorum sit resurrectio. Unde & in Psalmo primo dicitur:* (*b*) Non resur- „ gent impii in judicio, neque peccatores „ in consilio justorum. *Terram autem Israël;* (*c*) *quam resurgentibus Dominus pollicetur, illam esse confirmant, de qua scriptum est:* (*d*) Beati mi- „ tes, quoniam ipsi possidebunt terram: *Et:* „ (*e*) Placebo Domino in terra viventium. *Hæc loquuntur, qui de generali, ut diximus, resurrectione Ezechielem scripsisse autumant. Qui autem aliter interpretantur ista,* (h. e. qui dictam illam sententiam tenent,) *non debent nobis facere invidiam, quòd istum locum aliter exponentes, resurrectionem negare videamur. Scimus enim multò robustiora testimonia, & in quibus nulla sit dubitatio, in Scripturis sanctis reperiri; ut est illud Job:* „ (†) Suscitabis pellem meam, quæ ista su- „ stinet. &c. *Ex quo perspicuum est, non nos resurrectionem negare, sed hæc non scripta de resurrectione contendere, sed per Resurrectionis parabolam de RESTITUTIONE ISRAEL prophetari, qui eo tempore captivus erat in Babylone:* (Adde; & in

(*a*) *Apoc.* 20 *v.* 6. (*b*) *vers.* 5. (*c*) *Ezech.* 37. *v.* 12. (*d*) *Matt.* 5. *v.* 4. (*al.* 5.) (*e*) *Psal.* 114. (*juxta Vulg. al.* 116.) *v.* 9. (†) *Job.* 19. *v.* 26. *juxta LXX.*

Affyria, ac Media.) *Nec ſtatim Hæreticis occaſionem dabimus, ſi hæc de Reſurrectione communi intelligi denegemus. Nunquam enim poneretur ſimilitudo Reſurrectionis ad RESTITUTIONEM ISRAELITICI POPULI ſignificandam, niſi ſtaret ipſa Reſurrectio, & futura crederetur: quia nemo de rebus non extantibus incerta confirmat. Totaque noſtra illò tendit aſſertio, quòd quomodo videtur incredulum, quòd oſſibus aridis, & multâ vetuſtate confectis, futura reſurrectio promittatur, & tamen futurum eſt quod promittitur; ſic & RESTITUTIO Populi ISRAEL, qui ductus eſt in captivitatem, & TOTO ORBE DISPERSUS, videtur quidem incredibilis his, qui DEI non nôrunt potentiam, ſed tamen futura eſt: quia ego, inquit, ,, Dominus locutus ſum, & faciam, ſicut pollici- ,, tus ſum. Denique & in anteriori prophetia, in quâ* Montibus Iſraël *ANTIQUIS repromittitur STATUS, dicit ad eos Dominus:* (*f*) Et con- ,, vertar ad vos, & arabimini, & accipie- ,, tis ſementem, & multiplicabo in vobis ,, homines, omnemque domum Iſraël. *Et rurſum; quòd domus Iſraël habitatura ſit in terra ſua, quæ quondam* inculta, *poſtea futura ſit quaſi* (*g*) hortus voluptatis, *& civitates deſertæ, & deſtitutæ muniantur, & multiplicetur* (*h*) *in eis domus Iſraël, ſicut grex ovium; & cætera quæ ſequun-*

(*f*) *Ezech.* 36. *v.* 9. 10. (*g*) *Ibid. v.* 35. (*h*) *Ibid. v.* 37. *&* 38.

quuntur, ad eundem ſenſum pertinere, qui nunc ſub tropologia & PARABOLA dicitur ARIDORUM OSSIUM, & penitùs nullum humorem vitæ habentium. Videmus in his perſpicuè, non terminare S. *Hieronymum* hujus prophetiæ ſcopum in merè typica liberatione quondam populi *Iſraël* (hoc eſt, partis ejus cujuſdam,) ex literali captivitate *Babylonica*, ſed altiùs aſſurgere, & figere expoſitionem ſuam in ultimi temporis dehinc ſecutura *Reſtitutione Iſraëlitarum.* Hoc enim eſt, quod dicit, *Reſtitutionem Iſraël TOTO ORBE DISPERSI, futuram eſſe*, juxta *Parabolam* citatæ prophetiæ.

XL. Sed ut tum mens S. *Hieronymi*, vel potiùs Spiritûs Sancti eum in hac expoſitione dirigentis intentio ſit nobis clarior, tum etiam noſtra ſententia de dicto loco firmiùs in pectoribus veritatis amantium figatur; benè notandum eſt, quòd dum idem S. Doctor diſertè in veteris *Iſraëlis* poſteros *reſtituendos* hîc collimat, ea ſuæ expoſitioni interſerit, quæ evidenter monſtrant, non poſſe aliter ſuam illam de *Iſraële* expotionem ſtare, niſi ejus poſteros *reſtituendos* inter *Chriſtianos* etiam quæramus. *Montes* enim *Iſraël* ſupra (*i*) memoratos, cap. 36. *Ezechielis* (quod caput quantum ad rem, re-

(*i*) *S. XXXI. h. cap. pag. 95.*

ctè *ejusdem sensûs* esse dicit (*k*) cum *parabola resurrectionis* Israëlitarum cap. 37. proposita,) ita exponit, ut non alibi, quàm in Ecclesia *Christiana* ac inter Christianos *montes* illos mysticos invenire queamus ; ut sic necessariò *Israëlem* etiam illum, de quo dicto cap. 37. agitur, primariò inter *Christianos* quærere debeamus. Ipse nimirùm stylô Rhetoricô sub mentione *Prophetarum* & *Apostolorum*, per *Montes* illos intelligit *Prophetarum* & *Apostolorum* imitatores, eorumque Spiritû instructos, ad minùs saltem, eorum in directione populi successores, eorundemque doctrinæ Prædicatores & Promotores; quales sunt, vel certè esse debent, in celsiori quodam gradu & statu constituti. Sic ille de *Montibus* illis scribit : (*l*) *Nos* Montes Israël, *Prophetas & Apostolos esse dicimus*, (hoc est, pro suo & nostro ævo illos, quos jam diximus,) *qui audiunt verbum Dei, & quibus Diabolus insultavit inimicus, dicens : Euge excelsi quondam Montes, (de quibus scriptum est : (m)* ,, Montes in circuitu ejus, ,, & Dominus in circuitu populi sui,) *mihi dati sunt in possessionem; quando persecutionis angustiis desolati sunt, & conculcati per circuitum, & facti in hæreditatem reliquis gentibus, & ab omnibus*

(*k*) *Vide pag.* 119. (*l*) *S.* Hieron. *Comm. in Ezech.* 36. *v.* 6. *& sequ.* (*m*) *Psal.* 124. (*al.* 125.) *v.* 2.

nibus blasphemati. Propterea loquitur Dominus conculcatis Montibus *& desolatis, & non solùm* Montibus, *sed & inferioribus, ac per singulos gradus in terra Judæa, hoc est, in MONTE ECCLESIÆ constitutis, (de qua scriptum est: (n)* Non „potest Civitas abscondi super montem „posita ;) *&* collibus *atque* torrentibus, *quorum hyeme persecutionum, & tempestate augetur fides:* Vallibus *quoque, his qui in humilitate depressi sunt, & desertis Ecclesiis & parietibus, atque in toto Orbe Ecclesiarum Conciliabulis derelictis.* Mox subjicit pro suo illo ævo exemplum *persecutionis* supra (*o*) memoratæ, *qualis sub Diocletiano & Maximiano in toto Orbe fuit, per quam proscriptæ sunt Ecclesiæ atque vastatæ.* Deinde aliquantò infra, ea tradit, quæ tametsi suo etiam seculo aliqua ex parte aderant, attamen ex ipsius quoque mente, ultimo tempore, dum *Israël* restituetur, longè pleniùs implebuntur. *Tunc (*inquit*) persecutoribus interfectis, & pace Ecclesiæ redditâ,* Montes Israël, *Apostoli videlicet, & Apostolici Viri, germinabunt arbores suas, & extendent ramos, uvasque adferent calcandas in prælo Domini. - - - Cumque Civitates, hoc est, Ecclesiæ credentium fuerint inhabitatæ redeuntibus turbis, tunc nequaquam solùm homines qui pollebant scientiâ Scripturarum, sed & jumenta, simplices quique cre-*

(*n*) *Matth. 5. v. 14.* (*o*) *§. XXXIII. h. cap. pag.* 100.

dentium, multiplicabuntur atque succrescent, & habitabuntur Ecclesiæ, sicut à principio, h. e. priusquam esset persecutio; bonisque florebunt MAJORIBUS, QUAM HABUERUNT ab initio Martyrum victoriis coronatæ. Huc spectant de hisce *Montibus* illa etiam, quæ alibi habet idem in hæc verba: *(p) Qui salvus fuerit, transibit ad MONTES, & instar mussitantium columbarum, sua trepidus peccata deflebit.* Item: *Pauci autem, qui vel Hæreticorum gladium, vel desidiæ suæ famem, mortemque vitaverint, non salvabuntur NISI IN MONTIBUS, & nisi assumserint (†) alas columbæ, & requieverint.* Hæc ille: quæ subsidii causâ, in parabolam 37. cap. Ezech. etiam juxta expositionem S. *Hieronymi* pleniùs pro scopo nostro intelligendá, in medium hîc adducenda erant: ut pateat, eum ita loqui de *Israëlitis restituendis*, ut tamen lucem præbeat suis verbis ad hoc, ut eos inter *Christianos* etiam quærere debeamus.

XLI. Nunc iterum ad dictum cap. 37. *Ezechielis* revertamur, & ut pleniùs adhuc pateat, nomen *Israël* eodem cap. 37. apud S. *Hieronymum* ex primaria Spiritûs S. intentione, pro veteri *Israële* abducto, & toto orbe disperso accipi, adjungamus superioribus (*q*) ea etiam, quæ in subsequentibus ibi-

(p) Hieron. *Comm. in Ezech. 7. v.* 15. 16. (†) *Respicit ad Psal. 54. (al. 55.) v. 7.* (*q*) *Quæ habentur S. XL. h. c.*

ibidem de altera figura (*virgarum* nempe, seu *lignorum* duorum *uniendorum*) scribit. Qui postquam de *divisione* duodecim *Tribuum* Israël, deque exitu tam *duarum* (sub nomine *Juda*) quàm *decem tribuum* dixisset ea, quæ jam supra (r) à nobis sunt relata, illicò post verba illa, *Decem autem tribus* &c. *servire captivas*, subjicit ista: (ſ) *Præsens igitur Prophetia, hæc ex ore Domini pollicetur, quòd UTRUMQUE SIBI JUNGATUR IMPERIUM, hoc est, Regnum JUDÆ, & Regnum ISRAEL, tollaturque* virga Ephraim, (*qui de Joseph stirpe generatus est,*) *cum reliquis tribubus, quæ ei sociatæ sunt; & jungatur* virgæ Juda: *ut nequaquam vocetur* Juda *&* Israël, *sed uno nomine appellentur* Juda, *& sub figura Prophetæ, qui præcedit in typo Domini Salvatoris, nequaquam duabus manibus, sed unâ Christi teneantur manû. Dicit enim se assumere* (s) filios Israël *de medio Nationum, ad quas captivi ducti sunt, & reducturum eos in* terram, *& in* Montes Israël, *de quibus supra* (scil. cap. 36.) *legimus, & appellandam* unam *gentem*, uniusque Regis *regendam imperio:* (t) *ut ultra non polluantur in idolis & abominationibus suis; sed cùm fuerint de captivitatis sedibus liberati, in quibus peccaverunt,* OMNI-

(r) *S. XXIX. h. cap. pag.* 88. & 89. (ſ) *Comm. in Ezech.* 37. *v.* 16. (s) *Ibid. v.* 21. 22. (t) *Ibid. v.* 23.

OMNIBUS VITIIS esse MUNDANDOS, & fu-
„ *turos Populum Dei, ita ut Dominus sit* Deus
„ *eorum.* (*u*) *Et servus* (*inquit*) *meus* David Rex
„ *super eos*; (nempe Christus Dominus per suos Servos;) *de quo & Angelus loquitur in*
„ *Evangelio, quòd* (*v*) *regnaturus sit super domum*
„ *Jacob, & regni ejus non sit finis. Tantæque erit clementiæ, ut non solùm* Rex, *sed &* Pastor *appelletur; eò quòd superbum nomen imperii*, Pastoris *vocabulô mitiget. Qui postquam fuerint in GENTEM UNAM*, (h.e. in unitatem Fidei & regiminis coaluerint,) *& in Terra* Israël *ac* Montibus *habitaverint, ambulaturi sint in omnibus* (*x*) judiciis *Domini, &* præcepta *illius* custodituri: *habitaturi autem non in alia* terra, *sed in ea, quam dedit Servo suo* (*y*) Jacob, *in qua habitaverunt* Patres *eorum, Abraham, Isaac, & Jacob, & reliqui Sancti: & non solùm ipsi habitaturi sint, sed & filii* (*z*) *eorum ac nepotes., juxta illud Vergilianum:* (*a*)

„ Et nati natorum, & qui nascentur ab illis;
habitentque non ad breve tempus, sed in perpetuum. Hæc ille. Tanta populi *Israëlitici* sanctitas, seu *mundatio* ab *omnibus vitiis*, & *ambulatio in omnibus judiciis Domini*, quanta hîc insinuatur futura, satis nos docet, non esse hucusque

(*u*) *Cit. cap. Ezech.* 37. *v.* 24. (*v*) *Luc.* 1. *v.* 32. 33. (*x*) *Cit. cap. Ezech. v.* 24. (*y*) *Ibid. v.* 25. (*z*) *Ibid.* (*a*) *Æneid.* 3. *v.* 98.

uſque impleta, quæ nunc dicta ſunt ex S. *Hieronymo*, ſed in poſterùm eſſe implenda, juxta id quod habetur Soph. 3. v. 13. collat. Jerem, 50. v. 19. 20. Ipſa quoque 12. *tribuum* (h. e. poſterorum earundem) *unio* ſecundùm *Ezechielem* hîc deſcripta, nunquam in plena verborum emphaſi hactenùs fuit; ſed deinceps expectatur futura. Porrò in verbis S. *Hieronymi* ex ipſo Propheta depromptis, *Terra* data olim *Patribus* Iſraëlitarum (h. e. *Terra Chanaan*) myſticè accipitur, & intelligitur per eam omnis illa *Terra*, ſeu potiùs, omnis illa Natio fructum ſpiritualem uberrimè latura, quam *Terra Iſraël* (ſive *Chanaan*) olim adumbrabat, quamve ſucceſſivè poſſeſſuri demum ſunt (unà cum aliis Sanctis) *Iſraëlitæ*, non excluſâ hîc etiam ipsâ *Terrâ Chanaan* cum ſuis incolis, in quantum & ejus populi longè uberiores dehinc fructus ſpirituales Deo ferent, quàm antehac unquam. Si cui placet, conſulat hîc & conferat ea, quæ de *Terra viventium* trado in *Clavi Prophet.* Claſſ. 2. cap. 5. §. 45. p. 187. 188. & ibid. cap. 9. pag. 295. Quomodo item, idem S. Doctor proximè memoratum *Ezechielis* (de *Unione*) locum, applicet *Chriſtianis* etiam illis, qui ab unitate Eccleſiæ ſunt disrupti, (quòd nempe in illis quoque locus ille *ulti-*

mo tempore implendus sit,) videat loc. cit. apud eundem: cujus verba ea de re jam sunt à me relata in *Examine* prætensæ *Reformationis* Cap. 9. §. 9. p. 529. & 530.

XLII. Cùm itaque juxta allegata S. Doctoris verba, imò juxta mentem in iis Spiritûs S. clarum sit; nomen *Israël* in toties cit. cap. *Ezech.* 37. mo, ita accipi primariò pro veterum *Israëlitarum* reliquiis, ut ipsa quoque *Ecclesia Christiana* sub ejus significati latitudine debeat includi; patet inde, hæc aliter cum invicem conciliari non posse, nisi eô modô, & quidem optimè, quem jam cœpi aperire; nimirùm quatenùs pars aliqua posterorũ veteris *Israëlis*, populi quondam Deo dilecti, jam certò in medio *Christianorum* est latenter; ita ut si unquam, nunc vel maximè ad omnes de ultimi temporis *Regno Dei* sollicitos, dici possit illud Salvatoris: (*b*) *Ecce Regnum Dei intra vos est*. Hoc tamen summoperè desideratur, ut *Regnum* illud magis atque magis excolatur, & in apricum producatur.

XLIII. Sed age paucis jam ipsum *Ezechielis* textum expendamus; ut ex admirabili processu dictæ *Resurrectionis* parabolicæ, ipsa medulla nostri argumenti eò pleniùs patescat. Videmus hîc *Resurrectionem* (seu *revi-*

(*b*) *Luc.* 17. *v.* 21.

revivifcentiam) *Domûs Ifraëlis* ita à Propheta defcribi, ut manifeftè pateat, eam fucceffivè ac per gradus, & per certa temporum intervalla peragendam fuiffe atque fore, ac proinde non fit mirandum, fi hactenùs pars pofterorum *Ifraëlitici* populi in medio Chriftianorum latens, non fuerit animadverfa. *Primùm* collocatur Propheta à Spiritu Dei *in medio vallis* cujufdam, (juxta textum Hebr.) feu, ut *Hieronymus* & LXX. non tam literam, quàm fenfûs congruentiam fecuti verterunt, *in medio campi.* verf. 1. Ezech. cit. cap. 37. Sicut *vallis*, feu *convallis* ideo dicitur hoc in loco, & aliis quibufdam Hebraicè בקעה (*Bikah*,) à rad. בקע, *Scidit, Rupit*, quia à Montibus utrinque *diffecta* eft, (ut rectè *Buxtorfius* (c) obfervat,) ac per hoc quandam *rupturam* femper fuî notatione in fe involvit; fic *Campus* quoque dictô locô, cujufdam diffolutionis, & nimiùm laxatæ libertatis ingenii ac difciplinæ figura eft. Matthias *Parifienfis (d)* vocat hunc myfticum *campum* paraphrafticè *Latitudinem campi Ecclefiafticæ culturæ.* At verò juxta vim vocis Hebraicæ, per *Vallem* hanc è sciffione montium enatam, congruentiffimè poffumus intelligere horrendas illas *Sciffiones*, quæ

(c) *In Lexic. Hebr.* (d) *Tractat. de* Regno, popul. & vit. & morib. Antichrift. *cap.* 1.

quæ hodie (proh dolor!) vigent passim in Christianismo. (Notandum autem hîc est obiter, quòd etiam ad literam *Vallis* aliqua, nempe lata, conjunctum sibi solet habere aliquem *Campum*, (e) seu planitiem. Sic & mysterium utriusq; sibi invicem junctum est in hoc argumento; ut proximè dicta ostendunt.) *Secundò* videt Propheta *Vallem* istam *plenam ossibus* insepultis, in superficie ejusdem *Vallis*, seu *Campi*, iisque valde *siccis*, seu *aridis*. Cit. cap. v. 1. col. 2. & v. 2. Quæ *ossa sicca* memoratus *Parisiensis* (f) interpretatur *fidem mortuam multorum, per latitudinem campi Ecclesiasticæ culturæ*. Intellige autem hîc *fidem mortuam* Metonymicè, pro ipsis hominibus tali *fide mortuâ* præditis. Eodem vergit, dum *Cornel.* à Lapide *ossa* illa sic explicat: (g) *Per ossa hæc arida, puta per Judæos in Babylone* (in typum aliorum) *quasi emortuos, intelligit PECCATORES, qui per peccatum perdiderunt animam & vitam, i. e. gratiam Dei.* Pleniùs verò, & in scopum præsentem accommodatiùs, S. *Hieronymus* (h) exponit de iis in medio Christianorum, *qui instar Lazari peccatorum suorum fasciis colligati, ad vocem Domini suscitantur, & verè sunt DOMUS*

IS-

(e) *Vide Deut.* 34. *v.* 3. *juxt. text. Hebr.* (f) *Loc. cit.* (g) *Corn.* à Lap. *Comm. in Ezech.* 37. *v.* 3. (h) *Comm. in Ezech.* 37.

ISRAEL, arens quondam, & nullam spem habens salutis, sed intrante in se Spiritû gratiæ, & porrigente Domino manum, de profundo inferi liberantur. Uno verbô: In quibuscunque experimur nudam tantùm nominis & fidei Christi professionem, sine ulla vera pietate, veraque vitæ sanctitate, (quæ certè cum amore Mundi & vanitatum ejus, cumque horrendis in invicem odiis, & virulentis dissidiis consistere nequit,) tales meritò dicimus *ossa arida* esse, ut quæ omni *carnium*, *nervorum* & *cutis* spirituali sensû acceptorum tegumento, robore ac decore carent. Rectè autem hæc *ossa* ad distinctionem aliorum *ossium* dicuntur *arida*: nam alioquî *ossa* carne, nervis & cute tecta, munita & ornata, figuram habent *fortium* & *Sanctorum* in Ecclesia, juxta eruditam S. *Augustini* (i) expositionem. Est tamen hîc quoque aliquid in *Ossium aridorum* figura, quod dignum notatû est. Insinuatur nimirum implicitè, eos qui hîc sensû pleniori & strictiori *ossa arida* dicuntur, esse omninò homines duros & pertinaces in suis placitis & affectibus; esse item multos eorum, qui ex officio fortes & fulcra quædam esse deberent in populo, sicut *ossa* in animali. Hæc de *ossibus*

(i) *Enarr. in Psal.* 30. *v.* 11. & *in Psal.* 41. *sub fin.* & *in Psal.* 43. *v.* 25.

aridis, sensû *strictiori* acceptis. Quibus *latiori* sensû accensendi sunt quodam modô illi etiam fideles, (quantùm ad diversas afflictiones, & consolationum inopiam, dictis *ossibus* similes,) qui jam (Deo adhærentes) satis quidem luctantur contra Carnem & Satanam,& seriò aspirant ad veram & solidam pietatem,vel potiùs ad ejus jam in ipsis inchoatæ ulteriùs incrementum, veramque & pleniorem sanctitatem; attamen ob varia interna & externa Satanæ impedimenta,nondum potuerunt ad optatum profectum eluctari: & dum in hoc misero suo statu undiquaque horrendis adeò premuntur, affliguntur, & quasi obruuntur adversis, ut non possint pro voto Deum colere, & in spiritualibus diu desideratum progressum facere; ideò *Ossibus aridis* quadam ratione similiores & propinquiores sunt, quàm vivis hominibus virore & succo salubri vegetis. Huc faciunt (in sensu mystico) illa Psalmistæ verba: (†) *Adhæsit os meum carni meæ.* Item: (*) *Ossa mea tanquam focus exusta sunt*: juxta Hebr. (aliàs; *sicut cremium exaruerunt.*) Confer hîc quoad mysticum sensum Job. 19. v. 20.

XLIV. *Tertiò*, postquam interrogatus esset Propheta à Domino,(fidei suæ exercendæ

(*) *Psal.* 101. (*al.* 102.) *v.* 6. (*) *Ibid. v.* 4.

dæ causâ,) Num *victura* (seu revictura) essent *ossa* illa? (v. 3.) Dominoque, ut decebat, respondisset: *Domine Deus, tu nôsti*; (quod videtur nobis fidelium illorum quandam hæsitabundam ignorantiam adumbrare, qui ultimis hisce temporibus, ad auditum hujusce admirabilis *Restitutionis* futuræ populi *Israël*, non minùs quàm *Ezechiel* olim, stupendo super hac re ad tempus hæsitabunt,) mox jubetur prophetare de *Ossibus* istis, (v. 4. 5. & 6.) & iisdem hæc nomine Domini dicere: *Ossa arida, audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos Spiritum, & vivetis: & dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem; & dabo vobis Spiritum, & vivetis, & scietis, quia ego (sum) Dominus.* Hoc Dei mandatum, & Prophetæ factum (v. 7. col. 1.) perspicuè docet, sub typo visorum in Spiritu *ossium*, adumbrari hîc nobis non literalia aliqua, sed rationabilia, eaque ad audiendum Dei verbum in antecessum præparata *ossa*: primariò nempe Christianos illos è posteris *Israëlitarum*, de quibus paulò antè (k) diximus, & qui principalis nobis sunt scopus in hoc opusculo; secundariò autem aliarum etiam Nationum creden-

(k) §. XLIII. h. cap. pag. 128. 129. 130.

dentes, illis ſtatû & miſeriâ ſimiles. Alioquî *oſſa* propriè dicta, & ad literam *arida*, nequaquam poſſunt *audire verbum Domini*; ac proinde etiam prædicare iis, (quà nudè ſpectantur,) ineptum & abſurdum eſſet. Sunt ergò hæc *oſſa*, non ſolùm non literalia, & ratione carentia, ſed neque utcunque rationalia, v. g. *Judaica*, vel *Turcica*, vel *Ethnica*, quà talia adhuc obſtinatè manent, ſed *Iſraëlitico-Chriſtiana* & Eccleſiaſtica membra; quæ per antecedentes Verbi Dei prædicationes ad hoc præparata & elaborata ſunt, ut ſint jam *oſſa* quædam in medio Eccleſiæ, vel populi Chriſtiani; atque ideò etiam, non ſolùm abſque ullis miraculis, vel aliis poſt datum ad Prophetam Dei mandatum præparamentis, prædicatur illis Verbum Dei lætiſſima eis annuncians, ſed etiam diſertè eadem, *Domus Iſraël*, h. e. Eccleſia vel Populus Dei nuncupantur, v. 11.

XLV. *Quartò*, poſtquam Propheta *Oſſibus hiſce* prophetâſſet, & Dei jucundam eis conſolationem annunciâſſet, (qui ſuâ hâc prophetiâ apprimè nobis adumbrat ipſum Chriſtum Dominum, per ſuos Servos, arcana Prophetiarum de hac *Reſtitutione* in dies magis & magis ſuæ Eccleſiæ aperientem,) experitur deinceps (v. 7.) *ſonitum*

quen-

quendam & *commotionem*, scil. *ossium*, quâ commotione *accesserunt* sive appropinquârunt ad invicem *ossa*, seu unumquodque *os ad os suum*, sive ad *juncturam* suam. O suavissimus ille *sonitus*, *auræ tenui*, seu *voci leni* (*l*) ab *Elia* auditæ similis, quem fausta sequitur *commotio*! O desiderata illa *commotio*, quâ *ossa* Ecclesiastica ab invicem non disjunguntur, sed ad conjunctionem mutuam *accedunt*! Perspicimus hîc prædici manifestè, *ossium* Ecclesiæ supra (*m*) explicatorum, *sonitum* quendam, h. e. prædicationem & mutua colloquia ac scripta secutura, de modo *Restitutionis* hujus *Israël*, juxta Dei verbum; & post ejusmodi *sonitum* secuturum successivè *ossium* eorundem, nunc (proh dolor!) deplorandum in modum ab invicem disjectorum, *appropinquationem* ad invicem per sanctam charitatem, & præparationem suî ad *Fidei unitatem*.

XLVI. *Quintò*, videt Propheta *nervis ossa* invicem conjungi, & *carne* atque *cute* ea superindui, cùm tamen nullum adhuc *Spiritum* (sensu excellentiori) vivificantem in se haberent, v. 8. *Nervi* firmissima pro *unitate fidei* argumenta, glutine charitatis temperata denotant, quibus convicti

I 3 hi

(*l*) 3. (*al.* 1.) *Reg.* 19. *v.* 12. (*m*) §. 43. & 44. *h. cap. pag.* 128. 129. 130. & 131.

hi *Israëlitæ* jam nomine gaudentes Christiano, (cum multis aliarum Nationum credentibus,) ante pleniorem etiam illam *Spiritùs* S. mensuram, quæ ultimis temporibus reservatur, incipient cum invicem mutuam colere fraternitatem, & se se in unum corpus conjungere. *Caro* his *ossibus* superaddenda, significat emolliendam cœlitùs in homine naturam, & emolliendos affectus ad deflendum sua peccata, ut sic homo habeat cor verè contritum & humiliatum; juxta illud: (n) *Dabo vobis cor CARNEUM*: quod *lapideo*, seu *osseo* (o) ac duro cordi opponitur. Hoc sensû dicit Psalmista: (p) *Ad te omnis CARO veniet*. Item: (q) *Cor meum, & CARO mea exultaverunt in Deum vivum*. Hoc sensû accipitur *caro* in versu illo: (r) *Videbit omnis CARO Salutare Dei*. Aliàs tamen *Caro* pro ipsa corruptione seu corrupta natura accipitur: ut plurimis in locis (ſ) apud Apostolum; ex quibus pauca tantùm hîc in margine notavi. Hîc itaque non *Caro* perversa, indurata in malo, & detestanda, sed *Caro* jam ad fle-

(n) *Ezech.* 36. *v.* 26. *collat. Ezech.* 11. *v.* 19. (o) *Ibid.* (p) *Psal.* 64. (*al.* 65. *v.* 3. (q) *Psal.* 83. (*al.* 84. *v.* 3. (r) *Luc.* 3. *v.* 6. *ex Isa.* 40. *v.* 5. *juxta LXX. Confer hîc Isa.* 66 *v.* 23. 24. (ſ) *Rom.* 7. *v.* 18. 25. & 8. *v.* 1. 3. 4. 5. 6. 7. 12. 13. 1. *Cor.* 1. *v.* 26. & 15. *v.* 50. *Item* 2. *Cor.* 12. *v.* 7. *Gal.* 4. *v.* 17. 19.

fletus & lachrymas de peccatis atque erroribus fundendas emollita, Deoque subjecta intelligitur; non obstante, quòd carnales etiam imaginationes ad tempus infestent animam tali jam *carne* meliori praeditam. Cor certè emollitum & contritum testatur in iis confessio ista: (v. 11.) *Aruerunt ossa nostra.* &c. Recognoscunt nempe, (aliqui saltem,) ingentem suam miseriam spiritualem. Quia verò ista *Caro* jam in fletibus Deo subjecta conjunctam habet animi humilitatem & docilitatem; (quae virtutes ad veram ac coelestem sapientiam consequendam necessariò requiruntur, imò in humilitate ac docilitate eam indefessè quaerentibus certò datur;) ideò rerum etiam Divinarum plenior cognitio, & uberior in spiritualibus profectus, ad eandem *carnem* velut ejusdem decora quaedam incrassatio refertur; quâ cognitione anima Deo adhaerens, (s) *velut adipe & pinguedine* quâdam *repletur*, juxta Psalmistam. Sub figura *Cutis*, intelliguntur virtutes illae, quae hominem corde contritum ejusque infirmitatem tegunt ac muniunt contra adversitates spirituales, (uti *cutis* teneritudinem *carnis* contra injurias *aëris* & similia,) atque etiam exornant contra prio-

(s) *Psal.* 62. (*al.* 63.) *v.* 6.

rem fœditatem quasi cruentam. Sic *Fides* in Christum recumbens, & fiducia seu *Spes* inde resultans, est quasi *cutis* quædam tegens & muniens nostras infirmitates contra insultus Satanæ. Unde *Fides* (quà protegit) *scuto*, (t) & (*) *Spes galeæ* comparatur ab Apostolo. *Charitas* autem cum plenioribus suis operibus, est decus & ornamentum atque perfectio *cutis* illius mysticæ. Hæc directè inveteratis multorum (quorum melioratio hîc prædicitur) odiis mutuis, (velut livori & cruori carnis) opponitur. Quòd porrò subjicitur, (cit. v. 8.) nondum fuisse *Spiritum* in *ossibus* illis, etiam *nervis*, *carne* & *cute* vestitis; non ita intelligendum est, quasi nulla penitùs in iisdem sic jam vestitis *Spiritûs* S. operatio occulta (in implemento) existeret; sed quòd ea vis *Spiritûs* Dei vivificans, (jam (u) insinuata,) quâ à potestate Diaboli & peccati liberati, in dies plenè sanctificabuntur, (ut solus *Christus vivat* in ipsis, juxta Gal. 2. v. 20.) & quæ indivulsè secum feret extraordinarium illud atque ultimo tempori reservatum lumen cœleste, quô, altiori mysteriorum verbi Dei intelligentiâ imbuendi sunt, nondum est

(t) *Ephes. 6. v. 16.* (*) *Ibid. v. 17. collat. 1. Thessal. 5. v. 8.* (u) *In initio huj. S. pag. 133.*

est (vel erit) in ipsis ad solam spiritualium *nervorum, carnis* & *cutis* præsentiam: quæ vis dum aderit in eis, tunc *Fides* quoq; & *Spes eorũ* de bonis *Israëli* promissis priùs inchoata, erit fundatissima, solidissima & absq; omni hæsitatione certissima; *Charitas* verò ipsorum (in comparatione præcedentium) erit planè ardentissima, & sancto zelo pro gloria Dei & Regno Christi liberè promovendo plenissima. Sic & alibi dicitur de *Spiritu* Sancto, quòd *nondum* erat; (Joan. 7. v. 39. inprimis juxta text. Græc.) quia pleniorem illam per Prophetas olim promissam *Spiritûs* S. mensuram, nondum Christi sequaces, ante ejusdem in cœlum ascensionem, acceperant. Ita etiam ingens illa mensura *Spiritûs* S. quæ in ultimum tempus dilata est, (juxta *Joël* 2. v. 28. 29. (quem locum ostendi in *Clavi Prophet.* pag. 66. & 67. ita pertinere ad initium Novi Test. ut tamen adhuc pleniùs pertineat ad postremam ejus partem;) collat. hîc Isa. 32. v. 15.) dicitur non statim fuisse vel esse in *ossibus* dictô modô vestitis: quia successû temporis dabitur demùm illis plena illa *Spiritûs* mensura, & simul illa virtus ejusdem consolatoria & recreans, quâ ex horrendis & diuturnis suis calamitatibus variis ita *vivificabuntur*, & erigentur, ut dein-

ceps liberrimè & uberrimè possint in spiritualibus progredi.

XLVII. *Sextò*, Propheta ad Dei imperiũ (v.9.) dicit propheticè (v.10.) *ad Spiritum*, ũt *à quatuor ventis*, seu, quatuor plagis mundi *veniat*, *& insufflet super interfectos illos*, (seu super *ossa* illa,) *& reviviscant.* Dictum factum; *stetitq́; super pedes suos exercitus valde grandis.* Implicitè indicatur hîc, quòd quemadmodùm in prima *creatione* Deus (v) *inspiravit in* hominem *spiraculum vitæ*; sic in secunda ac spirituali *creatione*, quando Mundus (inprimis Christianorum Orbis) ultimo tempore ex horrenda errorum & peccatorum suorum morte (juxta Rom. 11.v. 15.) excitabitur, ipsique electi tam *Israëlis* quàm aliarum Nationum ex variarum ac diuturnarum suarum tribulationum sepulchro educentur, æquè necessarium erit, ut ipse Deus singularem & extraordinariam *Spiritûs* sui virtutem exerat, ad tam grande & admirandum opus peragendum. Atque tunc implebitur illud, quod jam S. *Hieronymus* (x) rectè in præsens argumentum applicavit: (y) *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Significat autem ista Prophetæ ad *Spiritum* à *quatuor ventis* eum

(v) *Gen. 2. v. 7.* (x) *Comm. in Ezech. 37.* (y) *Psal. 103. (al. 104.) v. 30.*

eũ invitantis seu excitantis facta prædicatio, illam quorundam Servorũ Christi (*prophetiarum* intelligentiâ instructorum) prædicationem præmaturam (in sacris nempe *prophetiis* fundatam, ac per hoc *prophetantem*) de ipsa, quæ hîc tractatur, *Restitutione Israëlis*, fervidis pro *Spiritu* hoc dando orationibus junctam, quæ demùm ita penetrabit in corda quorundam ex Mundi Nationibus, in *quatuor* (†) Orbis Christiani *partibus* credentium tam Secularium, quàm Ecclesiasticorum, scilicet paucorum eruditiorum & modestiorum, ac etiam eximiis (supra alios) *Spiritûs* S. donis exornatorum, ut pro mensura donorum sibi cœlitùs collatorum, suis actis, scriptis, colloquiis, instructionibus & consiliis ea agant, quibus ignotorum ipsis, & in *Christianismo* latentium *Israëlitarum*, aliorumque similis sortis Christianorum animi excitentur ad eluctandum ex suis animæ & corporis calamitatibus, & ad capiendum inde insignem & largam de futuro meliori suî statû consolationem. Quia verò talia illorum acta, scripta, colloquia, instructiones & consilia vice *prædicationis* erunt in cordibus dictorum *Israëlitarum*, in Christianismo latentium,

(†) *Ex* quatuor Quadrigis *Zach.* 6. *v.* 1. - 5. *lux aliqua huc affulgere potest.*

tium,& aliorum similis afflictæ sortis Christianorum, inde fiet, ut eadem occasione *Spiritus* Dei Sanctus (qui *prædicationibus* verbo suo conformibus, utitur quodam modô, tanquam suis vehiculis,) per eadem acta, scripta, colloquia &c. lecta vel audita uberrimè se gradatim insinuaturus sit in pectora eorundem *Israëlitarum*, & similium afflictorum Christianorum. Unde concomitanter certò sequetur eorundem ex suarum spiritualium & corporalium calamitatum morte ac sepulchro lætissima *vivificatio*. Dum autem *Spiritum* hîc alloqui & invitare jubetur Propheta, facilè eruditus quisque perspicere potest, per *Spiritum* in illa locutione, Metonymicè *Spiritû* illô (in diversis Orbis Christiani partibus) instructos debere intelligi. A *Spiritu* enim Sancto habent dona illa, quibus alii eriguntur, excitantur, & consolatione implentur. *Veniunt* autem tunc illi (de quibus loquimur,) ad *ossa arida* jam explicata, quando iis se se per sua excitantia & consolantia opera insinuant cum fructu illo *Spiritûs* Divini, quem jam indicavimus. Cùm verò tam manifesta sit hîc distinctio inter *Ossa* illa *Israëlitica*, & partes illas Mundi, à quibus *venire* jubetur *Spiritus* excitaturus, consolaturus, & vivificaturus *ossa*

illa;

illa; inde evidenter sequitur, illos, quorum operâ *Spiritus* Dei uberrimè intrabit in dictos *Israëlitas ossibus aridis* & disjectis comparatos, nequaquam esse ita prorsùs miseros & abjectos, ut *ossei* illi *Israëlitæ* latentes in *Christianismo*, & iis forte similes; sed liberiori & feliciori inter Christianos frui statu, in comparatione saltem *ossium* illorum. Obiter hîc & istud insinuo; quòd cùm *Spiritus* in Scripturis aliquando sumatur in genere pro *anima* vel *animo* hominis; (ut patet 2. Paral. 36. v. 22. *Suscitavit Dominus SPIRITUM Cyri Regis Persarum*; item 1. Esd. 1. v. 1. (z) & passim;) potest hîc *Spiritus* latiori etiam sensû accipi, atque sic prædicatio ad *Spiritum* in *quatuor* Orbis terræ partibus existentem, significare ipsam excitationem generosiorum *animorum*, præsertim in sublimitatibus positorum, (etiam nondum Christi Fidem profitentium,) operâ piorum & fervidorum Dei Servorum (& his assistentium Fautorum) futuram, ad hoc, ut illi singulari quodam erga Dei Populum multifariàm afflictum favore & benignitate utantur, quò faciliùs, citiùs & feliciùs idem Dei Populus è variis suis internis & externis calamitatibus emergat, Deoque pacatè & quietè (velut è mor-

(z) *Confer hîc Psal.* 103. (*al.* 104.) *v.* 29. *Eccl.* 12. *v.* 7.

morte redivivus) *vivat*. Confer intereà uberioris causâ lucis, (quoad *quatuor* Mundi partes, *Orientem*, *Occidentem*, *Aquilonem* & *Auſtrum*,) de *quatuor ventis*, (ſeu, de phraſi illa,) loca ſequentia: Jerem. 49. v. 36. Ezech. 42. v. 16. 17. 18. 19. 20. Dan. 7. v. 2. & 8. v. 8. & 11. v. 4. Zach. 2. v. 6. & cap. 6. v. 5. Matt. 24. v. 31. Marc. 13. v. 27. & Apoc. 7. v. 1. & 1. Paral. 9. v. 24.

XLVIII. Obſervemus etiam, quòd, dum hic *Spiritus veniet* & flabit *à quatuor ventis*, ut vivificet, animet, & conſolatione uberrimâ impleat miſeros illos *Iſraëlitas*, jam tunc quatuor illi *Angeli*, de quibus agitur Apoc. 7. v. 1. adverſariæ nempe Poteſtates, electis inimicæ, quæ variis ſuis technis ad tempus obſtant, *ne flaret à quatuor ventis terræ ventus* animas vivificans & exhilarans, *ſuper terram*, *ſuper mare*, aut *ſuper ullam arborem*, compeſcentur occultâ Chriſti Domini per ſuos Servos operatione, ne *vento* illi quadruplici obſiſtant, ac ne ſuâ hâc obſiſtentiâ *noceant terræ*, *mari*, vel *ulli arbori*, *quoad uſque* electi *Dei Servi ſignentur in frontibus ſuis*. Ideò abſque ullo obſtaculo *venire* prædicitur apud Prophetam *Spiritus à quatuor ventis*, ad vivicandos *Iſraëlitas memoratos*, & ad uberrimâ eoſdem conſolatione implendos. Poſtquam autem hoc

hoc *Spiritû* jucundiſſimô *perflabuntur*, tunc cognoſcent ſe reverà eſſe *ex fonte Iſraël*, juxta Pſal. 67. (al. 68.) v. 27.

XLIX. *Poſtremò* ſubjungit Dominus ipſe brevem hujus typi explicationem ad Prophetam, v. 11, 12. 13. & 14. *Fili hominis! Oſſa hæc univerſa Domus Iſraël* ſunt. &c. *Univerſam* ſeu totam *Domum* dicit; non partem *Domûs*, quanquam magna adhuc pars ejus (juxta veterem ac literalem denominationem acceptæ) extra *campum* ſeu *vallem* jam explicatam alibi ſit diſperſa in Mundo. (De *Iſraëlitis* enim *Chriſtianum* nomen profitentibus eſſe hîc primariò ſermonem, tum ſupra (a) docuimus, tum etiam ex v. 11. ritè excuſſo eruditis perſpicuè patet.) Nimirùm quia hæc *Domus* Chriſtianum jam nomen gerens eſt fermentum & radix reliquorum omnium *Iſraëlitarum*, qui unquam dehinc ex diverſis Mundi plagis (è medio *Turcarum* aliorumque) ad Chriſtum adducentur, nec aliter, quàm per Chriſtianos *Iſraëlitas* & alios credentes erit eorum plena converſio. Accedit, quòd ut olim in Vet. Teſt. vel ſub initium etiam Novi, nondum Judæis penitùs rejectis, non alius Populus dictus eſt *Domus Iſraël*, quàm Populus Dei fœderatus; (etiamſi eſſet

(a) §. 38. 40. 42. 44. *h. cap.*

esset in *scissione*, ut *decem tribus*;) ut hoc ex innumeris locis patet; sic etiam in Novo Testamento, post *Judæos* Christi interfectores rejectos, non alius Populus dici potest ex phrasi Prophetarum sensû Novo huic Testamento congruô, ac de præsenti, *Domus Israël*, quàm Populus seu Familia ac multitudo *Christi* nomen profitens, sive sit ex antiquo Populo *Israëlitico*, sive ex aliis Mundi Nationibus. *Israël* certè Christi nomini & cultui contrarius, non nisi catachresticè, & nimis largô sensû potest dici *Domus Israël*; scil. ratione præteriti; quia è *domo* illa habet carnalem originem. Atqui phrasis illa nunc, ex scopo Prophetiæ, nequaquam merè carnales nobis monstrat *Israëlitas*, sine mystico simul sensu ejusdem phraseos. Non est itaque mirum, quòd non alia *ossa* ex *Israële* ortum ducentia, (qualia sunt inter *Turcas*, *Tartaros* & alios extra Christianismum, & qualia sunt ipsi *Judæi* corticales,) sed sola illa, quæ *Christianum* profitentur nomen, (unà cum aliarum Nationum Christianis,) dicuntur in allegato Ezechielis textu, *Universa Domus Israël.* Insuper videtur hoc etiam locutione illâ insinuari, quòd *tota Domus Israël*, speciali ac strictiori suâ significatione sumpta sub Christiano nomine adhuc

huc latens, sunt hoc tempore sensû jam (†) explicatô tantummodò *ossa arida*; ita ut nullus sit ex membris ejus, (*Israëlitis* scilicet occultis, ut & statû his similibus,) qui nunc aliquo modo *ossibus aridis* non possit comparari.

L. Porrò, querelam hujus *Domûs Israël*, cognitioni suæ miseriæ spiritualis, ac implicitæ contritioni cordis, jungentem magnam fidei ejus (ante acceptum modô supra (*b*) explicatô *Spiritum*) infirmitatem, quæ & incredulitatem ipsius de Divinis promissis implendis arguit, sic (v. 11.) Dominus in eadem (jam (*c*) memorata) typi expositione nobis proponit: *Ecce ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra; & periit spes nostra*, & *abscissi sumus*, seu *succisi sumus*. Quibus in verbis recognoscunt quidem se esse miserrimos; sed tamen ut homines, suam ad invicem hôc sermone produnt infirmitatem, eò quòd nulla vident humana media sibi faventia, nullúmque humanitùs nôrunt modum futuræ suæ ereptionis & liberationis è præsenti suarum calamitatum animæ & corporis voragine. Verùm Deus ut est clementissimus, & memor suorum verborum ad majores populi *Israël* quondam

(†) §. 43. b. cap. pag. 128. 129. 130. (*b*) §. 46. 47. hoc cap. pag. 136. 137. 138. (*c*) §. 49. b. cap. pag. 143.

dam factorum, huic eorum infirmitati & incredulitati opponit (v. 12. 13. 14.) jucundam suam promissionem certò suum effectum consecuturam. *Ecce* (inquit) *ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus; & inducam vos in terram Israël: Et cognoscetis, quia ego sum Dominus*, (seu *Adonai*, יהוה,) *cùm aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris, popule meus: Et dedero Spiritum meum in vobis, & vixeritis*, &c. Eadem ipsa, quæ supra sub figura (*d*) *nervorum, carnis, cutis* superinducendæ, & *Spiritûs à quatuor ventis* ad vivificandum Israëlitas *venturi* promittebantur, nunc iterùm aliis verbis clarioribus proponuntur, unà cum adjecta promissione de introducendis iis in *terram Israël*. Quid per hanc *Terram Israël* stylô typico & prophetico intelligatur, jam supra (*e*) diximus. Intelliguntur nempe omnes Terræ & Nationes S. Ecclesiæ, (seu Christianitatis) tum præsentes, tum deinceps unà cum terra *Chanaan* & populis ejus habendæ, tanquam olim in typo *terræ* illius præsignificatæ, & ab *Israëlitis* atque aliarum Nationum electis demùm quietè & in *unitate Fidei* possidendæ. Quid sit in illam *Terram*, & ejus significata *introduci*; statim pate-

(*d*) S. XLVI. *h. cap. pag.* 133. (*e*) S. XLI. *pag.* 125.

patebit. Notandum autem eſt, quòd ſupra (*f*) *Oſſa* Iſraëlitica viſa ſunt in *ſuperficie campi* ſeu *vallis*, tanquam inſepulta disjecta; at verò hîc *Spiritus* Dei diſertè *ſepulchrorum* meminit. Ergò uti non literalia *oſſa* hîc in figura viſorum *oſſium* (quantum ad ad rem ſignificatam) intelliguntur, ſic neque literalia *ſepulchra*, ſed figurata, ſeu metaphorica; horrendarum videlicet calamitatum animæ & corporis voragines: in quibus, dum nullam adhuc fixam & ſolidam ſentiunt fideles in anima conſolationem (quam ad tempus neque volunt (*g*) admittere,) de futura ſuî liberatione, rerumque ſuarum melioratione, ſunt velut *ſepulti* ac penitùs obruti. *Aperit* autem tunc Dominus hæc *ſepulchra* myſtica; (1.) dum non ſolùm ita cum tempore populi ſui calamitates aliis notificat, ut penitiùs incipiant ſibi perſuadere, quàm acerbiſſima Dei Populus è *fonte Iſraëlitico* ortus patitur; ſed inſuper finem & ſcopum illarum calamitatum, tum patientibus ipſis, tum aliis ita ex verbo ſuo manifeſtat, ut ex illis ipſis calamitatibus poſſint diſcere, quis populus ille ſit, & quòd populi illius tam ſevera caſtigatio, exemplum moni-

 torium

(*f*) § *XLIII. b. cap. pag.* 128. (*g*) *Vide Pſal.* 106. (*al.* 107.) *v.* 18.

torium est ad alios, ut cum timore ac tremore sint solliciti de prævertenda ira simili sibi minante & imminente, atque ipsi quoque patientes caveant deinceps Deum vindicem contra se peccatis suis provocare. (2.) *Aperit* pleniùs, dum vincula spiritualia, (uti sunt peccata & errores) quibus irretiti, miseram animæ sustinent captivitatem, (*b*) solvit, & diuturna suæ vivificationis, & ex variis animæ & corporis calamitatibus eductionis obstacula tollit, viam certissimam clariùs atque clariùs per suos Servos in dies monstrando, quâ ex abysso suarum miseriarum in lucem prodire, & optatissimam vitam in Dei gloriam vivere possint. Confer hîc lucis causâ, Isa. 51. v. 14. *Citò veniet gradiens ad aperiendum*: & cap. 61. v. 1. col. ult. - *ut prædicarem - clausis APERTIONEM.* Contrarium tribuitur *Antichristo* illi magno, sub figura *Luciferi* prædicto: Isa. 14. v. 17. col. ult. *Vinctis ejus* (seu *vinctis suis*) *non aperuit carcerem*: ut sensum, non verba Vulgatus Interpres expressit. Hæc de *apertione*. *Educit* autem Dominus *Israëlitas* ex memoratis *sepulchris*, dum juxta viam eis monstratam actû ipsô amovet ab iis priores animi & corporis pressuras, & incipit illos

in

(*b*) *Juxta Psal.* 106. (*al.* 107.) *v.* 14. *col. ult.*

in vera libertate ſtatuere. *Introducit* eos *in Terram Iſraël* ſensû myſticô; (1.) dum myſteria *Regni cœlorum* ſeu *Regni Dei*, (quod in re idem eſt cum *Regno*, (*i*) *Iſraëli* in perſona *Davidis* olim promiſſo) magis ac magis eis notificat, & pleniùs eos in dies edocet de præſenti & futuro veræ Eccleſiæ ſtatu: ita ut, dum in ipſa penetralia ſanctæ Dei *Eccleſiæ*, lumine fidei, mente ac mentis jucundô ſensû & acquieſcentiâ tranſierint, jam tunc greſſum primum & fundamentalem facient introitûs in *terram Iſraël* myſticam. Hôc ipsô enim jam ſunt in ejus quaſi limitibus. (2.) Pleniùs *introducit* tunc, dum memoratas terras & nationes per *terram Chanaan* olim (*k*) præfiguratas, ipſis (unà cum aliarum Nationum electis) vicibus diverſis actû ipſo dat in hæreditatem.

LI. Atque in hiſce Divinis operibus agnoſcent demùm ipsô experimentô jucundô Deum eſſe יהוה, *Adonai*, (v. 13.) immutabilem nempe & fidiſſimum in ſuis promiſſis, olim ad *Abraham*, *Iſaac* & *Jacob* factis;

(*i*) *Hoc patet inde, quia* Regnum *Iſraëliticum ſub Davide & Salomone*, Regnum Domini (*ſeu* Adonai) *dicitur*, 1. *Paral.* 28. *v.* 5 (*collat.* 1. *Par.* 29. *v.* 23. & 2. *Par.* 13. *v.* 8.) *atqui* Regnum Domini (*ſeu Dei*,) *idem eſt, quod* Regnum cœlorum. (*k*) *Supra S. XLI. hôc cap. pag.* 125.

ctis; & dum hoc agnoscent, simul etiam noscent, sibique persuasum habebunt, se esse verum *semen Abraham*, (semen nempe promissionis per *Isaac* & *Jacob*) in plenitudine sensûs phraseos illius, juxta Psal. 104. (al. 105.) v. 6. *Semen Abraham Servi ejus!* (collat. Isa. 41. v. 8.) Alibi idem versus habet, *Semen Israël*: 1. Paral. 16. v. 13. Quod re ipsâ idem est. *Dandi* autem *Spiritûs* v. 14. eadem est expositio, quæ supra (v. 9.) *venturi Spiritûs.* Quòd iterum *Spiritûs dationi* subjungitur, *quieta* collocatio eorum in sua *terra*, & *scientia* ejus rei, quòd *Dominus hæc locutus* est, *& fecit*; amplior eorum profectùs per hæc insinuatur; videlicet, quòd tùm in *terra* mysticè intellecta pleniùs deinde firmabuntur, tùm verò magis ac magis perspicient hæc omnia non humanæ mentis somnia, sed Dei verba esse.

LII. In *Visione* ista tam nobili, tam profunda, totque mysteriis referta, (quæ & S. *Hieronymo* dicitur (*l*) *famosa Visio, & omnium Ecclesiarum Christi lectione celebrata*,) plusculùm morari debuimus, ut vis argumenti ex ea desumpti clarior fieret, ac eò validiùs nostra sententia argumentô inde ductô fulciretur, eóque faciliùs in omnium veritatis amantium pectora penetraret;

(*l*) *Comm. in Ezech. c. 37. sub initium.*

et; cùm ipsa *Visio* penitius excussa, um *resurrectionem* figuratam, per gradus & per aliqua temporum intervalla peragendam, tum etiam populum *Israëliticum* sub lla figura *restituendum* inter *Christianos* jam atentem, ex principali Spiritûs S. scopo nobis monstret. Nunc ad ulteriora progrediamur.

LIII. *Tertius* locus, (pro dicto (m) *secundo* argumento fulciendo,) qui etiam aliter nequit plenè intelligi, nisi admittatur, *Israëlitas decem tribuum* aliis populis (etiam Christianis) esse immixtos, habetur sa. 44. v. 5. *Iste dicet, Domini ego sum*; (scil. ע *Adonai*, ליהוה,) *& ille vocabit se in nomine Jacob*; *& hîc scribet manû sua, Domino*: (h. e. Domini sum;) *& IN NOMINE ISRAEL assimilabitur*. (Vel, juxta text. Hebr. *cognominabitur*: & juxta LXX. βοήσεται, *clamando vocabitur*, vel *celebrabitur*.) Rectè ad hunc locum S. *Hieronymus* (n) observat, *describi hîc varietatem credentium*. Præmisit autem etiam ad versum proximè præcedentem, congruam nostro scopo expositionem. *Alii* (inquit) *inter* herbas *& renascentes* salices, *duplicem vocationem intelligunt*; *ut in* herbis *populus Nationum sit*; *in* Salicibus *hi*, *qui*

(m) *Vide S. XXXI. h. cap. pag. 94.* (n) *Comm. in Isa. cap. 44.*

ex ISRAEL crediderunt. Ex his ergo in tanta *varietate credentium*, & in obscuriore adhuc populi *Israëlitici* à cæteris populis credentibus distinctione, unus *operâ justitiæ* (ut *Hieronymus* loquitur,) & veræ sanctitatis *in se esse* sentiens, & ex his de Christi ovibus per eum justificatis se esse humillimè *confidens*, contentus erit dicere: (†) *Ego sum Domini*, etiamsi ignoret, an ipse sit origine antiquâ è semine *Israëlitico*, vel potiùs ex populis aliarum Nationum: (cùm ex hoc vel illo populo esse, nihil per se æternæ saluti obest, dummodò quis fide vivâ constanter Christo adhæreat;) Deo interim committens, ut illud etiam suo tempore manifestet. Pertinet itaque *primum* istud colon æquè ad omnes veros fideles, sive sint ex *Gentibus*, sive ex semine *Israëlitico* adhuc latente: qui quidem nolunt se ab ullo nomine merè humano denominari, quasi hujus vel illius *Sectæ* sint; sed hoc tantùm volunt, & re ipsâ agunt, ut pateat ipsos esse verum Dei populum, Christi doctrinæ cum operum demonstratione adhærentem. Cujus rei præcipuum documentum est, si teneant illud, quod habetur Joan. 13. v. 35. *In hoc cognoscent omnes, quia*

(†) *Phrasis ista* Isaiæ *pro* fidelitate *in Deum*, *eximiè illustrari potest ex Exod.* 32. *v.* 26.

quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Hæc de *primo* versûs colo.

LIV. *Alter* juxta *alterum* colon ulteriùs penetrans in suî cognitione, ita *Dominum* colet, ut suis in Dei gloriam & animarum salutem actibus, confiteatur se *Jacob* nomen (quà *Jacob*, h. e. *Supplantator* est,) sanctè exprimere, & jam hac in parte (liceat ita loqui) *Jacobæum* (i. e. *Jacobi* imitatorem & progeniem) esse, etsi nondum *Israëlis* nomen (juxta nativam ejus significationem mox (*o*) dicendam) valeat exprimere. S. *Hieronymus* exponit sic: (*p*) *Alius vocabit, subauditur*, Peccatores ad pœnitentiam, *in nomine Jacob, ut & ipsi supplantent vitia & peccata.* Hoc est, ut prudenter & cautè agant ea, quæ peccatis & iniquitatibus in mundo grassantibus destruendis inserviant. Id enim est S. *Hieronymo in nomine Jacob vocare* peccatores ad pœnitentiam. Videlicet, ut quemadmodùm *Jacob* cautè egit & obtinuit, ne *Esau* jure *Primogenituræ* gauderet, eôque in sua prava desideria & affectus perversos exsatiandos abuteretur; sic Prædicatores veritatis & pietatis valde prudenter & cautè debent agere contra homines iniquitati deditos, ad efficiendum hoc, ne per eos iniquitas grassetur

K 5

(*o*) §. 58. 59. (*p*) *Comm. in hunc loc.*

ſetur in Mundo. Hæc eſt mens S. *Hieronymi*: quanquam unà cum Prædicatoribus, etiam alii populi Dei Duces & Directores, ita debent aſſiſtere ejuſmodi Prædicatoribus prudentibus contra Mundi (inprimis Orbis Chriſtiani) iniquitates, ut & ipſi ea in re, quantum fieri poteſt, prudentiam *Jacobæam* (modô ſpirituali) imitentur. Iſta quidem ſententia non penitùs excluditur hîc à latiori verborum ſenſu ; (utpote (quantùm ad *prædicationem*, ſeu *vocationem* ad pœnitentiam) fundata in eo, quòd Hebr. verbum *vocandi*, quod hîc habetur, (à radice קרא, *Kara,*) nonnunquam etiam pro actu *prædicandi*, ſub verbo *clamandi* accipitur: ut in textu illo, Iſa. 58. v. 1. *Kera Begaron,* &c. H. e. *Clama gutture, ne ceſſes.* &c. Item, Iſa. 40. v. 3. *Kol kore bammidbar*: Hoc eſt: *Vox clamantis in deſerto*; niſi quòd pars altera phraſeos, τὸ *in nomine Jacob*, pro eo, quod eſt, ad imitationem *Jacob*, valde inuſitatè hîc applicabitur ;) ſed principalis & directus ſenſus, ſub quo & præcedens illa expoſitio (quantùm ad prudentem prædicationem) comprehenditur, ex propria & nativa dictæ phraſeos ſignificatione requirit, ut verbum *vocandi* non ad alios proximè, ſed ad ipſum *vocantem* ſubintellectivè referatur, ut ſit hic ſenſus ſuprà inſinuatus: (q) *Iſte*, (vel *ille*) *vocabit* ſe *in* (vel de)

(q) *S. LIII. b. cap. pag.* 151.

de) *nomine Jacob.* Id patet ex alia ſimili vel cognata phraſi, Iſa. 43. v. 1. ubi pariter poſt verbum *vocandi* deeſt in Hebræo affixum pronominale, attamen ſubintelligitur. V. gr. *Karathi beſchimka*; H. e. *Vocavi de nomine tuo.*; ubi (ut jam proximè inſinuavi,) pronomen *Te* poſt verbum *Vocavi*, ſubintelligitur; uti non ſolùm Latinùs Interpres, ſed & LXX. rectè Pronomen illud expreſſerunt. Senſus enim id requirit; ut ſit, *Vocavi TE nomine tuo*; uti habet Vulgatus Interpres, & poſt eum alii Interpretes. Ita & in textu in medium (*r*) producto, Pronomen *Se*, ſubintelligitur. Unde *Forerius* (*ſ*) rectè ad ſenſum hujus loci collimavit, dum cenſuit, *paſſivis punctis* legendum eſſe hîc τὸ יקרא, ut ſit, *Jikkare*, h.e. *vocabitur*, quaſi diceret *Jacobæus* ipſo opere *vocabitur*; uti etiam apud LXX. verbum βοήσεται paſſivè etiam verti poteſt, *clamando vocabitur*, eò quòd verbum *Medium* apud Græcos, quale eſt illud, pro ratione conſtructionis nunc *activam*, nunc *paſſivam* habet ſignificationem. Sed quoad rem idem eſt hîc ſenſus, etiamſi verbum Hebr. activè legatur; (ſcil. *Jikra*, i. e. *vocabit*;) uti habet hodierna punctatio, & uti legit etiam S. *Hieronymus*. Jam enim dixi-

(*r*) *Cit. §. 53.* (*ſ*) Forer. *in Iſa. c. 44.*

diximus paulò antè, subintelligi pronomen, *Se*; quod & congruentia cum postremo versûs colo requirit. Seu, quod eodem vergit, idem sonat dicta phrasis ex vi Hebræi textûs, ac si verteretur: *Denominatione utetur in* (vel *de*) *nomine Jacob*. Istam autem *denominationem*, non tam verbalem, quàm opere declarandam intelligamus. Hinc jam versio quoque illa *Pagnini*, & post eum *Ariæ* Montani, *Invocabit in nomine Jacob*, attentô usû quodam simili *Vulgati* Interpretis quibusdam in locis (*s*) ex Græco (*t*) LXX. Interpr. textu acceptô, non potest, nec debet aliud significare, quàm *vocabit*, vel *denominabit*, sive (*) *cognominabit* (se nimirùm) *in nomine Jacob*, juxta illud Versionis Vulg. Isa. 4. v. 1. ubi *septem mulieres* ad *virum unum* mysticè hoc dicturæ prædicuntur: *Tantummodò invocetur nomen tuum super nos*. H. e. *vocetur*, *nominetur*, vel *cognominetur*. Græcum enim ἐπικαλέομαι, (unde usus ille verbi *invocandi* apud Latinos irrepsit, ut jam (*u*) dictum,) non solùm significat, *in subsidium vocor*, sed etiam *cognominor*, vel simpliciter *vocor*; ut loca paulò ante

(*s*) *Vide Gen.* 48. *v.* 16. 3. *Reg* 8. *v.* 43. 2. *Paral* 6. *v.* 33. *Jerem* 14. *v.* 9. *Dan.* 9. *v* 18. (*t*) *Loc. nunc citatis.* (*) *Vide hîc lucis causâ Corn.* à Lapide *Comm. in Gen.* 48. *v.* 16. (*u*) *Hôc Paragraph.*

ante in margine notata apud LXX, ostendunt. Idem sensus erit etiam, si quis textum *Isaiæ* vertat, *Nuncupabit* vel *nominabit nomen Jacobi*; subintellecto, quòd pro se, ac suî similibus id faciet. Unde rectè etiam *Arias Montanus*, de iis, de quibus iste locus sonat, scribit, (*v*) quòd illi hîc, *Jacobi nomen usurpaturi indicantur.*

LV. Quòd verò Corn. à *Lapide*, phrasim illam, *Iste vocabit in nomine Jacob*, sic (in primo suæ expositionis membro) exponit: *Invocabit nomen Dei Jacob*; id quidem verum est de eo, de quo hîc est mentio, quòd id ardenter & perseveranter facturus est; sed illa ejus in Deum fidelitas, nequaquam directè per vim phraseos illius exprimitur, sed tantùm ut consequens in significatione phraseos ejusdem involvitur. Scilicet, quia *Jacob nomine* gaudebit, ideo etiam in illa fidelitate *Jacobi* imitator futurus est. Alioquî longè propiùs ac directiùs in *primo* colo, *Domini ego sum*, quàm in *secundo*, sensus ille exprimitur. Semper itaque reditur ad hoc, ut interpretatio dictæ phraseos ex Hebræo sit hæc: *Vocabit se nomine Jacob.* Eò collimavit etiam S. *Cyrillus* Alexandr. (*x*) dum Græcum textum hîc

(*v*) Ar. Montan. *Comm. in Isa. 44. v. 5.* (*x*) Cyrill. *Comm. in Isa. 44. v. 5.*

hîc ſic expoſuit, quòd *clamare in nomine Jacob* idem ſit, quod profiteri ſe *eſſe funiculum hæreditatis Domini*, juxta illud: (y) *Jacob funiculus hæreditatis ejus.* Obiter & *Chaldaica* Paraphraſis, quæ ſic ſe habet: *Orabit in nomine Jacob*, illuſtranda hîc eſt. *Orabit* nempe ſub tegumento ac ſignificato *nominis Jacob*, tanquam ad *Jacob* pertinens, & *Jacobum* factis ſuis ſpiritualiter repræſentans. Iſta huc uſque pro *Grammatica* interpretatione genuina dictæ phraſeos in medium adducere debuimus, ut *ſpiritualem* ac principalem ſenſum tantò clariùs videre, tantòque firmiùs tenere poſſemus.

LVI. Pro ſenſu autem *ſpirituali* feliciùs inveniendo & exprimendo placet hîc præmittere verba quædam Ariæ *Montani*, hunc locum exponentis: (z) qui poſtquam pro fundamento ſuæ expoſitionis dixiſſet, eſſe quoſdam, diverſam ab *Abrahæ* vita vitam ducentes, *præſertim qui inter ſpem, metumque agunt, & interdum pavent, ſæpè etiam confidunt, & quodam modô in vitæ progreſſu claudicare, aut arte & induſtriâ uti notantur; cujusmodi imaginem* (inquit) Jaghacob *ille antiquus ab uſque juventa, ad luctæ noctem* (a) *illam celebrem expreſſit; jam fratrem iterum atque iterum cir-*

(y) *Deut.* 32. *v.* 9. (z) *Comm. in Iſa.* 44. *v.* 5. (a) *Gen.* 32. *v.* 24.

circumveniens, jam metuens ac fugiens, jam socerum latens ac fallens, ac rursus fratris veritus iram, &c. deinde iſta ſubjungit: *Atqui ipſum JAGHACOB nomen claudicationem, ſimulationem ac diſſimulationem, calcis occupationem, denique artem à ſimplicitate differentem ſignificat. His moribus* (ait) *qui fuerint, non à Religionis tamen veritate & Eccleſiæ profeſſione & communione alieni, JACOBI NOMEN uſurpaturi indicantur.* Hæc ille: quæ quidem de Sanctis & Deum timentibus, (*Jacobi* nempe *nomine* verè dignis,) ſanctè & abſque ulla fraudis ſuſpicione ſunt intelligenda. Confer hîc 1. Cor. 9. v. 20. 21. 22. & 2. Cor. 12. v. 16. col. ult. & Coloſſ. 4. v. 5. & Pſal. 38. juxta text. Hebr. v. 18. collat. itid. juxta Hebr. Pſalm. 35. v. 15.

LVII. Poſt acceptam generalem quandam ex *Aria Montano* lucem ad ſcopum, ſic jam ſpecialiùs toties dictam phraſim illuſtrandam cenſeo. Dum pia anima, omni ſuâ ſollicitudine ſanctâ abſque ullo ſtrepitu mundano id agit prudenter, ut poteſtas, quam Diabolus in perverſis ſuis membris ſibi arrogat in Mundo, quâve in afflictionem bonorum abutitur, ei in dies eripiatur, omniſque vera poteſtas & ſublimitas Chriſto Domino, (myſtico nempe *Jacobo*,) in ſuis veris membris regnanti, & adhuc ple-

pleniùs regnaturo vindicetur, ficque veritas & pietas liberrimos progreffus habeant, folique verè pii & fancti præemineant in Mundo juxta oracula Prophetarum, impii autem de gradu fuo deturbentur, & unà cum iis regnum Satanæ ac peccati deftruatur, ut Chrifti Regnum, quod eft S. Ecclefia Catholica, exaltetur, tunc talis anima fanctè & ad fcopum Divini Spiritûs *Jacobi* nominis in *fupplantando* myfticè particeps eft, feque *vocat* opere fuo *Jacobum*; feu, *nominis Jacobi* expreffsorem & repræfentatorem ipsô factô fe effe indicat, prædicat & clamat. Quantò majori autem quis fervore & diligentia aget id, quod fpiritualiter & propheticè latet fub *nomine* & geftis *Jacob*, tantò magis in dies nofcet fe effe ex femine *Jacob* inter Chriftianos latente; ufque dum altiùs proficiens, pleniorem fuî notitiam acquirat ex myfterio nominis *Ifraël* (de quo paulò pòft dicetur) in fe exprimendo. Quia verò *Jacob* aliquando (*b*) *claudicavit* etiam ad tempus, quâ claudicatione non folùm Judæos perversè ac vitiô fuô *claudicantes*, (*c*) fed etiam fideles quofdam Novi Teft. præfertim ultimi temporis, fanctâ quâdam in diver-

(*b*) *Gen.* 32. 31. (*c*) *Diversô refpectû hoc fieri poffe*, *vide* Clav. *meam* Prophet. *Claff.* 3. *Reg.* 6. *p.* 446. 447.

versas è populo Dei dissentientium partes (pacis inter eas conciliandæ causâ) inclinatione, & quasi *claudicatione* (*d*) propendentes adumbrabat; ideo ex hoc nomine mysticè accepto, noscitur etiam illud, quid sit sensû spirituali, Psal. 38. jux. Hebr. v. 18. אני לצלע נכון H e. *Ego ad claudicationem* (*e*) *paratus sum*: &, Mich. 4. v. 6. 7. *In die illa, congregabo CLAUDICANTEM*: item; *Ponam CLAUDICANTEM in reliquias*: &, Soph. 3. v 19. *Salvabo CLAUDICANTEM*: collat. Isa. 33. v. 23 col. ult. (Ne tamen hîc *claudus* & *claudicans* (mystico sensû,) prorsùs pari in passu graduque ponantur.) Huc usque circa *secundum* citati versûs colon occupari nos fecit tam diversa à diversis data ejus interpretatio, & ipsa arduitas mysterii ejusdem enucleandi. Ad *tertium* nunc progrediamur colon.

LVIII *Tertius* juxta *tertium* colon, (quod bimembre est,) ubi in dies crescet in notitia distinctionis populi hujus & illius, ita se militiæ Domini *subscribet*, hoc est, constantissimô propositô se Deo, ejusque sanctæ Ecclesiæ devovebit, idque perseveranti laborum suorum continuatione te-

L stabi-

(*d*) *Vide lucis causâ* 1. *Cor.* 9. *v.* 20. 21. 22. (*e*) *Vide hîc versionem* Pagnini; *& confer etiam Psal.* 35. *juxta Hebr.* (*al.* 34.) *v.* 15.

ſtabitur, ut jam cum penitiori ſuæ originis cognitione id facturus ſit, tanquam ex *fonte Iſraël* ortus, (juxta (*f*) Pſalmiſtam,) ejuſdemque Patriarchæ fidei, luctæ & pietatis imitator; quod verbis illis exprimitur: *Et hic ſcribet manû ſua, Domino, & in nomine Iſraël aſſimilabitur*: Id eſt, ut Corn. à *Lapide* paraphraſticè exponit, *Simili nomine vocabitur, puta, cognominabitur Iſraëlita.* Prius quoque membrum ejuſdem coli, (ſcil. *ſcribet manû ſua, Domino,*) hic idem rectè exponit: *Id eſt, Domini ego ſum.* Ita enim hîc etiam Interpr. LXX ſenſum τȣ̃ ליהוה, *Domino*, expreſſerunt: τȣ̃ Θεȣ̃ εἰμι, h. e. *Dei ſum.* (Ita illi & in *primo* colo.) Quòd autem *manu ſua* id ſcripturus dicitur is, de quo hîc eſt ſermo, ſimilitudine ſumptâ ab iis, qui ſui nominis ſubſcriptione obligant ſe Domino ſuo; per hoc id tantùm ſignificatur, quod jam ſupra (*g*) inſinuavimus; nimirùm, quòd conſtantiſſimo ſuo propoſito, & piorum ſuorum laborum indefeſsâ continuatione tam arctè ſe obligabit ille Domino, quòd ei militaturus ſit fideliter, ac ſi *manûs* ſuæ *ſcriptione* id ſpopondiſſet. Plus nimirùm jam hîc dicitur, quàm ſupra in *primo* colo, ubi de ſola oris confeſſione (internam in Deum fidem teſtante) eſt men-

(*f*) *Pſ.* 67. (*al.* 68.) *v.* 27. (*g*) *Hôc Paragraph.*

mentio; hîc verò ulteriùs progreditur fidelis pro uberiori incremento gratiæ Dei in se, & firmiùs atque arctiùs se Deo obligaturus prædicitur sub similitudine Chirographi. Lucis causâ affert hîc Corn. à Lapide, quòd *hinc baptizati dicuntur nomen dare Christo, nomenque suum, vel ipsi, vel Pastor eorum, catalogo fidelium inscribit.* Sed ultra hanc obligationem longè alia & magis specialis obligatio hîc prædicitur, omni nempe opere id agere, ut se constantissimum Christi militem, adversùs Satanam, Carnem & Mundum acriter pugnantem, atq; victoriæ consequendæ causâ, etiam cum Deo fide & assiduis precibus quodam modô luctantem esse contestetur; unde statim sequitur alterum ejusdem coli membrum, his verbis: *Et in nomine Israël assimilabitur*: vel, juxta Hebr. (*jecanneh*,) *cognominabit*, scil. *se ipsum*; ut rectè *Pagninus* (*b*) sensûs explendi causâ adjungit. Tametsi absque illa etiam additione, rectè sic hoc in loco verti posset: *Et in* (vel *de*) *nomine Israël, cognomine utetur.* Apprimè autem tam arctæ obligationi ad tam arduam ac generosam militiam spiritualem, subjungitur cognomen ex *Israëlis nomine* accipiendum. *Israël* enim, (scilicet Hebr. ישראל, à rad. שרה, & nomine אל,)

 so-

(*b*) *Vide in margine editionis Ar.* Montani.

ſonat propriè, *Principem agit Deo*, (h. e. cum Deo;) Vel, *Prævalet Deo*; (tametſi adhuc magis propriè in futuro poteſt verti, *Prævalebit* &c.) unde & S. *Hieronymus* (*i*) interpretatur hoc nomen, *Princeps cum Deo*; vel *Princeps Dei*: quia auſus eſt etiam cum Deo (quanquam ignarus) inſtar potentis cujuſdam *Principis* fortiter luctari, uſque dum precibus vicit eum. Vide Gen. 32. v. 24. 25. 26. 27. 28. 29.

LIX. Non ignoro, quòd *tertium* hoc colon *Arias Montanus* (*k*) ita dividit in duas partes, ac ſi illæ diverſas planè perſonas nobis proponerent. In prima nempe parte cenſet deſcribi perſonam ex lapſu aliquo reſipiſcentem, & ad Eccleſiam redeuntem, ab eaque ſub promiſſa obedientia receptam; in poſteriori autem, (quæ de *cognomine* ab *Iſraël* ſumendo ſonat) aliam longè excellentiorem perſonam, quam *quarto* locô numerat. Atque ad primam illam partem, ſeu ad *tertiæ* perſonæ deſcriptionem refert lucis causâ, *formulam hanc* (manû ſcribendi Domino,) *antiquam fuiſſe* apud Hebræos, *iis imperatam, qui aliquando ad Gentium ſuperſtitionis inſaniam ab Iſraëlitica Religione deſciverant; rurſus verò per pœnitentiam rece-*

(*i*) *In Quæſt. ſive* Tradition. *Geneſ. in cap.* 32. (*k*) *Comm. in Iſa.* 44. *v.* 5.

recepti, nomen animumque suum, & cultum omnem Domino deberi, atque eidem se se restitui, protestari & SCRIBERE jubebantur. Unde supponit, ad eam consuetudinem hîc esse respectum, ideoque *pœnitentes* aliquos *emendatos* prophetìcè describi. De postrema autem versûs parte sic scribit: (l) *Quarto in indice is conscribitur, qui in Divinæ virtutis atque efficientiæ testimonium, ultra cæterorum hominum communem conditionem (m) optimô dato, ac perfectô per Spiritum S. à Patre luminis missum donô amplificatus, perpetuòque conservatus, antiqui illius Israëlis imaginem singularem, non repræsentatione aut imputatione, sed re ipsâ præstat, atque verè* ISRAELEM, *hoc est*, cum Deo potentem *agit, seque & sua omnia uni Deo auctori refert accepta; atque hôc pacto* in nomine Israël *assimilabitur.* Et illicò subjicit: *Cananæum verbum* iichaneh, (seu jechanneh,) *quod Latinus in* assimilabitur *vertit, NOVUM, ILLUSTRIUS & augustius nomen, quàm antea fuerit, alicui imponere significat: ut, qui (n)* Abram *priùs vocabatur,* Abraham; *quæ* Sarai, Sara (o) *deinceps dicatur. Itaque non mutationem tantùm nominis, sed amplificationem ac dignitatem celebrandam indicat.* Ubi protinùs subnectit, quòd & *Jacobo* ita dictum est; (p) „ *Non vocaberis*

(l) *Loc. cit.* (m) *Juxta Jac.* 1. *v.* 17. (n) *Gen.* 17. *v.* 5. (o) *Ibid. v.* 15. (p) *Gen.* 32. *v.* 28.

„(†) *ultra Jacob; sed Israël erit nomen tuum*; & pariter illi, de quibus hîc est propheticus sermo, *Israëlis demùm cognomentum ex Dei dono adepturi* essent. Sic ille. Sed utraque descriptio pro distinctis personis ab ipso posita, congruoque in præsentis Prophetiæ scopum sensû accepta, optimè pro diversitate graduum & incrementi gratiæ, ad unam eandemque personam referri potest. Scilicet, qui primùm in conspectu Dei est verè *pœnitens* & lugens de suis peccatis & erroribus, quique se in illo *pœnitentiæ* suæ statu arctissimè Deo & Ecclesiæ obligat, modô supra (*q*) dicto, is postquam super suis peccatis, & variis infestationibus Diaboli ac Mundi victor extiterit, imò ea in lucta ipsum Deum quodam modô, fide & ardentissimis orationibus vicerit, rectè *Israëlis* nomine cognominabitur. Et sanè ipse sacer textus hanc identitatem personæ hîc requirit. De quo enim dicitur, quòd *scripturus* sit *manû suâ, Domino*, disertè de eodem etiam prædicatur mediante conjunctione copulativâ, quòd *in Israëlis nomine cognominabit* se ipsum. Consulantur hîc Hebr. Græc. & Latinus textus; ex iis (collato etiam textu Chaldaico,)

(†) *Ita ille ex Hebr. & Græc. LXX. mixtim.* (*q*) *S. LVIII. b. cap. pag.* 162.

daico,) clarum est, quod nunc assero. Pariformiter enim in his, (etiam in Chaldaico) ter tantùm in toto versu 5. cit. adhibetur particula illa distributiva seu distinctiva, *Hic* vel *iste*; quæ in Hebr. ubique est זה, (*Zeh*,) quod Hungaricè dicimus inversè, *Ez*, vel etiam *Emez*. *Pœnitentiam* verò memoratam quod attinet; quamvis non censeam ad eam hîc directè respici, sed ad arctissimam illam suî obligationem, de qua jam dixi, ad scopum sacri textûs; aliunde tamen constat mihi, omnes illos *Israelitas* ultimi temporis, qui juxta finem nostri versûs, verè *Israëlu* nomine gaudere poterunt, non aliter, quàm per singularem quandam *pœnitentiam* ad gradum illum & dignitatem esse perventuros: ut colligitur ex Ezech. 36. v. 26. 31. 32 (collat. ibid. c. 6. v. 9. & cap. 11. v. 19. & 20. v. 43.) item, Jerem 50. v. 4. 5. - - *ambulantes & FLENTES properabunt*, &c. ut taceam locum Zach 12. (r) v. 10. & seq. Hanc certè *pœnitentiam* Israëlitarum futuram, vel ipse noster textus principalis ex Hos. c. 3. sumptus, evidenter supponit.

LX. Quicunque ergo inter tantas ultimi hujus temporis iniquitates, modo su-

(r) *De hoc loco vide* Clav. *meam* Prophet. *Class.* 2. *cap.* 12. *pag.* 282. & 283.

pra (*f*) dictô se Deo & Ecclesiæ (inter omnia tam adversa, quàm prospera) arctissimè obligat, & pro victoria contra diversos hostes animam & corpus (at maximè animam) infestantes consequenda, tam acriter tamque strenuè in Spiritu pugnat, imò in hoc certamine cum ipso Deo, fide & precibus ardentibus atque assiduis ita luctatur, ut desistere ab hac lucta nolit, donec optatam illam reportet victoriam, is demùm obtentâ victoriâ certò noscet, se esse ex *fonte Israël*, & rectè se *nomine Israël* cognominabit, quòd sit *Potens ac Princeps cum Deo*, vel per ejusdem gratiam *Prævalens* ipsi *Deo*, & modis omnibus (*s*) *vere Israëlita*: unde tantò certiùs sibi contra homines victoriam pollicebitur, juxta Gen. 32. v. 28. Vel ex ipso certamine difficillimo, in quo iste se exercere debet, noscere possumus, quàm sublimis & quàm gloriosa erit ejus victoria, ex qua demùm *nomine Israël* cognominabitur. Nam *primò*, maximum illud certamen ei exantlandum est, videlicet contra propriam carnem, seu corruptionem nativam, & per consequens contra occultos illâ mediante Diaboli insultus: quod quàm arduum sit, præter

(*f*) *S. LVIII. b. cap. p.* 162. *collat. S. LIX. p.* 166. (*s*) *Juxta Joan.* 1. *v.* 47.

ter experientiam patet ex verbis illis (inter opera *Tauleri*) Henrici Susonis: (*t*) *Ex omnibus, qui sub Sole vivunt, nulli tam necessaria est animi magnitudo, quam illi, qui viriliter dura propriorum defectuum suorum certamina subire, ac de vitiis palmam referre intendit.* Confer hîc Rom. 7. v. 24. Imò confer etiam illud *Platonis*: (*u*) Τὸ *νικᾷν ἀυτὸν ἑαυτον, πασῶν νικῶν πρώτη τε καὶ ἀρίστη*. H. e. *Se ipsum vincere, omnium victoriarum princeps atque optima est.* Debere autem hunc, de quo hîc sermo est, ita pugnare, ut plenam super carne (dum hîc vivit) consequatur victoriam, apparet ex Jerem. 50. v. 20. *Quæretur iniquitas Israël, & non erit, & peccatum Juda, & non invenietur.* &c. collat. Soph. 3. v. 13. *Secundò*; quia tum in hac contra Carnem ac Diabolum pugna, tum in aliis variis ac variis adversitatibus, ipse Deus ad tempus placidam suam faciem ab eo avertens, ita se gerit, seu videtur ita se gerere erga ipsum, ac si ejus prorsus (*v*) oblitus esset, vel quasi reputaret eum pro (*x*) *inimico* suo, &

 planè

(*t*) *Inter Sermones* Taul. *Dominic*, 3. *in Advent Dom. Serm.* 1. *pag.* 22. *edit. Colon an.* 1603. (*u*) *Apud* Euseb. *de Præp. Evang. Lib.* 12. *cap.* 27. (*v*) *Juxta Psal.* 12. (*al.* 13.) *v.* 1. 2. 3. & 30. (*al.* 31.) *v.* 23. & *Jon.* 2. *v.* 5. (*x*) *Juxta Job.* 13. *v.* 24. *collat. cap.* 30. *v.* 21.

planè luctaretur (y) contra ipsum, uti & olim (in forma *Angeli* virilem personam induti) *luctatus* est cum S. *Jacobo* ante datum ei nomen *Israel*; Gen. 32. v 24.: at ille de quo loquimur, tametsi sæpè ad amarulentas (cum S. *Job (z)* & S. *David*) querelas, imò nonnunquam etiam ad murmura & impatientiam in tanta suî *desertione spirituali* erumpat; attamen fide ita Deum apprehendit, & orationibus indesinentibus ita cum eo luctatur, ut non *dimissurus* sit eum, donec *benedictionem*, ac per hoc benignam in certaminibus suis exauditionem ab eodem consequatur. Sic experietur in se implementum typi ejus, qui præcessit in *Jacobo*. Sic enim ille in sua lucta dixit Domino: (a) *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Ubi sequitur: (b) *Et benedixit ei in eodem loco.*

LXI. Ex his jam satis superque patet, de quo & de quali prædictum est in allato *tertio* textu, quòd *Israëlis nomine cognominabitur.* (Sub uno autem illo, alii etiam ei similes futuri subintelliguntur.) *Cognominabitur* autem, non solùm latiori illo sensû, quô (jux-

(y) *Vide Job. 6. v. 4. Confer hîc ea, quæ ex* Taulero *refero in* Clavi Prophet. *p.* 191. (z) *Vide loca paulò antè ex* Job. *&* Psalmis *citata in marg.* (a) *Gen. 32. v. 26.* (b) *Ibid. v. 29.*

(juxta diſtinctionem ſupra (c) poſitam,) omnis Chriſtianus, inprimis verè Chriſtianus, ſpiritualiter eſt *Iſraëlita*, ſed planè *ſpecialiori* & pleniori illo, quô quis ita eſt *Iſraëlita*, ut tamen etiam origine nationali (tametſi occultâ) ab antiquo illo *Iſraële* deſcendat. Id enim penitùs requirit textus allatus, ex principali ſuo ſcopo accuratè expenſus. Non enim ſine ratione ſolida, tria illa puncta recenſita, ita ſunt diſtincta à Spiritu Sancto, uti jam vidimus. Ea autem ratio non alia eſt, quàm quæ à nobis hîc inſinuatur de *ſpecialiori* nomine (ſeu cognomine) *Iſraëlitico*. Alioquî, ſi generaliori tantùm ſenſû diceretur hîc aliquis *Iſraëlis nomine cognominandus*, non fuiſſet neceſſe, ut tam accurata ex triplici (imò quadruplici) actû adhiberetur diſtinctio: *Iſte dicet*, &c. *& ille vocabit* &c. *& hic ſcribet* &c. Nam pro generaliori ſenſu nominis illius ſufficiebat indicâſſe, convertendos in novo Teſt. ad Deum *Iſraëlis*, dicturos eſſe, juxta primum punctum: *Domini ego ſum*. Illud enim dictum, pro illis, qui in Novo Teſt. ad Deum *Iſraël*, ac per conſequens ad ipſum Chriſtum Dominum ex Gentibus convertuntur, ſufficienter indicat, quòd illi ſpiritualiter facti ſunt *Iſraë-*

(c) §. XXVIII. h. cap. pag. 86.

Israëlitæ latiori sensû. At verò, quia cum manifesta coli unius ab alio quod præcessit, distinctione, subjungitur ulteriùs, de iis qui *Jacobi*, & de iis, qui *Israëlis nomine* appellandi essent; per hoc extra omne dubium insinuatur ex principali textûs scopo, quòd ultimis temporibus, gradatim se se cognituri essent *Israëlitæ* illi, qui ab aliis populis (per immixtionem) sunt quodam modô absorpti, se esse ex *fonte Israël*; primùm nempe expressuri essent in spirituali implemento nomen & gesta *Jacob*, quà *Jacob* erat; ac deinde nomen & gesta ejusdem, quà fuit *Israël*.

LXII. Nec est, quòd quispiam putet de manifestis *Israëlitis*, (quales vel olim erant sub initium Novi Test. vel nunc sunt *Judæi* vulgò notissimi,) esse hîc sermonem. Nam si staret talis cogitatio; iterum redit quæstio; quæ necessitas (quæso) sic esset, ut hæc pars credentiû, tacitô nomine *Israëlis* vel etiam *Jacobi*, tantùm in genere *Domini* (seu *Jehovæ*) se esse diceret, alia verò palàm se *Jacobi* prolem vel *Israëlitam* nominaret, si de manifestis & vulgò notis ad literam *Israëlitis* (quà tales sunt) sonaret hæc prophetia ex scopo suo principali? Sed quia supponitur, primùm hujusmodi distinctionem apud Christianos debuisse fieri ignotam,

(ob

(ob dictam *Israëlitarum* cum aliis populis permixtionem ,) deinde verò gradatim & cum temporum successu aperiendam ; ideò placuit Spiritui Dei distinctionem toties memoratam hîc adhibere. Hinc jam censeo pleniori luce illustrandum etiam illud profundi sensûs de *Ephraim* & *Manasse* vaticinium S. *Jacobi* in ultima tempora spectans : (*d*) *Invocetur* (seu *vocetur*) *super eos NOMEN MEUM* ; *nomina quoque Patrum meorum Abraham & Isaac.* H. e. ut suo tempore post futuram cum aliis gentibus permixtionem , per veram ad Dominum conversionem , veramque sanctitatem ipsorum , notificetur & manifestetur , quòd sunt filii *Jacob* , *Isaac & Abraham* tam carnali origine antiquâ , quàm fide & Spiritû. Nam alioquî , quæ fuisset causâ optandi hoc eis tanquam insigne bonum,ut de suo, ac suorum Patrum *nomine* vocentur ? Lux affulget hinc etiam loco illi *Isaiæ* c. 48. v. 1. (de pleniore ejus sensu,) *Audite - - qui vocamini nomine Israël , & de aquis Juda exiistis.*

LXIII. Sed dicet hîc aliquis : (1.) Locus ex *Isaiæ* cap. 44. allatus ad *Gentiles* conversos pertinet , non autem ad *Israëlitas*. Resp. Nego eum ad illos solos pertinere; imò totum illud caput , in iis , in quibus Pro-

(*d*) *Gen.* 48. *v.* 16.

Propheta exprefsè populum *Ifraëliticum* alloquitur, (ut, v. 1. 2. 5. 6. 8. 21. 23. 24. 26.) ad eundem populum pertinet proximè & primariò. Eft enim certa & immota Regula, (ut & fupra (*e*) infinuavi,) quòd „ubicunque Prophetæ verbis Dei fuos „Populares exprefsè & nominatim allo- „quuntur, vel de iis fermonem (eifdem „applicabilem) faciunt, certum indicium „eft, illic non negligi ab illis ita fuos *If-* „*raëlitas*, quin aliquid de fuis dictis ad eos „pertineat, & quidem proximè ac prima- „riò. Exemplo rem illuftrare poffum. Quàm enim effet abfurdum, fi (v. gr.) ego meos populares *Hungaros*, (quorum idiomate vernaculô utor,) aliquô fermone meo exprefsè ad eos directô monerem, inftruerem, vel confolarer de futuris, at interim nollem quidquam ex verbis meis ad *Hungaros* nobis *Magyar* dictos pertinere, fed ad alios tantùm incolas patriæ noftræ, *Sclavonicè* & *Germanicè* loquentes, qui etiam ob communem Patriam, & communia Patriæ jura, non rarò (præfertim apud exteros) *Hungari* vocantur? Certè è contra, recta ratio in tali cafu fuaderet, ut mea verba proximè & prmariò ad meos

(*e*) *§. XXIX. XXXI. & XXXVIII. hôc cap. pag. 87. 95. & 116.*

meos illos populares, quorum idiomate utor, pertinere vellem ac intenderem; secundariò autem & consequenter ad eos, qui *Hungaris* concives sunt, & ob communia cum iis jura, communemque patriam, nomen etiam *Hungaricum* non raró sortiuntur. Ita reputandum est etiam de Prophetis Populi Hebraici. Unde sequitur & hoc, quòd, quascunque prophetias expressè de *Israële* sonantes, nondum videmus juxta plenam verborum emphasim esse impletas, omnes illæ dehinc suo tempore debent plenissimè in *Israële* impleri. *Omnis enim Prophetia & typus, in plena tandem verborum emphasi debet aliquando impleri*: ut docui in *Clavi Prophet.* Class. 2. cap. 2. sub Regul. 3. pag. 78. Dum autem primariò & proximè ad *Israëlitas* (origine tales) dixi pertinere Prophetias de populo *Israël* sonantes; per hoc non obscurè insinuavi, quòd eædem secundariò ac remotiùs (seu ob arctam cum *Israëlitis* credentibus unionem) ad alios etiam (scil. ex Gentibus) credentes pertineant. Unde juxta versum quoque in superioribus (*f*) ventilatum, possunt aliqui etiam ex aliis præter *Israëlem* populis nomina *Jacob* & *Israël* quadantenùs gestis suis exprimere; sed ple-

(*f*) *§. LIII. & sequ. h. cap. pag.* 151. *& sequ.*

plenior expressio debet fieri per ipsissimos *Jacobi* posteros, ut sic ratio etiam distinctionis de triplici ordine credentium in eodem versu tam accuratæ sit evidentior. Alioquî non plenè impleretur prophetia illa, secundùm omnem verborum emphasim; debet autem aliquando sic impleri, juxta axioma proximè antè memoratum. Et cùm ex *fonte Israëlis* apparebunt illorum *nominum* expressores, tunc ex aliis etiam Nationibus longè pleniori cum effectu (quàm antè) futuri sunt, qui eadem *nomina* exprimient. Hæc sit prima & præcipua responsio. Deinde resp. me omninò concedere certô quodam sensû; quòd prophetia ex *Isaia* c. 44. allata ratione plenioris implementi ad *Gentes* pleniùs convertendas pertineat. Quia nimirùm etiam ipsi *Israëlitæ*, de quibus illa Prophetia principaliter sonat, fuerunt & sunt ad tempus, & quidem satis longum, meri *Gentiles* (sive jam credentes, sive deinceps credituri,) quantùm ad externam apparentiam, humanumque judicium, nec non quantùm ad mores, jura, consuetudinem & linguam; eò quòd ita in alias Nationes transierunt, ut non aliter, quàm per singularem Dei gratiam eos integrè ad se convertentem & sanctificantem possint demùm ab aliis

digno-

dignosci, quòd sint origine antiquâ *Israëlitæ*. Si enim refractarii olim in Deum *Israëlitæ* dicti sunt apud Ezechielem cap. 2. v. 3. non solùm simpliciter *Gentes*, sed *Gojim hammoredim*, h. e. *Gentes rebelles*, seu *apostatatrices*; rectè etiam, imò pleniori adhuc sensû *Gentes* possunt illi *Israëlitæ* dici, qui justô Dei judiciô è terra sua abducti, successû temporum aliis Mundi Nationibus sunt prorsùs immixti, & ab iis quasi absorpti. Nec possum dubitare, quin Spiritus Domini hanc etiam eorum futuram immixtionem & transitum in alias gentes intenderit tunc exprimere, dum per os *Jacobi* prædixit, quòd *semen Ephraim* (à quo fuit principalis *tribus* inter *decem*) foret (מלא הגוים,) *Plenitudo Gentium*; Gen. 48. v. 19. uti etiam Græcus textus habet ibidem, *εἰς πλῆθος ἐθνῶν*, h. e. *in plenitudinem Gentium*. Quo de loco dixi aliquid in *Clavi* etiam *Prophetica* in hunc scopum, pag. 166. & 167. *Formator* etiam *Israëlis ex utero*, juxta Isa. 44. v. 24. (g) quantùm ad mysticum, profundiorem & principalem sensum, rectè & apprimè Deus dicitur ideò, quia ex ipsis (dictô modô & sensû) *Gentibus formabit* sibi ultimo tempore verum *Israëliticum* populum (plenô sensû talem,) per

M

(g) *Confer hic, ibid. v. 2. 21. & cap. 43. v. 1. 7. 21.*

per varias afflictiones, perque integram conversionem & veram sanctitatem. Hæc ad primam objectionem.

LXIV. (2.) Objiciet adhuc quispiam: Prophetia ista Isa. c. 44. jam est impleta: Ergo frustra de futuro accipitur. Resp. Nego de pleno & principali sensu ac scopo eam esse impletam. Typicum quidem implementum quoddam liberationis *Israël* hîc promissæ præcessit adhuc in liberatione ex *Babylone* literali: ut versus 28. de *Cyro* sonans indicat; tametsi *Cyri* etiam nomen (*) præter literam, typicum quoque est. Deinde spiritualis etiam liberationis hîc prænunciatæ partiale quoddam initium (ut pignus & radix amplioris boni secuturi) in exordio Ecclesiæ Novi Test. in quorundam *Judæorum* & multarum *Gentium* conversione præmissum est; at verò plenum & principale implementum dehinc est futurum, in Populi *Israël* nunc passim dispersi optatissima conversione: quæ quidem conversio, (ut jam antehac (*b*) monui,) à *decem tribubus*, aliisque ex *Juda*, *Levi & Benjamin* cum aliis populis *permixtis* inchoabitur, & in illis erit gloriosè conspicua, antequam corticales nostri & manifesti

(*) *Vide S* Hieron. *in Isa. 45. v.* 1. - - 4. (*b*) *Cap.* 2. *§. VI. pag.* 27. 28. *Confer pag.* 61. *&* 96.

nifesti *Judæi* ad Christum verè converterentur. Tam magnifica, & tam valde emphatica sunt verba hujus cap. 44. v. 23. *Laudate*, seu *Cantate Cœli*, &c. *quoniam redemit Dominus Jacob, &* (†) *in Israël gloriabitur*, (collat. ibid. v. 21. & 22.) ut ea manifestè ostendant, nondum adhuc prophetiam istam de populo *Israël* plenè impletam esse. Satis perspexit celeberrimus etiam *Arias Montanus* prophetiam à nobis allegatam, in ultimum tempus, quô *Israël* à Deo recipietur, ex principali scopo pertinere, dum sic ad toties memoratum versum 5. tum scripsit: (*i*) *Atque horum quatuor Ordinum* (scil. juxta quatuor membra v. 5. ab ipso recensitorum) *frequentem sobolem* Jaghacobi *sive* Israëlis *genti à Deo DEMUM RECIPIENDÆ, & cum Gentibus conjungendæ PROVENTURAM, ipse qui promisit, gratulatur Deus.* Hæc de tertio loco ex *Isaia* (de *Israëlitis* in alios populos transfusis) in medium adducto.

LXV. *Quartus* locus (pro dicto *secundo* argumento fulciendo,) sit mihi ex ejusdem *Isaiæ* cap. 43. v. 1. *Et nunc hæc dicit Dominus creans te JACOB, & formans te ISRAEL: Noli timere, quia redemi te, & VOCAVI Te NOMINE TUO.* Quid hîc significet distinctio

M 2 inter

(†) *Ita in Hebr. Confer hanc Phrasim cum Isa. 49. v. 3.*
(*i*) *Ar. Mont. Comm. in Isa. 44. v. 5.*

inter *Jacob* & *Israël*, (cùm tamen eundem suum Populum Deus his alloquatur,) ex præcedentibus (*k*) patet. Quid etiam mysterii ad scopum præsentem involvant in se phrases illæ, *Creans te Jacob*, & *formans te Israel*, ex paulò antè dictis (*l*) facilè elicitur. Vis mei argumenti nunc est in verbis istis: *Vocavi te nomine tuo*. Hæc verba non sine prægnantissima ratione proximè præcedenti compellationi *Jacob* & *Israël* sunt subjecta. At quæso quæ potest ac debet esse ulla alia tam prægnans, & emphasi verborum respondens ratio, ob quam sic Deus loquatur, nisi hæc, quia nos docere ipse vult, quod hactenùs suo Populo *Israëlitico*, Christum quidem ore confitenti, & variis calamitatibus hinc inde exagitato, suum genuinum & antiquum *nomen* (ut qui aliis populis sit immixtus,) fuerit ignotum; nunc verò se ultimis hisce temporibus, per pleniorem & clariorem prophetiarum expositionem, & largiorem suæ gratiæ illuminantis & convertentis exhibitionem, notificare ei suum illud *nomen*, quòd sit *Jacob* & *Israël*, ac velle in dies magis & magis eidem ipso effectû demonstrare & persuadere, ipsum ex

(*k*) §. 54. 56. 58. 59. *hôc cap. à pag.* 153 *usque ad* 166.
(*l*) §. 57. 58. 60. 63. *b. cap. pag.* 159. 161. 167. 177.

ex *fonte Israëlis* illius esse, cui olim tot bona eximia per Prophetas promisit, ultimis temporibus exhibenda? Ideò validum habet fundamentum, ne metuat, quascunque per *aquas* & *ignes* horrendarum calamitatum ipsi adhuc sit *transeundum*. An enim deceret Deum sapientissimum ita loqui, *Vocavi te nomine tuo*, (cùm ne vir quidem sapiens in re vulgò notissima sic loqui vellet,) si *Israëlis* hujus *nomen*, de quo hîc est sermo, ante manifestationem à Deo acceptam, tum sibi, tum aliis ita esset vulgò notissimum, uti notum est *Judæos* vulgares esse *Judæos*, & nos *Christianos* esse *Christianos*? Aliud est aliquem *nomine* suo nominare, compellare nempe, *Jacobum*, *Petrum*, vel *Stephanum*, &c. (quod semper de quolibet notissimo rectè fieri potest;) aliud post nominatum aliquem, adjicere majoris consolationis ergo: *Vocavi te nomine tuo*. Tunc enim magna semper ratio subesse debet, ob quam locutio illa præcedenti alicujus nomini subjungitur. Non potest autem in allegato loco congruentior ratio ad consolandum Populum pro ultimo tempore subesse, (uti omnino pro valida consolatione populi *Israëlitici* phrasis illa hîc subjungitur; quod excutienti textum sacrum patet,) quàm hæc, quòd nomen dicti po-

puli *Israëlitici* (ob sæpe dictam ejus cum aliis populis permixtionem) nec ipsi, nec aliis populis est notum absque manifestatione Divina.

LXVI. Fuit quidem etiam hactenùs in partiali quodam ac tenui implemento ratio locutionis illius subjunctæ ista ; quia tum ex *Judæis* aliqui, tum ex *Gentibus* multi spiritualem se se *Israëlem* suâ ad Christum conversione testati sunt ; sed longè plenior ac pro mysterio exprimendo convenientior est ea ratio, quæ ab occulto & ignoto hactenùs eorum, de quibus nunc est sermo, nomine *Israëlitico* desumitur. Uberrima nempe & validissima consolatio in *nomine* illo sic manifestato hæc est: quia indicat ei Dominus, quòd tametsi, tum ipse tum alii id ignorent, at ipse est Populus ille *Israël*, cui ab antiquissimis temporibus tam ampla, tamque magnifica promissa facta sunt : nihil itaque metuat, quascunque transire debeat tribulationes & vicissitudines. Semper enim ei tanquam populo suo peculiari Deus aderit, & felicissimum dabit exitum omnium suarum tribulationum. Hinc sanè in illo etiam dicto Divino ad *Cyrum* directo, Isa. 45. v. 4. *Vocavi te nomine tuo*, (collat. ibid. v. 3.) censeo longè plùs in mysterio subesse, quàm ut so-

lùm

lùm in literali ac typico *Cyro* dictum illud terminaretur. Ultima hæc tempora, quibus *Israël* nunc ignotus manifestabitur, docebunt pleniùs, quid mysterii magni in nomine illo *Cyri* lateat. Sed ex hoc digressu, ad allatum pro *Israële* latente locum regressus, dico eum de pleniori suo sensu intelligi nequaquam posse, nisi admittatur dictum *Israëlem* aliis populis (& vi illius loci, signanter *Christianis*) esse immixtum. Quô admissô, sensus etiam memoratæ phraseos is de eo esse debet, quem jam dedimus.

LXVII. Possem hîc pro *quinto* loco in *secundum* argumentum fulciendum, ad expendendum adducere textum Psal. 106. (al. 107.) v. 2. & 3 *Dicant, qui redempti sunt à Domino: - - de regionibus congregavit eos: à Solis ortu & occasu; ab Aquilone & à mari.* collatô etiam Isa. 43. v. 5. 6. *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te: Dicam Aquiloni: Da; & Austro, Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ:* Sed studio brevitatis sufficiat nunc hosce textus eruditis saltem annotâsse. Quando *Christiani* in tot Partes nunc (proh dolor!) discerpti, missis virulentissimis dissidiis *Ecclesiæ* Dei admodùm damnosis, sanctam inter se colent *unitatem*, tunc

patebit perſpicuè loca illa de *Iſraële* nunc latente unà cum aliarum Nationum fidelibus in *unum ovile*, & in *unitatem Fidei congregando* ſonare. Tunc ſanè etiam *de longinquo*, & *ab extremis terræ*, qui nempe longiſſimè adhuc diſtant à Fide Chriſti, ut *Indi*, *Chinenſes*, aliique Ethnici; vel quaſi in limitibus *terrarum* Eccleſiæ ac Populi Chriſtiani ſedes ſuas habentes, ut diverſi *Muhammedani*, (maximè ad Auſtrum ſiti,) *filios* ac *filias* Dei afferent; hoc eſt, ipſi cum latentibus inter ipſos *Iſraëlitis*, atque occultâ Dei operatione ad Fidem Chriſti (dum eis offeretur) acceptandam diſpoſitis, ad eundem Chriſtum Dominum convertentur, & S. Eccleſiæ ſe ſe aggregabunt. His carptim & curſim indicatis, ad ulteriora progredior.

LXVIII. *Ultimus* hîc locus pro *ſecundo* argumento, (ac per conſequens pro principali & fixo reſponſo ad *Secundam Quæſtionem* dato) fulciendo, ſit textus ille inſignis, qui habetur Apoc. cap. 7. v. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. *Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab Ortu Solis, habentem ſignum Dei vivi; & clamavit voce magnâ quatuor Angelis*, &c. *dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoad uſque ſignemus Servos Dei in frontibus eorum. Et audivi numerum ſignatorum; centum quadraginta*

qua-

quatuor millia signati, ex OMNI TRIBU FILIORUM ISRAEL. Ex tribu JUDA duodecim millia signati; ex tribu RUBEN duodecim millia signati: &c. & sic consequenter usque ad *tribum Benjamin.*

LXIX. Non est mihi hîc scopus, omnia verba hujus textûs, punctatim excutere; sed ea saltem dicere, quæ ad meum in hoc *Tractatu* propositum faciunt: ut nempe ex dicendis pateat, istum quoque locum non posse plenè & juxta principalem Spiritûs S. scopum intelligi, nisi teneamus, *Israëlitas* nunc non apparentes, aliis populis, & signanter ipsis quoque Christianis esse immixtos. Per *Angelum* illum *ab ortu Solis ascendentem,* rectè juxta quosdam Doctores ipse *Christus* Dominus intelligitur; at non in sua persona, sed in suis quibusdam præcipuis Servis & sanctis Prædicatoribus. Hinc rectè & eruditè noster Cœlius *Pannonius,* præmissô nunc dictô sensû, quòd *Christus* per illum Angelum *intelligatur*, illicò sic clariùs de eodem *Angelo* scribit: (*m*) *Dum velocem ac desideratissimum Dei eloquiorum cursum execrabiles illi quatuor Angeli* (in quatuor nempe angulis terrræ stantes) *præpedire nituntur, ascendit ab ortu Solis præclarus ille* Dei

(*m*) *Collectan. in Apoc. c. 7. v. 2.*

Dei Angelus, (n) *qui Ezech.* 9. *Vir indutus lineis describitur, cui dictum est, ut obsignaret frontes virorum, propter abominationes gementium & dolentium: cujus typô VERI & SANCTI DEI PRÆDICATORES designantur. Hi namque dum veritatem annunciant, quasi eos, qui verbo credunt, signant. Linguæ nimirùm illorum sunt calamus Spiritûs S. qui in eis habitat, & loquitur: cujus efficaciâ, verbum quod docent, in electorum cordibus scribunt.* Et paulò pòst: *Ab eo* (nempe à Christo, Sole justitiæ) *ascendunt, qui ab eo veniunt, missi scilicet ab eo. - - Est & aliud quoque mysterium in Angelo ascendente; ut scil. Minister verbi in dies crescat virtutibus. - - Crescit autem, dum ab imo incipit, hoc est, ab humilitate.* Et aliquantò pòst: *Hi ergo veri Prædicatores sic ascendentes ultimo illo sæculo futuro, Angelus sunt.* Et paulò pòst subjicit sententiam cujusdam *Franciscani* de *Angelico* quodam *Pastore Ecclesiæ futuro*, hunc *Angelum* explicantis: de quo ejus verba retuli in *Clavi Prophet.* pag. 183.

LXX. *Tempus* implementi hujus visionis propheticæ, tametsi jam quasi in præludio aliquo fuit tempus initii Novi Test. seu primum N. T. seculum; quo à ruina & excidio *Judæorum*, electi ac fideles ex *Judæis*

(n) *Praivit in hoc ei* Andreas *Cæsariens. Comm. in hunc locum Apoc.* 7.

Jacis mirè præservati & conservati sunt; sed tempus plenarii implementi, & ex principali hoc in textu Spiritûs S. scopo intentum, non aliud est, quàm tempus ultimum, in quo contrà *Antichristum* & ejus ministros præsignandi, præmuniendi, & præservandi erunt veri fideles & sancti, ne ullum nocumentum spirituale istis per illos inferri possit. Ipse textus accuratè excussus, illud ipsum tempus nobis monstrat. Proximam enim connexionem habent versus allegati, cum sequentibus v. 9. 10. & aliis usque ad finem capitis: qui sanè ad ultimum tempus spectant. Accedit, quòd nunquam hactenùs ea, quæ in versibus allegatis habentur, juxta plenam verborum emphasim sunt impleta.

LXXI. Viderunt hoc celebres & eruditi aliquot Doctores, & ideò ad *Antichristi* tempora dictam (de signandis electis) visionem retulerunt. Hinc (o) *Ribera* (*Andream* Cæsariensem secutus) disertè *ad tempus Antichristi* hanc visionem *pertinere* scribit. Et paulò pòst sic procedit: (p) *Cœpit dicere* (scil. Joannes cap. præced.) *quæ calamitates imminerent persecutoribus; quod nunc etiam prosequitur: sed ne eisdem electos etiam & pios absumendos putemus, docet exceptos esse à Deo & se-*

(o) *Comm. in Apoc. 7. v. 1. num. 1.* (p) *Ibid. num. 2.*

& selectos prædestinatos, qui TUNC ERUNT in terra, tam ex Judæis, quàm ex aliis Gentibus. Et aliquantò pòst, de iis qui *in mente signo Dei vivi signati sunt*, vel signandi, & ab aliis *separandi, ne cùm aliis pereant*, ista tradit: (q) *Hi autem sunt, qui habituri erant signum Dei in frontibus suis; id est, qui inter minas & cædes ANTICHRISTI & Ministrorum ejus, non erubescent Crucem & Christum confiteri, palamque detestari audebunt scelera impiorum.* Ita etiam *Cornel.* à Lapide: (r) *Hæc omnia*, inquit, (scil. cap. 7.) *spectant ad sigillum sextum; - - ideoque spectant ad FINEM Mundi, & ad TEMPORA ANTICHRISTI: hinc sequitur, hunc numerum* 144000. *signatorum, tantùm esse eorum, qui in FINE Mundi, tum ante Antichristum, tum sub ipso, tum maximè post ipsum occisum (hi enim erunt plurimi,) ad Christum convertentur & salvabuntur.* Dum ait, *maximè post* Antichristũ *occisum*, respicit in eo, tum ad pleniorem *Israëlitici* populi conversionem, post interitum *Antichristi* futuram, tum etiam ad lætiora illa, quæ sequuntur v. 9. 10. & sequ. cit. cap. 7. usque ad finem. Illa enim post *Antichristi* interitum implebuntur, quantùm ad lætissimam fidelium libertatem & felicitatem illic descriptam. *Pannonius* quoque, tametsi in progressu suæ expositionis,

(q) *Cit. loc. num.* 10. (r) *Corn. à Lap. Com. in Apoc.* 7. *n.* 4.

tionis, potiſſimùm tempus poſt interitum *Antichriſti* proximè ſecuturum videatur hîc intelligere; attamen ea tradit in principio dicti cap. 7. quæ ipſum tempus formidandi *Antichriſti* exprimunt. Sic enim *quatuor Angelos* noxios (contra quos *ſignandi* ſunt electi,) explicat: (*ſ*) *Angeli hi ſunt miniſtri Principis Diaboli, & ANTICHRISTI, qui per quatuor Mundi partes veritatem præpedire conabuntur, ne per ora verorum Dei Prophetarum fleet in cordibus electorum.* Conſulantur hîc etiam *Hugo* de S. Charo, & *Richardus* de S. Victore. Dudum autem ante hos (h. e. circa ann. D. 500.) *Andreas Cæſarienſis* Cappadocum Epiſcopus, ſic egregiè & eruditè de hoc tempore ſcripſit: (*s*) *Etſi iſthæc ad illa incommoda à quibuſdam referantur, quæ Judæi quondam à Romanis perpeſſi ſunt; - - multò tamen rectiùs ad ANTICHRISTI adventum locus hic refertur. Tunc enim ſæva illa tempeſtas furibundè deſæviet, non in una aliqua terræ parte ſolùm, aut in Judæorum regione tantùm, ſed in univerſa* (†) *terra.* Et paulò pòſt ubi dixiſſet, (*t*) quòd *per ſublimioris virtutis & ſanctitatis Angelos,*

(*ſ*) Pannon. *Collect. in Apoc. 7. v. 1.* (*s*) *Comm. in Apoc. 7. v. 1. juxta interpret. Theodor.* Peltani. (†) *At contra* locum paratum à *Deo* Mulieri *myſticæ*, (*juxta Apoc. 12. v. 6. 14.*) *ſæviet ſaltem minis & technis. Vide infra §. LXXVI. hôc cap. & cap. 7. §. X. ſub fin.* (*t*) *Andr. cit. cap. 7. ad v. 2.*

los, Angelis pœnis irrogandis præfectis seriò hîc indicitur; ne quid priùs contra peccatores tentent, quàm veritatis cultores per signaculum ab aliis distinctos videant; illicò ista subjungit: *Hoc autem etsi iis quondam ex parte acciderit, qui ex Judæis in Christum credentes, depopulationem illam, quæ Hierosolymorum Civitati à Romanis illata est, admirabiliter evaserunt; veruntamen adventûs ANTICHRISTI tempore, maximè hoc locum habebit.* Satis itaque jam clarum est, quòd tempus plenarii implementi dictæ visionis sit tempus ultimum, ac signanter tempus *Antichristi*.

LXXII. *Signandi* autem *Servi Dei* professione Fidei ac Religionis, extra omne dubium *Christiani* sunt, seu esse debent jam tunc, cum *signo Dei* signabuntur. (1.) Quia non solet Deus unquam alios hâc suâ singulari gratiâ dignari, ut *signô* suô ideò præsignari curet eos, ne exitio malorum involvantur, nisi solos veritatis Divinæ cultores. (Excute hîc locum Ezech. 9. v. 4. & Exod. 12. v. 7. 13.) Atqui in Novo Test. non alii, quàm *Christi* nominis & doctrinæ cultores sunt tales. (2.) Ipse etiam titulus eorum insignis, quo *Servi Dei* vocantur, indicat eos, quà jam tales sunt, esse *Christianos*. Non enim hîc sensû quodam ignobiliori, quasi pro *mercenariis* accipitur

pitur titulus ille, ut notum est omnibus eruditis; (quô sensû etiam *Nabuchodonosor* dictus est *Servus* Dei; Jerem. 25. v. 9. & 27. v. 6.) sed sublimiori illo, quô præter Dei Legatos, ac verbi ejus Prædicatores & sacrorum Administratores, omnes veri & sinceri Dei cultores titulô illo insigniuntur: Isa. 63. v. 17. & 65. v. 8, 9. 13, 14. 15. Ephes. 6. v. 6. 1. Pet. 2. v. 16. Apoc. 1. v. 1. & 2. v. 20. & 19. v. 5. (3.) Quia non solùm qualescunque pii, sed in comparatione aliorum, planè excellenter pii & sancti debent illi esse, qui hîc *signandi* prædicuntur: non obstante, quòd & illi gradatim & in dies majus ac majus incrementum sumpturi sunt in pietate & sanctitate. Quàm sancti, quàm magni pœnitentes, & à Mundi oblectamentis ac vanitatibus alieni debent illi esse, qui hîc *signandi* prænuntiantur, egregiè describit Cælius *Pannonius* his verbis: (*u*) *Servi Dei electi, iidem* sunt, *quos Spiritus S. Ezech. 9. dicit* ,, gemere & dolere super abominationi- ,, bus: *de quibus Matth. 5. dicitur*, Beati qui ,, lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Magnum Sacramentum, grande verbum. - - SOLI qui lugent, SIGNANTUR; quod sanè ARDENTIS ANIMI in camino POENITENTIÆ signum est;*

(*u*) *Collectan. in Apoc. 7. v. 2. & 3.*

est; zeli quippe, quô in Deum feruntur. Videntes nempe Sancti Dei, contemptum nominis Christi, Ecclesiæ contritionem, scandalum infirmorum, mœrent, dolent, tristantur & lugent. Quod idem & in recordatione suorum erratorum, hoc impensiùs faciunt, quò fuerint zelô fortiori, quô saluti omnium benè cupiunt. - - Porrò signantur Servi Dei verbô sanctô, quod fidei est, crucis & pœnitentiæ. Et mox ubi de non signandis, in quibus nempe *non capitur verbum Spiritûs*, quive sunt *hypocritæ* larvam pietatis habentes, dixisset, subjicit de iisdem: *Non vult Christus tales pestes: neque enim hi quippiam compatiuntur super contemptu Dei, & nominis Christi blasphemia, nec super calcata* (†) *veritate, at Ecclesiæ Dei* (v) *contritione.* (H. e. ruptura & ruina.) *Proinde nec signantur inter electos Dei, quòd non sint lugentes. Sed quid* (inquit) *dicemus? Fit* (*quod non possum sine dolore comminisci*) *nostris hisce temporibus, ut si quis pro his lugeat, doleat, zelet, irascatur, malus hypocrita deridetur. - - Heu quàm cæci sumus, quantùm à signo alieni! Miserere tu nostrî Deus, miserere nostrî. Maledictus qui non luget; peribit enim.* Mox illicò tales *non lugentes*, ac *homines vanissimos in medio comessatorum, ebriorum, scortatorum, obtrectato-*

(†) *Phrasis ex Isa.* 59. *v.* 14. & *Dan.* 8. *v.* 12. (v) *Vide lumen pro hac voce, Ps.* 59. *juxta Vulgat. v.* 4. & *Isa.* 24. *v.* 19. & *Amos* 6. *v.* 6.

ctatorum, & similium sedentes, ridentes, lætantes, verba jactantes, &c. pleniùs recenset. Tales certè quà tales manent, nihili prorsùs faciunt *contritionem* seu ruinam Ecclesiæ, nedum super ea *lugerent*. Atque his vel maximè accensendi sunt illi, qui non solùm non curant tot dissidia virulenta inter Christianos grassantia, ipsumque populum Christianum vastantia, sed quod plus est, ipsi suis immodestis & à Spiritu sanctæ charitatis alienissimis de Fide contentionibus, ac omni conversatione huic immodestiæ conformi augent illa dissidia. Longè contrarii his sunt & erunt illi, qui hîc *signandi* prædicuntur; ut allata eorum descriptio ostendit: ac proinde ipsi non solùm nomine, sed re ipsâ veri *Christiani* esse vel fore supponuntur.

LXXIII. His in scopum nostrum feliciùs prosequendum præmissis; nunc jam specialiùs etiam videamus, ex quonam populo *signandi* illi futuri sint. Videmus in allato textû, *Tribus Israëlis* (tribû *Dan*, ut quæ se quondam Judic. 18. turpi idololatriâ maculaverat, & ex qua etiam juxta aliquot SS. Patres *Antichristus* futurus dicitur, sapientissimam ob rationem omissâ, ac tribû *Ephraim* sub paterno nomine *Joseph* comprehensâ) expressè poni; unde se-

 qui-

quitur, *Tribus* illas nequaquam posse hîc excludi, quin potiùs eas (juxta *Regulam* supra (x) positam) primariò debere intelligi. Adeò hîc non excludunt magni nominis & eruditi quidam viri propriè dictas *Tribus Israëlis*, ut ipsam *signationem* quorundam ex dictis *Tribubus*, ad futuram *Judæorum* (sensu latiori pro *Hebræis*, seu *Israëlitis* acceptorum) in fine Mundi conversionem referant. Imò aliqui eorum, ut *Ribera* & Cornel. à *Lapide*, planè exactè & ad literam totidem *signandos* tradunt ex dictis *Tribubus* Judæorum, (h. e. *Israëlitarum*,) quot in visione hîc determinantur. Alii omissâ determinatione ad literam intellectâ, saltem consentiunt in hoc, quòd de *Judæorum* (seu *Israëlitarum*) electis *signandis* fiat hîc mentio. Hinc *Pannonius* scribit ista: (y) *Oportet, ut ad solos Judæos* (scil. latiori sensû pro *Hebræis* acceptos) *numerus hic filiorum Israël referatur, ab innumerabili illa* (v. 9.) *sequenti multitudine seorsim positus*. Eandem sententiam verbis aliis ad versum etiam 9. ponit. Idem sentit etiam *Hugo* de S. *Charo*, ut patet ex verbis illis: (z) *Primò ponit numerum signatorum de Judæis; secundò numerum signatorum de Gentibus, ibi:* (v. 9.) *Post hæc vidi* &c. Subinnuit

(x) §. 29. 31. 38. & 63. hôc cap. (y) *Collectan. in Apoc. 7. v. 4.* (z) *Hug. Comm. in Apoc. 7. v. 4.*

nuit nempe, duplicem hîc (c.7.) esse *signationem* electorum; unam expressam de *Israëlitis*; alteram implicitam & subintellectam de *Gentibus*, v. 9. ubi tamen numerus non ponitur, sed potiùs innumerabilitas eorũ, quantùm ad cognitionem humanam. Quid autem de posteriori illa *signatione* implicita sentiendum sit, infra (*a*) dicturus sum. Sed & ante hos jam olim *Andreas* Cæsariensis (*b*) docuit, *verisimilius* esse, hîc per signatos ex *tribubus* illos intelligi, *qui sub seculi consummationem, ex Judæis per fidem salvabuntur, quando nimirum juxta Apostoli sententiam* (*c*) *post gentium multitudinem ingressam, omnis quoque Israël salvus fiet.* Sic ergo dubitari nequit, quin hîc *tribus Israëliticæ* (tam expressè positæ) intelligi debeant.

LXXIV. Sed dices; *Israëlitarum* illorum, de quibus *Apocalypsis* sonat, conversio ad Christum dehinc futura est, non autem hactenùs facta. Resp. Ita quidem putârunt illi, quos nunc citavimus, quasi ex ipsissimis *Judæis* sive *Hebræis* vulgò notis *signandi* illi deinceps converterentur ad fidem Christi, atque sic signarentur: sed hîc non spectandum est, quid humanitùs illi putaverint, sed quid Spiritus Domini,

 (qui

(*a*) §. 76. *hôc cap. pag.* 201. (*b*) *Comm. in cit. loc.* (*c*) *Rom.* 11. *v.* 25. 26.

(qui per omnia Doctorum Catholicorum ſcripta, Eccleſiæ ſuæ de veritate noſcenda providere vult,)præſenti textui conformiter illorum etiam ore & calamô nos docere intenderit. Scilicet, quia ipſi quoque occulti *Hebræi*, de quibus nunc agimus, tametſi ex parte aliqua ad Chriſtum converſi,(eò quod eum confitentur Mundi eſſe Redemptorem,) indigent adhuc pleniori & integrâ converſione; ideò & de his ut de convertendis adhuc loqui poſſumus; ſeu, quod idem eſt,plenior eorundem converſio, juxta quam peccatis ſuis prorsùs renuncient, & vitam Chriſti diſcipulis dignam vivant, deinceps futura eſt. Quanquam non nego, Deum (qui ſuos novit,) in aliquibus eorum, occultè jam inchoâſſe pleniorem hanc ad Chriſtum converſionem: maximè cùm & tempus implementi dictæ viſionis propè ſit.

LXXV. Non eſſe autem de *Judæis* vulgò notis intelligendam toties dictam *ſignationem*, ſic oſtendo. (1.) Quia nullum prorsùs indicium apparet tam eximiæ, tamque plenæ eorum ad Chriſtum brevî futuræ (ut ex adverſo ſupponendum eſſet) converſionis, quæ iſtam *ſignationem* ſecum ferret; cùm tamen & tempus (ut proximè eſt dictum,) implementi citatæ viſionis

nis propè sit, & insuper aliunde pateat, eos, quorum tam ampla, tamque insignis conversio brevì futura esset, præviam maturitatem debere habere ad illam; juxta Matth. 9. v. 37. & Luc. 10. v. 2. collat. Joan. 4. v. 35. 38. 39. 41. Atqui procul adhuc distant *Judæi* vulgò noti (longè magis certè procul quàm *Turcæ*,) à tali maturitate ad conversionem veram & plenam: ita ut quicunque eorum proximis temporibus, ante plenam *Antichristi* tyrannidem, visâ insigni aliquâ felicitate Christianorum, Christo nomen daturi sunt, illi majori ex parte è nominalibus potiùs & segnibus futuri sint Christianis, quàm ex veris & strenuis: unde unà cum sibi similibus Christianis, ore tantùm Christo mentientibus, *Antichristi* præda fient, præsertim cùm *Antichristum*, de servandis ad literam, (unà cum superficiali professione doctrinæ Christianæ de Redemptione Mundi) vetustis ceremoniis legalibus, valde sibi faventem habebunt; quod ex dictis quorundam SS. *Patrum* colligere possum. Sicque implebitur SS. Doctorum de illis vaticinium, (fundatum in Joan. 5. v. 43.) quòd *Judæi* in fine Mundi, *Antichristum pro Messia suscepturi sunt*. (Vide S. *Irenæum* lib. 5. adv. Hær. c. 25. & S. *Hieron.* Epist. 151. ad

Algas. Quæst. 11. sub fin. & S. *August.* Enarr. in Psal. 105. sub fin. & S. *Hippolyt.* Orat. de Consummat. Mundi & Antichr. Et quòd *Antichristus* externè *Christianum* nomen profitebitur, seu potiùs mentietur, (hoc enim supponendum est ad proximè dicta;) de eo, vide ea, quæ trado in *Clavi Prophet.* pag. 386. & 387. & in *Lat. Nunc.* p. 199. & 200. collat. S. *August.* Tom. 9. in 1. Epist. S. Joan. Tract. 3. de cap. 2. ibi: *Magis mendax est Antichristus*, &c.) (2.) Quia Dei sapientiæ & immensæ misericordiæ conveniens est, ut ne veteres *Christianos*, (inter quos sine dubio reperiuntur & reperientur occulti lugentes, & *signatione* illâ prædictâ per Christi gratiam digni) excludat ab illa sua gratiosâ dignatione, quâ certos quosdam fideles *signari* faciet, in ejus rei signum, quòd non sunt futuri penitùs præda *Antichristi*; præsertim cùm ipsi & ipsorum majores pugnârint Spiritû inde ab initio cum iniquitatibus, quæ in falsis Christianis viam præstruxerunt, & adhuc struunt *Antichristo* illi Magno. Si ergo ex antiquis, seu dudum conversis *Christianis* erunt illi *signandi*, nec tamen *Israëlitæ* (de quibus agimus,) ab eorum censu sunt excludendi; sequitur inde, locum adductum aliter plenè intelligi non posse, nisi admittatur, ali-

quos

quos *Iſraëlitas* (adhuc latentes) *Chriſtianis* olim fuiſſe immixtos.

LXXVI. Accedit hîc (3.) pro pleniori luce de iiſdem *Iſraëlitis*, quòd cum *Turba* illa *magna*, & nulli humano ingenio numerabilis, *ex omnibus* nempe *gentibus, tribubus, populis & linguis* (quà jam victrix) *ſtans ante thronum*, quæ immediatè poſt *ſignatos Iſraëlitas* refertur v. 9. neceſſariò in ſe includat ipſos etiam expreſsè *ſignatos*; ut patet, tum ex hoc, quòd *ex omnibus Tribubus & Populis* dicitur illa eſſe, tum ex inſigni deſcriptione ejus ab amictu candido, à victoria ſuper tribulationes, & ab indeſinenti cultu Divino, cum quiete & abundantia ſpirituali juncto; (quæ deſcriptio nequaquam poteſt denegari *ſignatis* illis;) tum etiam ex eo; quia *Turba* illa univerſam electorum ultimi temporis Eccleſiam militantem, ex variis adverſis, ac præſertim ex *Antichriſti* preſſuris, minis & technis gloriosè emerſuram repræſentat; inde ſequitur, hanc tantam inter priores illos, & poſteriùs *viſam Turbam*, cognationem, non aliunde poſſe commodiùs oſtendi, quàm ex hoc, quòd priores quoque illi *ſignati*, jam ab olim unà cum aliis diverſarum Mundi Nationum fidelibus pugnârint contra varias iniquitates, quibus *Antichriſto* via præſtructa eſt ad

ejus ambitionem, fastum & tyrannidem; & quòd Nationes illæ (v. 9.) expressè non signatæ, vel non signandæ, (multæ saltem ex iis) vehicula quædam occulta fuerint, quibus dicti *Israëlitæ* (qui nempe aliis populis Ethnicis fuêre immixti) adducti sunt ad *Christianismum*, quasi iidem cum illis populi reputati. Hâc tamen manente distinctione inter illos expressè *signatos*, & hanc *Turbam*, quâ parte præter *Israëlitas signatos*, alios plurimos in se complectitur; quòd priores illi *signati* priùs elabentur à metu & furore *Antichristi* quàm alii, habebuntque (*d*) *locum* ac *desertum* sibi *paratum à Deo*, ut ibi *pascantur* verbô Dei in libertate conscientiæ; (non obstante, quòd etiam tunc minis & technis suis (frustraneis) infensus erit eis *Antichristus*;) at isti (præter *signandos*) ex *Turba* illa *magna* justô Dei judiciô ob sua peccata (inprimis frigiditatem vel torporem in

(*d*) *Vide Apoc.* 12. *v.* 6. 14. *&* *confer ea, quæ in* Clavi Prophet. *pag.* 325. *&* 389. *occasione verborum S.* Hieronymi *ea de re dixi*; *adjectis iis quoque, quæ habeo in* Læto Nunc. *pag.* 150. *Consule etiam S.* Hieron, *Comm. in Dan. cap.* 11. *v.* 41. *ubi disertè scribit de* Arabia, *quòd* illuc Sancti *tempore Antichristi* ad deserta confugient: *quam sententiam alibi, (scil. in* Isa. *lib.* 5. *in cap.* Isa. 16. *v.* 3. 4.) *tanquam non suam, sed aliorum refert. Pleniùs, vel de sententia illa, vel de* Deserto *Apoc. c.* 12. *memorato dicere, non hujus est loci.*

in rebus Divinis,) variosque errores, dominio & tyrannidi *Antichristi* per totum tempus dominii ejusdem subjacebunt, convertendi tamen per cœlestem gratiam, partim inchoatè & occultè sub ipso *Antichristi* jugo, partim pleniùs & apertè in ejus excidio, ut qui demum animadvertent horrendas ejus fraudes, imposturas & iniquitates, ac etiam movebuntur exemplô eorum, qui extra tyrannidem ejus feliciter & fidelissimè Deo servituri sunt. Atq; ex illa *plena* ipsorum *conversione* & melioratione futura, ipsi quoque pro *victoribus* in allegato v. 9. (& seq.) habentur. (Sicque non ante, sed post *victoriam* censendi sunt priores illi *signati* includi in *Turba* illa *magna*, cit. v. 9.) Hinc jam patet, quomodo hi posteriores quoque pro *signatis*, seu *signandis* habendi sunt juxta sententiam *Hugonis* de S. *Charo*, supra (†) memoratam; nequaquam illo sensû, quo priores, (qui maturè à magnis *Antichristi* & Ministrorum ejus nocumentis eximentur, ne pestiferis ejus placitis vel ad tempus obsequantur;) sed hôc tantùm sensû, quatenùs in Decreto Dei gratioso *signati* sunt, ne penitùs pereant sub tyrannide *Antichristi*, sed per veram resipiscentiam serventur in vitam æternam, imò mul-

N 5

(†) *S. LXXIII. h. cap. pag. 194.*

multi & in hanc vitam piè demùm & sanctè transigendam, liberentur ab ejus tyrannide.

LXXVII. Quæret fortè jam hîc aliquis: An soli *Israëlitæ* κατ' ἐξοχὴν sic dicti, sunt *signandi* illi, de quibus citatô loco Apoc. 7. (v. 4. & sequ. usque ad 8.) est mentio; vel etiam alii quidam cum illis æquè signabuntur? Resp. Tametsi visio illa de *signandis* primariò spectat ad *Israëlitas* toties memoratos, ut qui tam expressè per suas *tribus* hîc nominantur; attamen, quia ab Excellentia illa, quam *signandi* illi apud Deum (ex ejusdem gratia) habent, non possumus penitùs excludere omnes alios ex Mundi Nationibus credentes, quasi nullus eorum esset, qui particeps foret illius excellentiæ; ideo Divino de *Gentibus* proposito consentaneum est, ut aliqui ex Gentium quoque electis in illo *signatorum* seu *signandorum* numero comprehendantur; scil qui in exprimendo mysterio nominis *Israël*, ac specialiùs nominum *Tribuum* illic memoratarum, ut & gestorum ad nomina spectantium, proximi erunt Sanctis illis *Israëlitis*, vel etiam pares aliqui quibusdam eorum. Esto potiores numerô futuri sint ex *Israëlitis* signandi; erunt tamen cum his ex Gentibus

bus etiam aliqui præcipui. Sic hi merè ſpiritualiter, illi autem & ſpiritualiter & ad literam (ratione originis antiquæ) *Iſraëlitæ* erunt. Numerum autem eorum hîc determinatum, (ſub quo utrique, ut jam inſinuavi, comprehenduntur,) exiſtimo ad viros tantùm adultæ ætatis eſſe referendum, ſub quibus ceteri utriusque ſexûs, ſanctorum ſuorum Ducum ſancta veſtigia ſequentes, tanquam domeſtici vel propinqui ſub ſuis Heris vel Capitibus includi reputantur. An verò hi cap. 7. *ſignati*, iidem ſint cum iis, qui Apoc. cap. 14. v. 1. 3. 4. 5. ut excellentiſſimi Sancti, pari cum iſtis numero referuntur; non vacat hîc, nec ſcopus requirit, quæſitum illud decidere. Negari certè non poteſt, quin valde magnam inter ſe habeant cognationem. Porrò numerus ille, inſtar ſeminis tantùm & primitiarum eſt, in reſpectu ad longè plures demùm futuros excellenter ſanctos. In illo autem numero, (ſcil. 144000.) eſſe reſpectum ad numerum 12. Apoſtolorum, eruditis per ſe patet. Radix enim τȣ̃ 144. eſt 12. & pariter τὸ 144000. fit ex multiplicatione τȣ̃ 12000. per 12. At verò ad myſterium numeri illius pleniùs cum tempore cognoſcendum, procul dubio non mediocrem conferet lucem cognitio myſterii

ſterii latentis tum in numero præcipuorum *Muſicorum* à *Davide* conſtitutorum, ſcil. 288. (dupli τȣ 144.) 1. Par. 25. v. 7. tum in numero 288000. militum eidem *Davidi* Regi per *turmas* certas menſtruatim (in anno) *miniſtrantium*; (1. Paral. 27. v. 1. 2. & ſequ. uſque ad 15.) qui numerus duplus eſt numeri 144000. tam cap. 7. Apoc. poſiti, quàm cap. 14. repetiti. Quæ tanta inter hos numeros harmonia, (conſideratis utrinque etiam circumſtantiis,) ex ſcopo Spiritûs Dei non eſt fruſtranea. Sed cœleſte ejuſdem Spiritûs S. lumen aſſiduè implorandum eſt, ut talia myſteria nobis in dies pleniùs pateant.

LXXVIII. Tenendum etiam hîc eſt, id quod ipſa recenſio *Tribuum* docet, hoſce *Iſraëlitas ſignandos*, non ſolùm ex *decem tribubus*, (unâ earum, nempe *Dan* exceptâ, & tribu *Joſeph* pro *Ephraim* acceptâ,) ſed ex aliis etiam eſſe; videlicet ex *Juda*, *Levi* & *Benjamin*; è quibus quomodo poſteri aliqui ſint jam *Chriſtianis* immixti, nimirùm, partim eo modô, quô multi ex *decem tribubus*; (quia ante nomen *Chriſtianum* gentibus ſe quondam, *Chriſtianis* demum factis immiſcuerunt;) partim per ſuſceptam in aperto & vulgò noto ſuo Hebraiſmo Chriſtiani nomi-

nominis professionem; superiora (*e*) nos docent: quò nunc remitto Lectorem. Ex eo autem, quòd *tribus Dan* hîc non recensetur, ne putet quispiam, non esse hactenùs ullos ex *Tribu* illa *Christianis* immixtos. Nam ut taceam reprobos ex illa *Tribu* unà cum aliis falsis & impiis *Christianis* damnandos; salvandi ex iis, qui vel jam sunt *Christianis* ex illa *Tribu* immixti, vel deinceps usque ad certamen cum *Antichristo* M. futurum immiscebuntur, includuntur in *Turba* illa *magna*, de qua est mentio v. 9. (cit. c.7. Apoc.) unà cum aliis *Hebræis* extra numerum 144000. futuris, aliisque ejusdem apud Deum ordinis salvandis. Porrò, de ordine *Tribuum* in textu cit. posito, non est hujus loci plenius aliquid dicere: hoc tantùm de eo indicâsse nunc sufficiat; quòd valde probabile est, ordinem illum temporis hîc consideratum fuisse, quô mysteria nominum Patriarcharum ac Tribuum, ut & gestorum eò pertinentium, priùs vel posteriùs inchoabuntur exprimi vel impleri in electis *Israëlitarum*. Sed ad principalem redeo scopum.

LXXIX. Satis jam ex hactenùs dictis patet, locum de *signatis Israëlitis* allegatum, non

(*e*) *S. XX. XXXI. & XXXVI. hoc cap. pag.* 67. 95. 96. & 107.

non aliter posse plenè & de principali Spiritûs S. scopo intelligi, nisi teneamus sententiam de *Israëlitis decem tribuum*, (& aliis etiam ejusdem Nationis jam ab olim non apparentibus) supra (*f*) positam, scil. eos aliis populis, ac signanter ipsis quoque *Christianis* esse immixtos: quod erat pro *secundo* argumento, ac per consequens pro Responso ad *Secundam* de Textu *Quæstionem* dato fulciendo, demonstrandum.

LXXX. Antequam verò *Tertiam* attingamus *Quæstionem*, operæ pretium esse puto, speciosam quandam hîc objectionem contra assertam hactenùs sententiam in speciem militantem diluere. Objectio illa petitur ex verbis quibusdam (*g*) *Sulpitii Severi*, S. *Hieronymi*, *Bedæ* & Flav. *Josephi* de *decem tribubus* supra relatis: quorum omnium mens huc tendit, quòd *decem tribus Israëlis* manserunt in illis Regionibus, in quas priùs captivæ abductæ fuerant. Inprimis S. *Hieronymus* (circa an. D. 400.) disertè scribit, quòd *decem tribus USQUE HODIE* (ad suum nempe usque ævum,) *in Montibus Urbibusque MEDORUM serviunt captivæ*: & *Sulpitius* pariter: *Hodieque* (inquit) *barbararum Gentium imperiis continentur*. Ita & *Beda* ait, quòd *usque hodie* (ad suum nempe ævum,) *Persarum*

rum

(*g*) *Supra §. 27. & 29. b. cap. pag. 82. 88. 89. & 90.*

rum genti servire perhibeantur: ut hæc cuncta in superioribus (*h*) fusiùs audivimus. Unde videtur sequi, *Israëlitas decem tribuum* non esse ita populis aliis *immixtos*, ut hactenùs asseruimus. Resp. Nego ex verbis eorum contrarium nostræ sententiæ posse rectè inferri. Nam (1.) uti nos non negamus, multos è posteris *Israëlitarum* ad literam *in Montibus & Urbibus Medorum habitâsse*, adhuc ævo *Hieronymi*, vel juxta *Sulpitium* (ei coævum) *barbararum Gentium imperiis contentos fuisse*, imò multos eorundem ætate quoque *Bedæ*, *Persarum genti* (sub aliena forma) *serviisse*, cùm ultrò recognoscamus, nunc etiam non paucos ex iis (sub aliena forma) *Persis*, aliisque Barbaris subesse; sic nec illi negant simpliciter suis dictis, quin jam ipsorum ævo iidem *Israëlitæ* partim *Medis*, partim *Persis*, partim aliis Populis, ac specialiùs etiam *Scythicis* supra (†) memoratis fuerint *immixti*, exutô & mutatô veteri suo Hebraismô. Imò dum *Sulpitius* in genere *barbararum gentium* meminit, rectè sub illo titulo *Scythas* etiam ac signanter veteres *Hunnos* & *Hungaros* subintelligere possumus. (Quomodo autem ad hos pervenire potuerint; jam suprà (*i*) docui-

(*h*) *Ibid.* (†) *Pag.* 80. (*i*) *S. XXI. & XXII. h. cap. pag.* 69. 71. 72.

cuimus.) Poterant certè *Medis*, *Persis* & aliis Populis subesse, etiam dum jam iis *immixti*, & in eos transfusi erant, eô modô, quô in una aliqua Natione vilior & ignobilior pars, servit potentiori & nobiliori parti. Si qui fortè pauci, illorum adhuc ævo, (& fortè plures etiam tempore Flav. *Josephi*) aliquid de veteri suo *Hebraismo* ad apparentem suî ab aliis distinctionem retinuerint; inde non sequitur negandum esse, multos (imò plurimos) eorum jam tunc in alios populos transiisse: nil obstante, quòd aliter citati authores de iis humanitùs (intra se) putaverint. (2.) Non est mirum, quòd citati Authores nihil adhuc suo ævo de *Israëlitis*, *Scytharum*, vel aliarum Mundi Nationum populis *immixtis* apertè tradiderint. Nam & ipsa *immixtio* eorum, non simul & semel, sed vicibus diversis ac temporum successû facta est; & Dei quoque hoc de ipsis consilium, ut nempe aliis populis *immixti*, unà cum iis demùm *Christianum* nomen susciperent, labentibus seculis diu post memoratos Authores erat revelandum: præsertim cùm & ipsa populorum illorum, v. gr. *Scythicorum*, quibuscum (juxta superiùs (k) dicta,) aliqui *Israëlitæ* occulti Christianis sunt immixti, con-

(k) *S. XXXV. h. cap. pag.* 104. 105. 106.

conversio ad Fidem *Christi*, tardiùs demùm evenerit, & tempore *Sulpitii* ac *Hieronymi*, non nisi in valde tenuibus adhuc initiis fuerit. Imò pars illa nostræ Nationis majorum, quæ specialiùs *Hungarorum* nomen apud exteros (sed ex ipso fonte idiomatis nostri) sortita est, longè demùm etiam post *Bedæ* ætatem suscepit fidem *Christianam*; ut notum est eruditis. Præterea longè major est hôc nostrô ævô experientia rerum de diversis populis, pleniorque & cultior scientia Geographica, quàm fuit temporibus citatorum Authorum. Sic ergo cùm hoc nostrô ævô constet, nullibi seorsim & cum peculiari distinctione extare *Israëlitas* illos, de quibus agimus; (ut jam superiora (*l*) docent;) sequitur ex allatis veterum testimoniis, nihil contra nostram sententiam hactenùs assertam inferri posse.

LXXXI. *Signa* autem dignoscendorum eorundem *Israëlitarum* Christianis immixtorum jam & antehac (*m*) promissa, tametsi eruditis non obscurè patere possunt ex quibusdam hactenus (*n*) dictis; attamen seorsim ea & distinctè infra alio locô (*o*) referentur. Nunc jam, postquam sufficienter pro *Secunda Quæstione* decidenda diximus, ad *Tertiam* progredimur *Quæstionem*.

O CA-

(*l*) §. 28. hoc cap. pag. 85. & 91. (*m*) §. 37. h. cap. pag. 110. (*n*) §. 59. 60. & 72. pag. 166. 167. & 191. (*o*) Cap. 6. §. 6. & 7.

CAPUT IV.

In quo, *QUÆSTIO TERTIA* (*de tempore lugubris* Sessionis Israëlitarum) *expenditur, & explicatur ex initiis & fine, quodnam sit* tempus *illud lugubris* Sessionis Israëlitarum, (sine Rege, sine Principe *&c.*) *phrasi* dierum multorum *ab Hosea prædictum.*

I. TErtia hæc erat *Quæstio*; Quodnam est „hoc tempus *dierum multorum*, qui„bus *filii Israël sedent* (vel *sedere* debebant) „*sine Rege*, *sine Principe*, *sine sacrificio*, &c. ? Ad quam sic resp. Tempus hoc, terminum *à quo* (ut loquuntur) diversum habet pro diversitate *Israëlitarum*, de quibus nunc agimus; imò diversum etiam ratione typorum (uti erant olim in V. T. typici *Reges*, *Principes*, typica *sacrificia*, &c.) & ratione rerum per typos significatarum. *Israëlitarum decem tribuum* respectû, & quantùm ad tempus durantium adhuc typorum Vet. Test. incipit hic terminus inde ab ipsa captivitate *Assyriaca*, annis circiter 739. ante Nat. Christ. Israëlitarum autem *duarum tribuum* respectû, & quantum ad veterem ac typicum eorum statum, terminus ille in præludio quodam ac figura initium sumsit ab ipsa captivitate *Babylonica*, quæ pleniùs & cum eversione totali Regni *Judæorum* contigit (juxta (*a*) *Bucholczerum*) annis ante

(*a*) *In Indic. Chronolog.*

ante Nat. Chrift. (†) 606. Sed hæc eorum typica *feffio*, ac typica calamitas, citò finem habuit; hoc eft, annis 70. captivitatis illius elapfis; (imò & *Regem* utcunq; ac titulo tenus, nempe *Joachin*, in ipfa quoq; captivitate aliquamdiu habuerunt; fucceffionē autem Pontificum continuatam penitùs retinuerunt; ut & fupra (*b*) monuimus:) ideoque typica illa & valde brevis calamitas, pro reali & plenario hîc prædictæ *dierum multorum feffionis* implemento haberi non poteft. Realis ergo & principalis implementi, (ex quo nimirùm vero *Rege* & *Principe* Chrifto Domino jam præfente *Judæi* carent,) ratio hîc debet haberi; cujus initium eft ipfum tempus primi adventûs Domini, ex quo pertinaces *Ifraëlitæ* ab *Hierofolyma* dependentes eum repudiârunt; maximè autem ex quo per *Titum* ann. D. 70. eorum Urbs & Politia everfa eft. (Confer hîc verba ex S. *Hieronymo* & S. *Auguftino* (*c*) ad Quæftionem *primam* fupra allata.) Ex illo fanè tempore funt potiffimùm *Judæi*, five *Ifraëlitæ* Hierofolymitani ac Chrifti interfectores, fine vero *Rege*, *Principe* & *facrificio*, &c. eò quòd à Deo irato funt prorsùs rejecti, ufque ad tempus benignæ

(†) *Juxta* Petavium *annis circiter* 600. (*b*) *S. VI. ad Quæft.* 1. *cap.* 2. (*c*) *Quæft.* 1. *S.* 1. *cap.* 2. *pag* 13. & 14.

visitationis eorum, seu, usque dum ex omnibus Mundi partibus *plenitudo Gentium intret* in Ecclesiam. *Israelitæ* quoque *decem tribuum* à dicto nunc tempore, non jam typico *Rege* aut typico *Principe*, &c. (eò quòd typi illi veteres post mortem Christi cessare debuerunt,) sed reali *Rege* & *Principe*, realique *sacrificio* &c. destituti esse dicendi sunt, quicunque nondum pervenerunt, vel saltem sub alieno, utpote Gentium Mundi nomine, ad cognitionem & fidem nostri Salvatoris: ac donec in tali statu manent, continuatum habent, inde à sua per *Assyrios* abductione, in pleno sensu *tempus* illud miseræ suæ *sessionis*, (ubicunque & quibuscunque populis immixti sint,) donec Deus eorum juxta scopum præsentis prophetiæ (Hos. 3.) misereatur. Attamen longè favorabilior est eorum conditio & causa coram Deo, quàm *Judæorum* Christi interfectorum; ut & supra jam (*d*) notavimus. Qui autem illorum vicibus jam diversis, sub aliena & incognita forma *Christi* fidem susceperunt; illi, si constanter verâ ac vivâ fide Christo Domino adhæserunt, vel adhærent, parem cum aliis verè fidelibus (origine *Gentilibus*) consecuti sunt, vel consequentur sortem spiritua-

(*d*) *Quæst. 2. S. XVI. cap. 3. pag. 61.*

tualem: at quamdiu ſub alieno nomine & forma latent,& quamdiu ut *Iſraëlitæ* in textu memorati, ad Deum ſingulari cum *pœnitentia* ex omnibus ſuis lapſibus plenè non convertentur,tam diu felicitatem hîc promiſſam nondum ſunt conſecuti, vel, non conſequentur. Felicitas enim illa, *Iſraëlitis* quà talibus, quà jam notis, (& aliis unà cum iis Gentium electis) eſt promiſſa, pro *ultimo* tempore effectû exhibenda: (ut diſertè ſacer textus habet:) frui nempe in terra quoque ſingulari quâdam benignitate noſtri Salvatoris, ſecuram quietem pacemque ſtabilem, & omne corporis atque animæ *bonum* in ſe complectente: quod verbis illis exprimitur: *Et pavebunt* (ſeu *pavidi* accedent) *ad Dominum,& ad BONUM ejus, in noviſſimo dierum.* De quo *Bono* in alia Quæſtione (*e*) pleniùs dicturus ſum.

II. Sic ergò ratione *Iſraëlitarum decem tribuum*, omne tempus, quod eſt à captivitate eorum *Aſſyriaca*, uſque ad *ultimum* illud (jam jam imminens) tempus, quô iidem *Iſraëlitæ* per ſingularem quandam & integram ad Deum converſionem, noſcibiles ſe ſe exhibebunt, & omnes alios zelô ſanctô in quærendo Deo ſuperabunt, eſt tempus illud *dierum multorum*, de quo in noſtro

O 3 tex-

(*e*) *Quæſt. 6. cap. 7. §. V.*

textu est prædictũ. (Cujus tamen inchoatæ expletionis, tenuia quædam initia, seu præludia facta sunt ratione quorundam tunc, quando aliqui eorundem, soli Deo noti, sub nomine & forma Ethnicorum (quibus fuerant immixti) nomen Christo dederunt.) At *Israëlitarum* Christi interfectorum (seu *Judæorum* vulgò notorum) respectû, terminus (ut loquuntur) *ad quem*, illius temporis, ulteriùs adhuc extendetur, quàm priorum illorum respectû; eò quòd tardiùs isti, quàm illi ad Christum Dominum sincerè & integrè convertentur; ut supra (*f*) jam docuimus. Objectionem, quæ hîc ex phrasi, *sine Rege, sine Principe*, &c. à parte *Israëlitarum Christianis* jam immixtorum peti posset, infra (*g*) diluemus.

III. Porrò *dies* hi *multi*, aptissimè lucis causâ conferri possunt cum tempore illo, de quo verbis ad *Gogum* directis, Ezech. 38. v. 8. sic est mentio: *Post dies multos visitaberis.* Videlicet *Gogum* unà cum *Magogo*, seminatum quidem jam in Christiansmo, & quodam modô præsentem, at (quoad distinctiorem suî formam) hominibus adhuc occultum, hoc in loco Deus alloquitur, quòd eum ipse primùm quidem gratiæ suæ lumi-

(*f*) *Cap. 2. S. VI. collat. cap. 3. S. LXXV. pag. 28. &* 196.197. (*g*) *Ad Qu. 4. cap. 5. S. IV. & V.*

lumine, ſed mox eo abuſurum, ob hunc abuſum, & plenioris gratiæ contemptum, *viſitaturus* eſſet horrendô ſuô judicio, *poſt* iſtos *dies multos*. Eſt ergo jam *Gog* & *Magog* occultus inter Chriſtianos, (tametſi indiciis quibuſdam, diligenter in res hominum attentis, incipiat ſe prodere,) eô modô, quô jam adeſt inter eoſdem pars populi etiam *Iſraëlitici* tum ſibi tum aliis hominibus hactenùs ignota, at brevî manifeſtanda. Cùm verò populus ille *Iſraëliticus* ſe manifeſtabit, tunc & *Gog* (unà cum *Magog*) per ſuî adversùs populum illum oppoſitionem, manifeſtabitur: ita ut, quicunque populo illi, & ſingulari Dei benignitati, quæ eum muniet, ſe oppoſiturus eſt, is hôc ipsô demonſtrabit, ſe *Gogum* vel *Magogum* eſſe. *Gog* enim & *Magog*, *κατ' ἐξοχὴν* ſic dicti, ex principali Spiritûs S. ſcopo, Populo *Iſraëlitico*, ut verum Mundi Redemptorem confitenti, aliisque fidelibus ejuſdem Fidei conſortibus, directè ſe ſe oppoſituri ſunt. Ipſe textus Ezech. cap. 38. & 39. accuratè excuſſus, id perſpicuè docet. Vide v. 8. 14. 18. 19. (collat. v. 12.) cap. 38. & v. 2. 4. 7. 9. 11. 12. 17. 22. 23. 25. & 29. cit. cap. 39. In quibus omnibus tam expreſſa mentio fit *Iſraëlis*; ejuſdem nempe, de quo & proximè præcedens cap. 37. mũ

 ſonat.

sonat. Stat enim firmissimè *Regula*, in superioribus non semel jam (*b*) insinuata; ,,quòd ubicunque Prophetæ Populares ,,suos expresśè alloquuntur, vel expresśè ,,de iis sermonem (eisdem applicabilem) ,,faciunt; in talibus prophetiis non so- ,,lùm non negliguntur *Israëlitæ*, (alioquî, ,,contrarium hîc sentire planè absurdum ,,esset;) sed potiùs primarius & proxi- ,,mus ad eos sit respectus. Hæc autem Prophetia de *Gog* & *Magog*, est è numero talium: ut versus citati ostendunt. Unde sequitur, quòd quemadmodùm cognitio *Christi*, præcedit cognitionem & manifestationem *Antichristi*; sic manifestatio dicti *Israëlis* in medio Christianismi latentis, debet præcedere manifestationem τῦ *Gog* & *Magog*. Excute quæso diligenter citata capita *Ezechielis*, non poteris dubitare de eo, quod hîc assero.

IV. Ut ergo ex certis indiciis, inprimis ex horrendis inter Christianos contentionib⁹, ex ingeniis tot monstra & abortivos fœtus partû edentibus, & ex detestanda morum seculi hujus corruptione certò præsumere possumus, propè esse tempus, quô *Gog* & *Magog*, ut apertus Ecclesiæ hostis, cum

(*b*) *Quæst.* 2. *cap.* 3. *S.* 63. *pag.* 174. *collat. ibid. S.* 29. 31. 38. & 73. *scil. pag.* 87. 95. 116. & 194.

cum magna potentia eidem à Deo, ad probandam bonorum fidem, patientiam & constantiam,& ad puniendos segnes & malos Christianos ejus verbum non honorantes concedenda, manifestetur; sic è contra ex hac propinquitate manifestationis ejus, sancti & Deum timentes capita erigere debent, & se se validâ fulcire consolatione, quòd etiam populi *Israëlitici* Deo dilecti manifestatio propinqua est, ac eò propinquior, quòd hæc illá præcedere debeat. Quò magis timor Dei & sanctitas inter tantas hoc tempore mundi iniquitates crescet in electis, eò celeriùs Populus ille manifestabitur, & eò breviuserit hoc tempus *dierum multorum*, de quo in hac *Quæstione Tertia* egimus. Alia nunc succedat *Quæstio*.

CAPUT V.

In quo, *QUÆSTIO QUARTA* (*de statu* Israëlitarum sine Rege, sine Principe, sine sacrificio *&c.*) *expenditur*, *&* *sigillatim phrases de* Rege, Principe, Sacrificio, Altari, (*ut &* Statua *juxta Hebr.*) Ephod *&* Theraphim (*post literalem sensum*) *de suis* mysteriis *in præsentis Tractatûs scopum fusè explicantur.*

I. QUarta sic se habet *Quæstio*: Quid hîc „ per *sessionem sine Rege*, *sine Principe*, *si*„ *ne sacrificio*, *sine altari*, (vel *sine statua*,) *sine* „ *Ephod*, *&* *sine Theraphim*, intelligitur? Ad

quam (Deo favente) sic respondebimus, ut sigillatim etiam de singulis ejus membris aliquid dicamus.

II. De verbo *sedendi* supra (*a*) jam in partitione textûs lucem aliquam dedimus: ubi diximus, abjectum & luctuosum statum, eorum, de quibus hîc agitur, verbô illô indicari. Videat ibi Lector pleniùs. In reliquis phrasibus, de *Rege*, *Principe*, *sacrificio*, &c. quantum ad literalem sensum, facilè intelligi potest, quomodo *sine* his omnibus (quà hæc ipsorum priùs erant,) extiterint *Israëlitæ*, juxta præsentem prophetiam. Videlicet *Israëlitæ decem tribuum*, statim inde à sua per *Assyrios* abductione his (quà *Israëlitica* erant) continuè caruerunt, in tantum quidẽ, ut demùm typica illa, (quà talia fuerunt, & ubi adhuc exercebantur,) per Christum prorsùs abolerentur. Objectio de *Theraphim* infra (*b*) solvetur. Alii autem *Israëlitæ duarum tribuum*, & his uniti post 70. annos suæ captivitatis *Babylonicæ* elapsos, typica quidem ista, ex parte resumpserunt; (scilicet, absque *Rege* de Domo *David*, & absque integro *Ephod*, eò quòd *Urim* & *Thummim* in eo defuerunt;) usque dum per Christum ea abolerentur. Atque jam ab illo tempore, prorsùs manent illi *sine* ullo proprio

(*a*) *Cap.* 1. *S.* 8. *pag.* 9. (*b*) *S. CXVIII. h. cap.*

prio *Rege* & *Principe*, & *sine sacrificiis*, & aliis typicis instrumentis & ornamentis. At verò quoniam ipsa verba penitiùs excussa nos monent, altiorem hîc esse sensum ex principali Spiritûs S. scopo, quàm merè literalem; ideò ad illa nos debemus hîc mentem potissimùm erigere, quæ per typica illa olim adumbrabantur. Quædam enim hîc talia sunt, quæ ad literam intellecta, nunquam in æternum ex intentione Spiritûs S. post natum Messiam restituentur; nec permittit Evangelium, ut restituantur. Qualia sunt, v. gr. *Sacrificia* Legalia; *altare* iisdem *Sacrificiis* inserviens; vel juxta Hebr. *statua*, seu monumentum typicum; item *Ephod* & *Theraphim* eorum. Imò nec *Reges* & *Principes* eorundem quà typici, & ceremoniis Legalibus observandis obstricti erant, seu, quatenùs cum pristino suo statu considerantur, unquam restituentur. Hos enim in veteri illa forma & statu restituere, esset *Judaismum* restituere: quod absit Christiano vel cogitare. Atqui Spiritûs Dei scopus est hîc, ita de hisce enumeratis loqui, ut aliquando sensû convenienti fiat *restitutio* eorum; scilicet non in cortice & litera, sed in re per literam in istis olim significata. Alioquî nimis inepta esset locutio, dicere, *sessuros filios Israël*

mul-

multis diebus sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, &c. si non implicitè indicaretur, venturos demùm *dies*, quibus iterum *filii Israël* liberarentur ab hac miseranda *sessione sine Rege, sine Principe*, &c. sed *sessuri* sive habitaturi essent sub *Rege*, vel cum *Rege*, cum *Principe*, cum *sacrificio*, cum *altari*, (seu *Matzzebah* juxta Hebr.) nec non cum *Ephod*, & cum *Theraphim* spirituali sensû (ut Christianum decet) acceptis. Uti enim pœna est horum ablatio vel amotio; sic è contra eorundem sanô sensû *restitutio*, est pœnæ ejusdem amolitio: ita ut pœna tamdiu manere debeat, quàmdiu illa ex principali Spiritûs S. scopo (h. e. sensû statui Novi Test. congruô) non restituentur.

III. Sic ergò per *Regem, Principem, sacrificium*, aliaque in allegato v. 4. memorata, juxta principalem Spiritûs S. scopum, debemus intelligere res & bona illa Novi Testamenti, quæ per literalia & typica ista olim adumbrabantur. Realibus enim illis carere, longè major est pœna, quàm istis merè typicis & umbraticis. Unde prædicitur hîc *Israëlitis*, ipsos *multis diebus* miserè futuros sine rebus ac bonis illis, (præsertim in pleniori suâ emphasi sumptis;) quæ per typos & umbras versu 4. enumeratas ipsis significabantur, & in spe offereban-

bantur; tunc verò demùm illa eis per gradus & intervalla temporum exhibitum iri, cùm ad verum mundi Redemptorem (juxta verſ. 5.) ſincerè & integrè converſi fuerint. Quaſi implicitè & hoc ipſis prædictum fuiſſet: „ Aderit quidem ſuo tem„pore verus ille Mundi Redemptor, in „ quem typi & figuræ veſtræ collimant; „ veruntamen ob peccata, aut ſimpliciter „ carebunt poſteri veſtri bonis per eum ac„ quirendis; ut *Judæi* ejus interfectores, „ & alii à fide Chriſtiana alieni, quàm diu „ tales manent; aut certè pleniorem bo„ norum olim promiſſorum exhibitionem „ tamdiu Dominus differet iis etiam, qui „ externè nomen ejus profitentur, vel „ profitebuntur, ac per hoc ſuam ab eis „ gratioſam faciem occultabit, quamdiù „ ſincerâ & pleniſſimâ ſuî ad eum conver„ ſione ſe non emendabunt: ad meliorem „ interim vitam translatis iis, qui ex eo„ dem populo, mediô tempore ante plena„ rium hujus prophetiæ implementum, ſin„ cerâ & vivâ fide eidem Domino Salvato„ ri adhæſerint.

IV Nunc jam ſigillatim & ſpecialiùs de his videamus. Per *Regem* literalem Populi Hebræi, intelligitur ipſe verus *Rex* Eccleſiæ *Chriſtus* Dominus, qui nempe per *Regiam* in Po-

Populo illo dignitatem (præcipuè quidem & primariò per eam, quæ apud tribum *Juda* cum ſibi unitis, ſed ſecundariò, & quodam inferiori modô & gradû, per illam etiam, quæ apud *decem tribus* reſidebat,) fuit olim præfiguratus. Si enim (rectè docente (c) S. Auguſtino,) *Regnum* populi illius *terrenum umbra erat Regni cœlorum*, quod eſt *Regnum Dei* in Eccleſia Novi Teſtamenti; pariter etiam *Reges* populi ejuſdem, *umbræ* & figuræ fuerunt noſtri *Regis* Domini Jeſu Chriſti. Per *Principem* etiam ipſe *Chriſtus* Dominus, Summus noſter *Princeps* intelligitur; quatenùs etiam *Principes* in illo Populo, ſive Eccleſiaſtici ſive Seculares, ad unum *Chriſtum*, ut Legis Moſaicæ ac totius Statûs & Regiminis ei conformis ſcopum, collimabant. Eſt autem *Chriſtus* tum *Rex*, tum *Princeps* in Novo Teſt. non ſolùm ratione ſuæ perſonæ, quà (certô modô) in cœlis eſt; ſed quod maximè hîc ad ſcopum facit, in ſuis eximiis Servis in Eccleſia, tum Eccleſiaſticis, tum Secularibus; quatenùs per eos gubernat & tuetur in his terris ſuam Eccleſiam: quorum quia aliqui in gradu eminentiori dirigunt & tuentur Eccleſiam, (quà talem) & aliis longè plùs conferunt ad Eccleſiæ bonum; alii verò in gradu directio-

(c) *Enarr. in Pſal.* 119. *v.* 5.

rectionis ac protectionis inferiori sunt siti, & minùs quàm alii operantur in hac excellenti cura & functione; ideò per S. Ecclesiæ Duces & Protectores, ac præsertim per Ecclesiasticos Directores, eorumque Hierarchiam cum sancto *Primatu* junctam dicitur Christus in Ecclesia regnare, partim ut *Rex*, partim ut *Princeps*. (Videant tamen iidem Duces, ut idonea & grata Christi regnantis organa se se exhibeant.) Etsi verò etiam hactenus semper fuit Christus *Rex* & *Princeps* in sua Ecclesia, & semper habuit per quos regeret & protegeret suam Ecclesiam; attamen quia placet ei gradatim & cum tempore deducere suam Ecclesiam ad statum perfectiorem eidem promissum, juxta Ephes. 4. v. 13. imò & peccata nostra perfectiorem ac feliciorem illum statum hactenùs (d) prohibuerunt; ideò juxta pleniorem prophetiarum sensum, & principalem in iis Spiritûs S. scopum, tunc erit Christus Dominus longè evidentiùs quàm hactenùs *Rex* & *Princeps* in Ecclesia, quando aliquos ex utroque Ducum & Protectorum Ecclesiæ statu, ita totos sanctificabit, & divite suâ gratiâ pro se occupabit, in quibus ipse excellenti quodam modô habitet, ut illi omni suâ vitâ, con-

(d) *Excute hîc benè Isa. 59. v. 2. & seq.*

conversatione, doctrinâ, & curâ circa Ecclesiam, *Christum* verè exprimant, sintque (juxta stylum (e) Tauleri) *velut alter Christus*; atque sic *justitia* & *pietas* per eos prævaleat Mundi iniquitati. Futuros autem esse tales Duces ultimis temporibus, non dubitabit ille, qui genuinum sensum sequentium locorum ritè expenderit: Isa. 32. v. 1. 5. 8. *Ecce in justitia regnabit Rex, & Principes in judicio præerunt. Non vocabitur ultra is, qui insipiens est Princeps.* &c. *Princeps verò ea, quæ digna sunt Principe cogitabit*, &c. & cap. 54. v. 12. *Et ponam JASPIDEM PROPUGNACULA TUA, & portas tuas in lapides sculptos*, vel, (juxta Hebr.) in *lapides carbunculi*. &c. Ubi sub emblemate *lapidum* pretiosorum & præstantissimorum, Sanctos ultimi temporis Duces, Vigiles, Custodes & Judices Populi Dei futuros nobis Spiritus Dei describit. De iisdem *lapidibus* pretiosis mysticè intellectis, habetur mentio etiam Ezech. cap. 28. v. 13. Vide etiam Isa. 60. v. 17. colô ult. & v. 18. ibid. & Jerem. 3. v. 15. Ezech. 34. v. 23. 24. 25. & cap. 36. v. 26. 27. & 37. v. 22. 24. 25. 26. 27. 28. Hæc pauca ex multis. Dum hæc plenè implebuntur, tunc & illud implebitur quod habetur Zach. 14. v. 9. *Et ERIT REX Dominus super*

(e) *Imit.* Paup. Vit. *Christ. Part.* 1. §. 129.

ſuper omnem terram : quo de loco conſulat Lector S. *Hieronymum* & S. *Cyrillum* Alexand. Comment. in eundem loc. & conferat lucis causâ Iſa. 2. v. 11. & 17. ubi res eadem ſic exprimitur: *Exaltabitur DOMINUS SOLUS in die illa.* Et cùm illud *Zachariæ* atque *Iſaiæ* implebitur, tunc fiet & hoc, ut Chriſtus Dominus dicatur plenô ſensû *Rex & Princeps* per ſuos utriusque ſtatûs Servos ſanctos in Eccleſia.

V. Hinc jam ſi quis de *Iſraëlitis* illis, quos *Chriſtianis* diximus eſſe immixtos, ſcrupulum moveat; „an nempe in iis prophe„tia *Hoſeæ* (de *reſtitutione*) ſit impleta, nec „ne? facilè (juxta ea, quæ jam cap. 3. §. 34. ſunt inſinuata,) reſpondemus; quòd prophetia illa ex parte quidem aliqua, ſub nomine alieno cœpit jam in iis impleri; ſed nondum eſt plenè & juxta principalem Spiritûs S. ſcopum impleta. Nam habent quidem jam Chriſtum Dominum ſensû latiori ſuum *Regem* & *Principem*; (eò quòd ejus Legi ac doctrinæ Evangelicæ ſubſunt, aut certè ſubeſſe debent;) at verò nondum adhuc ſpeciali illo & jucundo ac pleniori ſensû, quô prophetiæ de ipſius *Regno* editæ debent impleri, juxta expoſitionem (*f*)

 ſupra

(*f*) *Cap.* 3. *S.* 33. *pag.* 100. 101. *&* *cap.* 4. *S.* 1. *ſub fin. pag.* 212. *&* *hôc cap. S.* 4. *pag.* 223. *Confer.* 175.

ſupra datam ; ſeu juxta promiſſum *Iſraëli* ut *Iſraëli* ac peculiari quondam populo Dei factum. Quod non priùs fiet, quàm ubi dicti *Iſraëlitæ* per ſingularem quandam ex omnibus ſuis lapſibus ad Deum converſionem, veramque vitæ ſanctitatem ſe manifeſtabunt. Tunc ſanè hilarem, jucundam & benignam erga ſe Domini faciem experientur; tunc diſcent & ſentient cum ſingulari animi lætitia, quid ſit myſticè illud Iſaiæ: (g) *Regem in decore ſuo videbunt oculi* * *ejus.* (*Videbunt* nempe in *Sanctis* Principibus Populi Dei, ac præſertim in *Vicario* (†) illo Domini & *Paſtore* viſibili ultimi temporis, ſub quo *unum Ovile erit*, juxta Joan. 10. v. 16.)

VI. Per *Sacrificium* intelligitur id, quod vetera *ſacrificia* adumbrabant. Adumbrabant autem ea primariò ac directè ipſum *Chriſtum* Dominum, quà in Cruce mortem ſubiens ſe ipſum Deo Patri pro nôbis in *ſacrificium* propitiatorium obtulit: juxta Hebr. 9. v. 26. 28. & cap. 10. v. 12. 14. Epheſ. 5. v. 2. collat. Rom. 5. v. 9. & 1. Petri 3. v. 18. Conſequenter verò adumbrabant *bona* per *Chriſti* mortem ejusque meritum nobis acquiſita, ſucceſsû temporum ac vicibus diverſis nobis actû applicanda & ex-

(g) *Iſa.* 33. *v.* 17. (*) *Juxta Hebr.* Oculi tui. (†) *Vide* Clav. Prophet. *pag.* 182. 183.

& exhibenda. Uti enim *ſacrificia* illa vetera fruſtranea fuiſſent, niſi per ea fuiſſet typica quædam placatio Dei, & typica Populi mundatio atque ſanctificatio; (effectum realem intuitû Chriſti ſortitura;) ſic mors quoque Chriſti & ejus *ſacrificium*, non poteſt, nec debet hîc conſiderari abſque *bonis* per eum partis. Uno verbo ſic dicimus: quòd ſub figura *Sacrificii*, intelligitur ipſe *Chriſtus* pro nobis immolatus, unà cum *bonis* ſuî immolatione nobis acquiſitis.

VII. Sunt autem *bona* illa; (1.) ipſa noſtrî *Redemptio* à captivitate Diaboli, & per conſequens ab omnibus corporis & animæ ærumnis. Nec priùs iſta *redemptio* in cruce ſemel acquiſita nobis plenè actû ipsô confertur, quàm ubi & in anima & in corpore ab omni ærumna & corruptione liberi erimus. Unde Apoſtolus ſingulariter de *corporis noſtri redemptione* dehinc futura ſic ait: (h) *Et ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, REDEMPTIONEM CORPORIS noſtri.* Ubi *redemptionem corporis*, non ſolùm pro reſurrectione literali, ſed ſensû latiore, pro electorum etiam in ſecundo Domini adventu vivorum *reſtitutione* in integritatem, debere accipi, jam in *Clavi* (i) *Prophet.* (ſub Regula *Reſtitutionem omnium*

P 2 futu-

(h) *Rom. 8. v. 23.* (i) *Pag. 296.*

futuram tradente,) docui. Sic ergo ad hanc *redemptionem* omnis quidem verè ad Deum conversus, & vivâ fide Christo adhærens jus habet; sed eam tamdiu actû non possidet, quàmdiù hîc tum à propriæ carnis corruptione infestatur, tum verò variis hinc inde aliis adversitatibus premitur.

VIII. (2.) Alterum *bonum*, (scil. tanquam medium ad *redemptionem* obtinendam,) est ipsa (k) *Justificatio* (sanctificationem in se includens,) in dies ita perficienda, ut ne vel minimum regnum & venenum possit in nobis peccatum habere: ut sic, *pacem* cum *Deo* nostro ita sentiamus, (juxta Rom. 5. v. 1.) ut simul etiam dicere queamus illud (plenô verborum sensû) cum Apostolo: *Vivo autem jam non ego; vivit verò in me Christus.* &c. Gal. 2. v. 20. Qui sic sunt *justificati*, seu dicam, *justi* effecti, eos certò certiùs sequetur (suô tempore) plena actualis *redemptionis* obtentio, & per consequens (in anima & corpore) *glorificatio*. Rom. 8. v. 30.

IX. (3. Tertium *bonum* huc spectans est ipsa nutritio nostra Sacramentalis ex *Corpore* & *Sanguine* Domini; seu, (stylô S. Ecclesiæ & SS. Patrum,) ex ipso *Sacrificio Corporis*

(k) *Rom. 5. v. v. 18. 19.*

ris & *Sanguinis* ejuſdem. Apprimè ſanè huc quadrat hæc myſtica nutritio pro re ſignificata veterum *ſacrificiorum*, quatenùs in iis quoque erat nutritio quædam typica. *Sacrificia* enim ſolennia ſemper ſolebant aliquod ſacrificantium *convivium* (cum lætitia) ſibi conjunctum habere. Etſi enim ex illis, quæ holocauſta (integrè nempe igne conſumenda) dicebantur, nulla portio pro *convivio* ſacrificantium ceſſit; erant tamen in ſolennitatibus alia ſacrificia & oblationes unà cum holocauſtis, ex quibus ſuas portiones habebant Sacerdotes ſeorſim, item Levitæ, aliique ſacri Miniſtri, & populus ſeorſim. Vide Deut. 12. v. 11. 12. & 14. v. 23. & præcipuè cap. 16. ibid. v. 11. 14. 15. & 1. Reg. (al. 1. Sam.) 9. v. 13. 22. 23. 24. (collat. ibid. c. 2. v. 12. 13. 14. 15. 16.) & 2. Reg. (al. 2. Sam.) 6. v. 17. 19. & 2. Paral. 30. v. 22. 23. 24. 25. & cap. 35. ibid. v. 7. 8. 9. 13. 14. 15. & 1. Esdr. 6. v. 19. 21. 22. & 2. Esdr. 8. v. 1. 2. 10. 12. Adjunge hîc Exod. 18. v. 12. & 24. v. 11. collat. v. 5. ibid. Conſule hîc etiam *Joſephum*, Antiquit. lib. 3. cap. 10. Ad hujusmodi typicum ſacrificantium *convivium* reſpexit S. *Paulus* 1. Cor. 10. v. 18. in verbis illis: *Videte Iſraël ſecundùm carnem: Nonne qui EDUNT HOSTIAS, participes ſunt altaris?* Imò & Gentili-

tilibus in more fuit vesci ex *sacrificiis*, & eorum occasione epulari. Vide Num. 25. v. 2. collat. Psal. 105. (al. 106.) v. 28. & excute benè ea, quæ habet Apostolus, cit. 1. Cor. 10. v. 19. 20. 21. Hæc ostendunt, quàm congruè ad significata veterum *Sacrificiorum* referatur hîc Venerab. Sacramentum *Corporis* & *Sanguinis* Domini, & ipsa *Nutritio* nostra per illud Sacramentum. Est autem *nutritio* illa (juxta intentionem Domini) non solùm animæ, sed & corporis nostri, non quidem carnali & terrenò modò, sed spirituali, sublimi & cœlesti; quatenùs *nutritio* sive sustentatio illa etiam à parte corporis, in æternam nostram salutem est ordinata. (Loquor autem de utentibus dignè illô Sacramentô.) Uti enim Christus Dominus morte suâ, non solùm animam, sed & corpus nostrum redemit à morte æternâ; sic ipsum quoque Sacramentum mortis suæ memoriam nobis suggerens, non solùm in animæ, sed & in corporis nostri *nutritionem* supernaturalem, refectionem & incolumitatem est destinatum. (Quàm hoc sit scitû necessarium, & quò ista assertio tendat, sequentia docebunt.) Unde quà corpus eô pascitur, eatenùs in sumentibus id dignè est pignus futuræ *resurrectionis* beatæ; aut si qui su-

ſupervixerint in adventum Domini, in iis non ſolùm pignus, ſed & medium erit *reſtitutionis* eorum in integritatem, cum ſuperna & cœleſti demùm beatitudine continuandam.

X. Ut autem hæc aſſertio (quæ multùm hîc facit ad ſcopum noſtrum) tantò fiat nobis clarior & munitior, operæ pretium eſt, ut Venerandæ Antiquitatis & S. Eccleſiæ Catholicæ doctrinam ea de re, in antiquiſſimis quibuſdam *orationibus* expreſſam audiamus. Sic legitur de hoc Sacramento in Codice *Sacramentorum Rom. Eccleſiæ*, ex antiquo MS. per R. D. Thomaſium *Romæ* an. D. 1680 edito: (*l*) *Concede Domine, ut perceptum Novi Sacramenti myſterium, & CORPORE ſentiamus, & mente.* Item, tum in eodem Codice, (pag. 192.) tum in *Miſſali Romano* (Dom. XI. poſt Pentec.) habetur ſic: *Sentiamus, quæſumus Domine, tui perceptione Sacramenti, ſubſidium mentis & CORPORIS; ut in utroque ſalvati, cœleſtis remedii plenitudine gloriemur.* Item in cit. Cod. (p. 193.) & in *Miſſal. Rom.* (Dom. XV. poſt Pentec.) poſt communionem: *Mentes noſtras & CORPORA poſſideat, quæſumus Domine, doni cœleſtis operatio*, &c. Item in eodem Codice; (pag. 90. & 194.) *Purifica Domine quæſumus, mentes noſtras*

(*l*) Cod. Sacr. R. E. Pag. 73.

ſtras benignus, & renova cæleſtibus Sacramentis; ut conſequenter, & CORPORUM præſens pariter & futurum capiamus auxilium. Item: (m) *Suſcipe, quæſumus Domine, hoſtias redemptionis humanæ, & ſalutem nobis mentis & CORPORIS operare placatus.* Item: (n) *Sumpti ſacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non relinquat; & NOXIA ſemper à nobis CUNCTA depellat.* Scilicet & ea, quæ *corpori* ſunt *noxia*. Ita etiam in Canone Miſſæ, per *incolumitatem*, tum animæ tum corporis *incolumitas* intelligitur verbis illis: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, hoc ſacrificium laudis, - - pro redemtione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & INCOLUMITATIS ſuæ.* Pariter & ſub *omni benedictione cæleſti* ibidem, *corporis* etiam *incolumitas* includitur. Sed expreſſiùs etiam habemus pro noſtra aſſertione in *Miſſali Gothico* per dictum D. *Thomaſium* edito, ubi ſic oratur: (o) *Sit nobis Domine, quæſumus, MEDICINA MENTIS & CORPORIS, quod de ſancti Altaris tui benedictione percipimus; ut nullis adverſitatibus opprimamur, qui tanti remedii participatione munimur.* Item: (p) *Reſpice ad hanc oblationem Omnipotens Deus, quam tibi offerimus in honorem nominis tui, - - & præſta, ut qui ex ea*

(m) *Cit. Cod. pag.* 89. & 202. (n) *Ibid. p.* 207. & Miſſal. *Rom. fer.* 6. *poſt Dom. Paſs.* (o) Miſſal. *Gothic. ed. Rom. an.* 1680. *pag.* 269. (p) *Ibid. p.* 337.

ea ſumſerint, accipiant SANITATEM MENTIS, INTEGRITATEM CORPORIS.&c. Ita & *Miſſale* Romanum: (*q*) *Proficiat nobis ad ſalutem CORPORIS & ANIMÆ, Domine Deus noſter, hujus Sacramenti ſuſceptio.* Item: (*r*) *Sit nobis Domine, REPARATIO MENTIS & CORPORIS cæleſte myſterium; ut cujus exequimur cultum, ſentiamus effectum, per Dominum.* Hæc ſanè verba (& ſimilia) S. Eccleſiæ ita ſunt precatoria, ut ſimul etiam ſint prophetica, de reparatione ſeu reſtitutione *mentium* & *corporum* electorum à variis miſeriis & adverſitatibus ultimô tempore futura. Impoſſibile enim eſt, ut *orationes* Eccleſiæ Dei tam antiquæ & tam perſeverantes ſint fruſtraneæ. Nec poteſt hîc eſſe ulla exceptio idonea, contra tam perſpicua verba. Huc faciunt etiam ſequentia: (*ſ*) *Hæc hoſtia, - - ſubditorum tibi CORPORA menteſque ſanctificet.* Item: (*s*) *Hujus ſacrificii munus oblatum, fragilitatem noſtram ab omni malo purget ſemper, & muniat.* Item: (*t*) *Oblatum tibi Domine, ſacrificium, VIVIFICET nos ſemper, & muniat.* Item: *Sancta tua nos, Domine, ſumpta*

(*q*) Miſſa *votiv. de S. Trinit. pag.* (*mihi*) 45. (*r*) Miſſal. *Rom. Dominic. 8. poſt Pent. pag.* (*mihi*) 310. (*ſ*) Miſſ. Rom. *Dom. in Quinquageſ. p.* (*mihi*) 58. & 118. & 346. (*s*) *Ibid. Sabb. poſt Dom. 3. Quadrág. Fer 2. poſt Dom. 4. in Quadr. pag.* 50. *p.* 116. & *p.* 56. (*t*) *Cit.* Sacram. Rom. Eccl. *pag.* 212.

pta VIVIFICENT. Item: (u) *Hæc nos oblatio Deus, mundet quæsumus, & RENOVET.* Item: *Ab omni nos, quæsumus Domine, vetustate purgatos, Sacramenti tui veneranda perceptio, in NOVAM transferat CREATURAM.* Item: (v) *Domine Deus noster, qui in his potiùs creaturis, quas ad fragilitatis nostræ subsidium condidisti, tuo quoque Nomini munera jussisti dicanda constitui; tribue quæsumus, ut & vitæ nobis PRÆSENTIS auxilium, & æternitatis efficiant Sacramentum.* Item: (x) *Sumptum - - Venerabile Sacramentum, & PRÆSENTIS vitæ subsidiis nos foveat, & æternæ.* Item: (y) *Tua Sacramenta nos, Deus, circumtegant, & REFORMENT; simulque nobis TEMPORALE remedium conferant, & ÆTERNUM.* Item: (z) *Lætificet nos Domine munus oblatum.* Item: *SUAVITATEM CORPORIS & SANGUINIS DOMINI nostri J. Christi unigeniti Filii tui, nostris infunde pectoribus.*

XI. In his certè, nostrî *renovatio*, *reformatio*, *lætificatio*, & *suavitas*, quæ Venerabili Sacramento Eucharistiæ tribuuntur, non minùs *corpus* nostrum, quàm *animam* concernunt, & sensû suô eodem tendunt, quò supe-

(u) Miss. Rom. *Dom. 6. post Epiph. p.* 51. *Fer. 4. post Pasch. p. 252. Conf. Fer. 2. maj. Hebd. p.* 158. Hæc sacrificia &c. (v) *Ibid. fer. 5. post Dom. Pass. p.* 138. & *Lib. 1. Sacram. Rom. Eccl. p.* 116. (x) *Ibid. cit. p.* 116. (y) *Sacr. Rom. Eccl. p.* 202. (z) Missal. Rom. *d. 18 Jan.*

ſuperiora dicta, in quibus expreſſam *corporis*, vel *corporum* mentionem audivimus. Et ſignanter ipſa mentio *præſentis vitæ ſubſidiorum*, & *temporalis remedii* eò ſpectat, ut tam in *corpore*, quàm in *anima* in his terris per hoc Sacramentum reformemur & reſtauremur, liberati ab omnibus Diaboli laqueis, (quibus & in anima & in corpore ob utriusque corruptelas vehementer impedimur in rebus Divinis,) ut tandem expeditiſſimè in his etiam terris ſerviamus Deo noſtro. Quod non priùs, quàm ultimis temporibus fiet; juxta Apoc. 7. v. 15. 16. 17. Tunc ſanè ipsô experimentô patebit, rectè ſcopum Domini per doctrinam S. Eccleſiæ in allatis (& ſimilibus) *orationibus* involutam, in inſtitutione hujus Sacramenti eſſe nobis expreſſum. Ad hoc nempe id eſſe inſtitutum, ut cum admirandæ & planè ſingularis *ſuavitatis* ac dulcedinis internæ (omnes mundi delicias immensô intervallô ſuperantis) ſensû, animas & corpora noſtra paſcat in vitam æternam; & quidem ultimis temporibus tanta cum recreatione ex eo accipienda, ut electi digniſſimô ejuſdem usû, in dies tam in corpore, quàm in anima *reſtituantur* in ſtatum *integritatis*. Tunc enim alia etiam noſtra

ali-

alimenta ita Dominus suâ benedictione cœlesti ditabit, ut nihil prorsùs noxii (ut hactenùs,) nihilque de maledictione pristina, (quâ (a) *terræ*, & per consequens terrenis alimentis, ob peccatum *maledixerat*) in se habeant, sed sint & illa in statum integerrimum ac optimum restituta, ac per hoc electis Dei aptissima ad eos felicissimè nutriendos & conservandos, juxta illud *Psalmistæ* ex Hebræo translatum: (b) *Escæ ejus* (nempe *Sionis* mysticæ) *benedicendo benedicam*; ut vertit *Pagninus*. Atque etiam LXX. à principio habuerunt hîc θήραν, *venationem* (seu venatione captum *edulium*) significantem; quam vocem *Symmachus* & *Aquila*, *cibaria* interpretati sunt; teste erudito & antiquo Commentatore in *Psalmos* (in cit. (c) vers.) inter opera S. *Hieronymi*, & sub nomine ejusdem. De voce etiam χήρα, *viduam* significante, ut quidam Codices Græci hîc habebant, videat Lector apud eundem. Non ignoro, spiritualem hîc primariò intelligi *escam*, sed & hoc probè teneo, quòd & corporalis *esca* secundariò includatur; eò quòd verba optimè hîc literalem etiam sensum admittunt. Tunc fiet,

(a) *Gen.* 3: *v.* 17. (b) *Psal.* 132. *juxta Hebr. v.* 15.
(c) *Vide proximè in marg.*

fiet, ut illæ *orationes* (d) S. Ecclesiæ, quæ in *benedictione* diversorum eduliorum (verbis in scopum nostrum valde quadrantibus) adhibentur, plenissimè exaudiantur. Si tam larga tunc *benedictio* aderit vulgaribus etiam nostris alimentis; quantò magis sublimi huic & cœlesti (de quo loquimur) alimento Sacramentali? quod sanè tunc ad sensibilem efficaciam & effectum, omnibus eô dignè usuris plenissimum erit Spiritû Christi vivificante & ex corruptelis restaurante. Sic sentire, non solùm cum *orationibus* S. Ecclesiæ supra allatis, sed & cum sublimiori sensu versuum aliquot Joan. cap. 6. apprimè concordat.

XII. Quòd autem hactenùs, non in tanta plenitudine, de quanta jam diximus, sed potiùs in primitiis tantùm quibusdam, senserunt fideles (communiter saltem) suavissimam illam *nutritionem* & conservationem ab omni corruptione, quam præstare suo tempore (dignè utentibus,) Venerabilis Sacramenti Eucharistiæ esse, superiora (e) docent; causa hujus rei est, tum

(d) *Vide eas in fine* Missalis Rom. *ibi* : Domine JEsu Christe *&c. Item* : Domine sancte Pater. *&c. Item* : Benedic *&c. Et rursus* : Benedic. *pag.* (*mihi*) 108. *collatis ibid. paulò ante*, *istis* : Deus, qui *&c. Et* : Subveniat *&c.* (e) *S. X. hôc cap. pag.* 231. 232. 233.

tum quòd placuit Deo tanti boni plenã exhibitionem in ultimum tempus differre; (quod vel ex nostro textu principali, Hos. 3. v. 5. in verbis illis, *pavebunt - - ad BONUM DOMINI, in NOVISSIMO dierum*, (h. e. ultimo tempore,) discere possumus;) tum etiam, quia peccata Christianorum ingentia dilationem plenioris *boni* illius meruerunt; quod etiam ex S. *Pauli* verbis colligere possumus; quibus docet, ob indignè sumptum hoc Ven. Sacramentum, *multos* fidelium Corinthiorum fuisse *infirmos* & *imbecilles* ipsius tempore, ac *multos* etiam *dormiisse*, hoc est, morte obiisse: 1. Cor. 11. v. 29. 30. Si illo quoque tempore *multi* fuêre *indignè* de hoc sacro convivio participantes, ac ideò locô jucundissimi effectûs hujus Sacramenti, severô Dei *judiciô* castigati & puniti; quantò magis lapsû deinde seculorum (augescente in dies hominum (*f*) *iniquitate*, & *refrigescente charitate*,) plùs & plùs crevit multitudo ac malitia talium indignorum? Plenæ sunt voces piorum Doctorum querelis contra crescentem in dies hominum Christianorum malitiam & ingratitudinem fusis. Jam certè S. *Cyprianus* circa an. D. 250. in hanc debuit erumpere querelam: (*g*) *In Dei timore, in lege*

(*f*) *Juxta Matth. 24. v. 12.* (*g*) *De Unitate Eccl. n. 11.*

lege justitiæ, in dilectione, in opere fides nulla est. Nemo futurorum metum cogitat &c. Et alibi: (*b*) *Dominus probari* (inquit) *familiam suam voluit; & quia traditam nobis disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, & pene dixerim dormientem, censura cœlestis erexit. - - Studebant augendo patrimonio singuli; - - & insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus religio devota, non in Ministris fides integra; non in operibus misericordia; non in moribus disciplina. Ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes; circumveniendis fratribus subdolæ voluntates.* Lege plura hujusmodi ibidem: ubi aliquantò infra, conqueritur etiam de *multitudine* impœnitentium sui temporis, atque ideò horrendè divinitùs punitorum. Quid diceret Sanctus ille Doctor, si sequentibus deinde aliquot seculis, ac præsertim hôc nostrô ævô tot peccatis gravissimis onusto vixisset, aut viveret; præsertim cùm & ipse ex Scriptura S. (*i*) edoctus prædixerit, (*k*) *deficiente Mundo, atque appropinquante Antichristo, bona quæque deficere, mala verò & adversa proficere?* Non est ergo mirum, quòd Deus plenioris enarrati *boni* Eucharistici adductionem hacte-

(*b*) *De Lapsis n.* 2. (*i*) *Matth.* 24. *v.* 12. 2. *Tim.* 3. *v.* 1. 2. 3. 4. 5. 2 *Pet.* 2. *v.* 1. 2. 4. & 2. *Pet.* 3. *v.* 3. (*k*) S. Cyprianus *Epist.* 68. *ad Cler. & Pleb. in Hispan. n.* 4.

hactenùs distulerit. Non tamen ita differet, quin id certissimè suo tempore adducturus sit. Obiter autem hîc Lectori insinuo, ut pro pleniori proximis aliquot paragraphis dictorum luce, consulat doctrinam futuræ *Restitutionis omnium* per os *omnium SS. Prophetarum* annunciatæ, explicatam in *Clavi* mea *Prophet.* pag. 254. 255. & seq. usque ad pag. 302.

XIII. Atque ex his jam videmus, quàm magnum & multum adhuc de veteri *sacrificio*, quà significatum ejus *Christum* ut nostrum in Venerabili Sacramento *alimentum* respiciebat, restat adhuc implendum, quantū ad plenitudinem jucundissimi fructûs illius Sacramenti nobis applicandi. Hæc de significato veteris *Sacrificii*, quà primariò *Christum* Dominum unà cum *bonis* per eum partis adumbrabat.

XIV. Idem verò *Sacrificium* typicum *secundariò* adumbravit unumquemq; *Sanctum* Novi Testam. quatenùs *Christum* in se manentem habet vel habuit, quà instar *Christi* se totum Deo per ardorem Spiritûs offert; idque implet, quod monet Apostolus, ad Rom. 12. v. 1. *Obsecro, - - ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Huc facit

cit & illud S. Augustini: (*l*) *Hujus*, nempe Dei, *præclarissimum atque optimum sacrificium ipsi sumus.* Et istud ejusdem: (*m*) *Hostiæ illæ veteris Legis, quæ de pecoribus immaculatis, ac sine ullo prorsùs vitio jubebantur offerri, significabant homines SANCTOS.* Quia verò tales *Sancti*, maximè ultimò tempore futuri sunt, (qui toti plenissimi erunt Christo,) ut vel ex ipso S. *Augustino* (*n*) clarum est, & S. *Hippolytus* (*o*) Martyr disertè docet, quòd Sancti illi ultimi temporis, qui nempe cum *Antichristo* pugnaturi sunt, *prioribus* etiam (seu antiquis) *Martyribus illustriores & sublimiores* erunt; ideò etiam hac in parte significatum typicorum illorum *sacrificiorum* pleniùs ac potissimùm dicto tempore ultimo implebitur. Hinc jam etiam *orationes*, *laudes*, *gratiarum actiones*, & alia *pia* opera *Sanctorum* propter *Christum* in iis habitantem, pariter *sacrificii* spiritualis nomine veniunt in Scriptura sacra: ut videre est, Psal. 140. (al. 141.) v. 2. & 49. (al. 50.) v. 23. (collat. Psal. 106. (al. 107.) v. 22.) & 50. (al. 51.) v. 19. 21. & 4. v. 6. item; Mal. 3. v. 3. 4. & Hebr. 13. v. 15. 16. & 1. Pet. 2. v. 5.

Q Et

(*l*) *Lib. 19. de Civit. Dei, cap. 23.* (*m*) *Lib. 20. de Civit. Dei, cap. 26.* (*n*) *Vide ejus testimonia huc facientia in* Clavi *mea* Prophet. *pag.* 180. 316. 317. *&* 341. (*o*) *Vide ejus Oration. de* Consummat. Mund. *& proximè in* Clavi *mea* Prophet. *p.* 180.

Et quoniam ipsi *Sancti*,(†) à quibus ista proficiscuntur, longè excellentiores erunt in sanctitate ultimo tempore, ac inhabitatione & virtute Christi pleniores, quàm hactenùs fuerunt; ut ex antè dictis patet; ideò etiam memorata illa *sacrificia* spiritualia, longè puriora & perfectiora erunt ultimo tempore, quàm fuêre hactenùs: quod clarum est ex cit. Mal. 3. v. 3. 4. collatâ S. *Hieronymi* & S. *Augustini* expositione, jam alibi (*p*) à me relatâ. Hæc de voce *Sacrificii*, ejusque spirituali sensu hucusque satis.

XV. Sequitur jam in *Quæstione* proposita phrasis ista, *sine altari*, de spirituali sua significatione excutienda: ad quam investigandam, præmittendum hîc est, quòd vox Hebræa מצבה (*Matztzebah*) in nostro textu (Hos. 3.) occurrens, propriè quidem significat *statuam*, vel *monumentum* aliquod, seu *titulum* memoriæ causâ erectum sive statutum: uti solent esse *columnæ* quædam, inprimis lapideæ. *Statuam* Lege Dei Hebræis olim prohibitam significat, v. gr. Exod. 23. v. 24. & cap. 34. v. 13. Lev. 26. v. 1. Deut. 7. v. 5. & 12. v. 3. & 16. v. 22. item 3. (al. 1.) Reg. 14. v. 23. & 4. Reg. 3. v. 2. & 10. v. 26. & 17. v. 10. & 23. v. 14. & 2. Paral. 31. v.

(†) *Dum de his in communi loquimur, hoc nihil præjudicat extraordinariis quibusdam olim* Sanctis. (*p*) Clav. Proph. *pag.* 315. 316. & 317.

31. v. 1. item Jerem. 43. v. 13. Ezech. 26. v. 11. & Mich. 5. v. 12. Pro *columna* autem memoriali seu *monumento, titulo* ac *cippo*, (scil. in sensu olim quoque licito;) accipitur eadem vox *Matztzebah* (quæ & *Matztzebeth* nonnunquam dicitur;) in sequentibus: v. gr. Gen. 28. v. 18. (q) *Jacob* - - *tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in TITULUM*, (seu *monumentum*,) dum nempe fratrem fugiens venit in Mesopotamiam. Item, Gen. 31. v. 45. 51. 52. (ubi de *titulo* seu *monumento* fœderis inter *Labanem* & *Jacobum*,) & 35. v. 14. 20. (ubi in utroque versu cum *Matztzeba* est etiam *Matztzebeth*.) Et Exodi 24. v. 4. (ubi 12. *tituli* seu *columnæ* lapideæ pro 12. tribubus Israëlis erectæ.) Item, 2. Reg. (al. 2. Sam.) 18. v. 18. (Hîc quoque est *Matztzebeth* eodem sensu quo *Matztzebah*, Absalomi *columnam* seu *monumentum* ac *titulum* in vita sibi positum significans.) Item Isa. 19. v. 19. (ubi de *titulo Domini* seu *monumento juxta terminum Ægypti* futuro est mentio.) In omnibus autem his & illis locis (exceptis Exod. 24. v. 4. Jerem. 43. v. 13. & Ezech. 26. v. 11.) in Græc. LXX. est στήλη, (nunc in singul. nunc in plur.) *monumentum, titulum, cippum, lapidem* memoriæ causâ *erectum*, vel

(q) *Confer hîc Gen. 31. v. 13.*

columnam, & nonnunquam etiam *statuam* significans. In exceptis etiam locis, quantum ad rem, non est differentia à frequentiori dictæ vocis translatione. (Omitto hîc studiô locum haud in præsentem scopum facientem, Isa. 6. v. 13. ubi *Matztzebeth*, etsi non *titulum* vel *columnam*, rem tamen his quodam modô cognatam, scilicet rem *fixe stantem*, seu *persistentem*, ut est, quod terræ firmiter infigitur, significat.)

XVI. His præmissis dico; quòd etsi magis propria & nativa dictæ vocis *Matztzebah* significatio illa sit, quæ in allegatis locis legitur; rectè tamen quantum ad rem & principalem Spiritûs S. scopum, vox eadem in nostro textu (Hos. 3. v. 4.) vertitur per *τὸ altare*. Nihil enim aliud apud Judæos in omnibus eorum structuris typicis (in Templo nempe vel Tabernaculo) erat tam congruum, quod instar cujusdam *monumenti* lapidei (seu *τȣ̃ Matztzebah*) considerari hîc posset, quàm ipsum *altare*: eò quòd etiam *monumenta* quædam (seu *cippi* memoriales) solebant olim fieri(ut & hodie non raró fit,) ad similitudinẽ cujusdam tumuli lapidum congestorum. Hinc est, quòd etiam *monumentum* seu signum ac titulum à *Jacobo* Patriarcha (Gen. 28.) erectum, celeberrimus Judæorum Historicus Flav.

Flav. *Josephus* (è genere Sacerdotali) censet, non ex uno tantùm, (tametsi unus fuit præcipuus,) sed ex pluribus lapidibus (tanquam struem seu tumulum aliquem) constitisse. Disertè enim sic de eo scribit: (r) Φαιδρύνει τε τὰς λίθους, h. e. *splendidos reddit* (seu ungit) *LAPIDES.* Scribit etiam de *titulo* memoriali (cujus jam (ſ) meminimus) fœderis inter *Labanem* & *Jacobum* initi, hoc modo: (s) στήλην ἀνέθεσαν κατὰ βωμοῦ σχῆμα. h. e. *columnam erexerunt ALTARIS specie.* Ubi videtur ipse existimare, quasi *monumentum* fœderis, cujus est mentio cit. supra Gen. c. 31. v. 45 51. 52. idem esset cum *tumulo* per eosdem tunc ex *lapidibus* congesto, de quo agitur ibid v. 46. 47. 48. tametsi Scriptura S. manifestè distinguit *titulum* seu *monumentum* ibid. à *tumulo* illo; ut patet v. 51. & 52. quæ inter se sic concilianda sunt: quòd ipse *lapis* pro *titulo* seu monumento (sive *columna*) erectus, immediatè conjunctus fuerit *tumuli* extremo, tanquam pars ejus: unde totus ille *tumulus* unà cum *columna* seu *cippo* memoriali habitus est apud Judæos pro uno *monumento* seu *titulo* fœderis initi. Quod sufficit in scopum nostrum, ad habendum inde lumen ad hoc, ut *Matztzeba* rectè possit significare *altare* in nostro textu.

XVII.

(r) Jos. *Antiq. L. 1. c. 19.* (ſ) *S. 15. b. c.* (s) *cit. L. & cap.* Jos.

XVII. Deinde, quid aliud fuit *Altare* per *Rubenitas*, *Gaditas* & dimidiam tribum *Manasse*, juxta Jordanem quondam exstructum, (Jos. 22. v. 10. 22. 27. 28.) quàm *signum* & *monumentum* quoddam eorundem cognationis & necessitudinis cum aliis tribubus, quæ transierant Jordanem? ut disertè patet, tum ex sacro textu, (ubi *in testimonium* esse dicitur,) tum ex *Josepho*. (*t*) Atque sic, quantum ad rem, rectè poterat & illud dici *Matztzeba*, (h. e. *titulus*, vel *monumentum*,) tametsi expressè illud nomen non est ei datum. Falleretur enim ille, qui putaret (uti D. (*u*) *Spencerus*) signum *Matztzeba* dictum, *unicô* tantùm (*v*) *lapide* semper constitisse. Unde, cùm & *altare* Israëlitarum in Templo vel in Tabernaculo erectum, præter usum sacrificandi in eo, vel adolendi, certô sensû *monumentum* & *signum* quoddam apud eos fuerit, ejus rei, quòd nondum illo stante verum & realiter propitiatorium pro peccatis *sacrificium* aderat, sed restabat per *Christum* peragendum; ideò rectè publicum *altare* eorum dictum est *Matztzebah*, atque sic rectè etiam per Vulgatum

(*t*) *Antiquit. Lib.* 5. *cap.* 1. (*al. cap.* 4.) (*u*) *Locô mox citandô.* (*v*) *Vide lucem ad hoc apud Corn. à* Lapide (*ex* Brochardo) *Comment. in Gen.* 35. *v.* 20. *de monumento* Rachelis.

gatum Interpretem pro *altari* hîc eſt acceptum. Id requiſivit etiam proximè vicinum in textu *ſacrificii* (jam explicati) vocabulum. Vidit hanc congruentiam olim *Græcus* etiam Interpres; (quem ſecutus eſt *Latinus*;) atque ideò vertit τὸ *Matztzebah*, in noſtro textu, θυσιαςήριον, h. e. *altare*, ſeu *ſacrificatorium*; (in Genit. (†) ut conſtructio Græc. requirebat.) Eò collimavit etiam *Chaldæus*, dum ſic paraphraſticè vocem illam poſuit: *Neque erit* (komta, קמתא,) *EXCELSUM in Samaria.* (Solebant enim olim ut plurimùm in *Excelſis* ædificari *altaria*, præſertim ab idolorum cultoribus.) Alioquî ipſa quoque origo vocis, à rad. יצב, unde הִיצִיב (*Hitzib*,) h. e. *ſtatuit*, *conſtituit*, bene patitur, ut *altare* dicatur aliquando *Matztzebah*. Vide text. Hebr. Gen. 33. v. ult. Rectè animadvertit verſionem hanc ſtare hîc poſſe, etiam *Spencerus*, (vir inter *Proteſtantes* eruditus,) qui ſic hac de re (inter alia) ſcribit: (*x*) *Cùm* ſtatuæ & Altaria *cognatione tam propinquâ jungerentur huic voci* מצבה, *facilè patebat tranſitus à ſenſu nativo ad* altare *ſignificandum. Ideoque LXX. non tantùm cum venia, ſed laude vocem illam per* θυσιαςήριον

(†) *Scil.* ὐδὲ ὄυτος θυσιαςηρίυ. (*x*) Spencer. *de Legib. Hebræor. Ritual. Lib.* 3. *Diſſert.* 7. *cap.* 3. *Sect.* 3. *pag.* (*mihi*) 336.

reddidisse censeantur. Et mox subjicit, *liquidò constare, eos non casu, sed certò consilio vocem illam ita transtulisse, cùm omnes alias, hoc in loco, (†) per vocabula res licitas & veri Dei cultum denotantia reddere non dubitârint.* Lutherus quoque *Vulgatam* in ea voce secutus est (*y*) hîc versionem, dum vertit, ohne Altar/ h. e. *sine altari*; & post eum pariter Hungaricus *Protestantium* Interpres.

XVIII. Hæc plenioris causâ lucis prænoscenda hîc erant pro ulteriùs dicendis; eò quòd literalis sensus est fundamentum spiritualis intelligentiæ. Nunc ergò videamus jam, quid hîc per *Altare* spiritualiter intelligatur.

XIX. Per *Altare* etiam eodem modô, quô per *Sacrificium* typicum, (sed diversô respectû,) *Christus* Dominus, qui scopus primarius est omnium veterum typorum, intelligitur principaliter. *Altare* enim est quod *sanctificat donum*; (Matth. 23. v. 19.) & in *altari* offerebantur quondam omnia sacrificia & munera Deo, in eoque (scil. in *aureo*) fiebat *incensum* sacrum; sic *Christus* Dominus est, qui nos & nostra per suum Spiritum sanctificat, & in quo omnia nostra munera spiritualia, (ut sunt, *preces, laudes, gratiarum actiones*, & alia *pia opera*,) uti & nos

(†) *Scil. Hos. 3. v. 4.* (*y*) *Scil. in Ose. c. 3. v. 4.*

& nos ipsos, offerimus Deo; & ille est, qui omnia illa unà cum personis nostris, virtute meriti sui gratissima & acceptissima coram Patre suo cœlesti facit. Hinc doctissimus *Pannonius* ad verba illa Divinæ Apocalypseos, *Vidi subtùs altare animas* &c. scribit sic: (z) *Christus est ALTARE nostrum, super quo sacrificia nostra Deo sunt offerenda; sub hoc sunt universi pro confessione ejus veritatis occisi.* Et alibi: (a) *Idem ipse est Altare nostrum, qui & Angelus offerens sacrificium.* Item, ad verba illa: *Metire Templum Dei & Altare*, pariter sic docet: (b) *Altarî Christum exhiberi principaliter, supra retulimus; quòd per eum accepta sint Deo omnia nostra dona, & nos; super quem offerimus nos in hostiam vivam, & rationalem Deo, simul opera quoque nostra.* Ex his jam patet, quô respectû est *Christus* spirituale nostrum *Altare.*

XX. Sciendum tamen est, quòd *Christus* Dominus, non solùm in se ac sua persona, sed etiam in suis *Sanctis* excellentioribus, quos pleniori Divinitatis suæ virtute inhabitat, est *Altare* nostrum. Uti enim ipse est principaliter *Lux* nostra; ipse est Summus *Sacerdos*; ipse est immobilis nostra *Pe-*

Q 5 *tra;*

(z) *Collectan. in Apoc.* 6. *v.* 9. *p.* (*mihi*) 148. *Ita & Berengand. ibid. Confer Hebr.* 13. *v.* 10. (a) Pann. *Coll. in Apoc.* 8. *v.* 3. (b) *Collectan. in Apoc.* 11. *v.* 1.

tra; attamen (rectè observante S. *Basilio* (*c*) Magno) alios quoque facit & fecit *Lucem Mundi*, (ut inprimis Apostolos,) item *Sacerdotes*, & *Petram* ac *Lapides* vivos, pretiosos ac fundamentales; sic dedit & dat quibusdam suis *Sanctis* hanc excellentiam, ut sint ipsi (per ipsum in iis habitantem) *Altare* mysticum in Ecclesia. Tales sunt illi, qui ardentissimis suis orationibus, & & aliis piis operibus medii sunt positi (*Christo* Domino sic volente & faciente) inter Deum & alios homines inferioris gradûs; suntque hi in vinculo Spiritûs & sinceræ charitatis inter se compactissimi, & arctissimè uniti, non secùs quàm partes *altaris* erant olim (& nunc quoque solent esse) arctè sibi invicem connexæ & contiguæ, ut nonnisi una res & unum corpus per juncturam extiterint. Hæc excellentia *Sanctis* communicata, in celsiori gradu competit *Sanctis cælitibus*, & beatis, quatenùs *Christo* pleni sunt, & *Christus* agit omnia in illis; (quorum etiam tantæ excellentiæ effectus erga Ecclesiam hîc militantem, longè plenius erit ultimo tempore conspicuus, quàm hactenùs fuit:) post hos autem, & gradû secundariô competit *Sanctis Ecclesiæ* mili-

(*c*) *Hom. 29. de Pœnitent. & proximè in* Antiq. Hung. Relig. *à me edit. pag. 75.*

militantis, (ad quos proximè collimat post Christum Spiritus Dei in nostro textu,) præsertim verò ac potissimùm *Sanctis* ultimi temporis, qui in comparatione præcedentium *Christô* plenissimi futuri sunt, atque etiam *cælitum* Sanctorum Spiritû & virtute induendi, & per hoc toti igne lucidissimo divini fervoris divinæque charitatis arsuri, non secùs ac olim (*d*) in *altari perpetuus ardebat ignis*. Tunc apparebit, quanta sit efficacia *orationis* (*e*) eximiorum hujus vitæ *Sanctorum*, pro diversis populi Dei necessitatibus ardenter orantium; tunc fiet ipsô experimentô manifestum, quantopere Deus in *Christo* acceptat, dum per tales præsentantur ei tum communes, tum privatæ fidelium necessitates. Atque talium *Sanctorum* respectû intelligendum est illud, dum à quibusdam subinde ipsa *Ecclesia* dicitur spirituale nostrum *Altare*: uti hanc locutionem etiam apud citatum (*f*) *Pannonium* invenimus: ut, cùm ait: (*g*) *Altare hoc, Ecclesia est ex Judæis & Gentibus conflata.* Item:

(*d*) *Lev. 6. v. 12, 13*, (*e*) *Vide* Tertull. *de Baptism. num.* 12. Navicula illa (*Matth.* 8.) figuram Ecclesiæ præferebat, Domino per patientiam velut dormiente, donec orationibus SANCTORUM in ULTIMIS suscitatus compescat seculum, & tranquillitatem suis reddat. (*f*) *Proximè citatus est* §. *XIX. hôc cap.* (*g*) *Collectan. in Apoc. 8. v. 3.*

Item : (h) *Altare Christum antea diximus esse; diximus & Ecclesiam ejus.* Et mox : (i) *Ecclesia Altare est; quia profectò Ecclesia justorum, perpetuâ sapientiâ illustratur.* Item : (k) *Quàm justè Altare hoc aureum refert Christum, refert & Ecclesiam ejus: Christum, super quem offerimus, sicut & offerenda sunt, universa sacrificia nostra in odorem suavitatis Deo: Ecclesiam quoque in Christo congregatam, fide unitam, & BENE COMPACTAM, agglutinatam CHARITATE ejus.* (Subintellige, *refert.*) Scilicet (ut jam insinuavi) intuitû magnorum *Sanctorum*, tanquam luminum & columinum *Ecclesiæ*, ipsa quoque *Ecclesia* per Synecdochen *Altare* dicitur, eô modo, quô Definitiones Præsulum Ecclesiæ, sæpissimè *Ecclesiæ* tribuuntur. Alioquî universalis *Ecclesia* in omnibus suis membris considerata, perinde non est *Altare* mysticum, uti olim *Templum* non erat *Altare*; (neque nunc est;) sed hæc inter se multùm distinguuntur, scil. tanquam *Totum* à sua *Parte*, seu *Corpus* integrum, à *corde* intra illud sito, & vice versâ.

XXI. *Sancti* ergo eximii post *Christum* sunt hoc *Altare* mysticum, per eundem *Christum* in iis habitantem; scil. ob ardorem Spiritûs; ob lucentem vividissimè eorum do-

(h) *Idem in Apoc. 9. v. 13. pag.* (*mihi*) 204. (i) *Ibid.* (k) *Ibid.*

doctrinam cœlestem ac pietatem, & ob acceptissimas apud Deum orationes, cum aliis piis operibus ab ipsis proficiscentes; ad quæ omnia requiritur in antecessum arctissima eorundem inter se *unio* ad similitudinem unitarum *altaris* partium; ut superiora (*l*) monstrant: quod juxta plenius & evidentius mysterii *Altaris* implementum non priùs in his terris fiet, quàm ubi magni illi *Sancti* ultimi temporis in Ecclesia aderunt, de quibus subinde jam (*m*) locuti sumus, & de quibus agit etiam *Daniel* cap. 7. v. 18. 21. 22. 25. 27. Atque etiam noster textus, mysterii typicorum nominum in eo memoratorum plenius implementum ad ultimum tempus pertinere insinuat in fine versûs quinti. Sic jam videmus, quantum etiam de *altaris* typici mysterio restet adhuc implendum.

XXII. Ut autem illis quoque aliquatenùs hîc satisfaciam, qui fortè juxta versionem etiam *Pagnini* & aliorum quorundam, vellent hîc de mysterio vocis *Matzizeba*, quà propriè *statuam*, *columnam* memorialem, item *cippum* vel *titulum* significat, aliquid scire; (quandoquidem Scripturæ sacræ ac præsertim Propheticæ phrasium sensus est

(†) la-

(*l*) *S. XX. h. cap. pag. 250.* (*m*) *Vide S LXXII. cap. 1. & hôc cap. S. IV. & XIV. collat. S. XXXII. cap. 3.*

(†) latissimus;) hæc tantùm paucis de significatione illa dico. Quòd in illa dictæ vocis significatione nativa non potuit hîc aliò congruentiùs respici; quàm ad mysterium *tituli*, seu *cippi* ac *monumenti* lapidei à *Jacobo* erecti, cujus supra (*n*) jam est mentio facta ex Gen. cap. 28. v. 18. cui cognatum est *monumentum* illud; de quo prophetavit etiam *Isaias*; loco jam (*o*) citato, cap. 19. v. 19. Quasi nempe dictum fuisset per *Hoseam* Israëlitis: quòd diù multumque futuri essent sine implemento jucundissimo mysterii *tituli* seu *cippi* illius; qui per *Jacobum* patrem ipsorum quondam fuit erectus; & cujus memoria apud ipsos quoq; fuit valde celebris & veneranda; unde etiam habuerunt locum celebrem, *Bethel* (h. e. *Domus Dei*) dictum. Mysterium autem hujus hâc vice (donec cum pleniori rerum eventu plenior lux nobis affulgeat,) sic possum exprimere. *Lapis* ille, quem *Jacob* in *titulum* erexit, *Christum* Dominum Ecclesiæ suæ *lapidem* angularem præfiguravit; ut rectè jam olim SS. *Patres* annotârunt. Hinc illa S. *Cypriani* verba: (*p*) *Hic est lapis in Genesi, quem ponit Jacob ad caput suum; quia Caput viri Christus: - - quem* *La-*

(†) *Vide* Clav. Proph. *p. 56. 57. 58. 59. 68. 69. & 71.*
(*n*) *S. XV. hôc cap. pag. 243.* (*o*) *ibid.* (*p*) Testim. *Lib. adversùs Judæos n. 16.*

Lapidem consecravit & unxit, Sacramento unctionis Christum significans. Sic etiam S. *Hieronymus* de eodem docet: (q) *Super nudam humum nudus & pauper dormivit Jacob, & positâ subter caput LAPIDE, qui in Zacharia septem oculos habere describitur, & in Isaia* (r) *LAPIS dicitur ANGULARIS, vidit scalam,* &c. Et alibi in eundem sensum sic scribit: (ſ) *Qui athleta est Domini, & exercetur ad luctam, & præparat se contra adversarias potestates, dormit in nuda humo, imitans Jacob, & ponit sibi LAPIDEM ad caput, quem reprobaverunt ædificantes,* (s) *& factus est in caput anguli.* Consulat, cui placet, de eodem etiam S. *Augustinum*, Enarr. in Psal. 44. v. 8.

XXIII. Sic jam intelligimus, *Christum* fuisse per *Lapidem* illum præfiguratum. Sed adhuc quæritur: Num *Christus* in se, vel in suis membris consideratus, fuerit per eum præfiguratus? Resp. Quandoquidem *Lapidem* illum in titulum erectum, *Jacob* priùs subter *caput* posuerat, & per hoc *capiti* suo pro fulcro ac cervicali (quietis commodioris causâ) conjunxerat; inde evidens est, non posse hîc *Christum* in sua propria persona intelligi, sed in suis eximiis membris,

(q) *Epist.* 27. *in Eitaphio S.* Paulæ. (r) *Isa.* 28 *v.* 16. (ſ) *Comm. in Amos. c. 6. v.* 4. (s) *Psal.* 117. (*al.* 118.) *v.* 22. *Matth.* 21. *v.* 42. *Luc.* 20. *v.* 17. *& Act.* 4. *v.* 11.

bris, ſcil. in excellentioribus *Sanctis*, quos ille excellentiori modô inhabitat. Nullâ enim ratione vel concipi poteſt, quô modô *Chriſtus* Dominus in ſua perſona *Capiti* alicujus Sancti per eundem Sanctum ſubjici poſſet. Quando ergo *Sancti* viri, *Chriſtum* in ſuo pectore habentes, viſibili Eccleſiæ *Capiti* (ac per hoc ſuo *Capiti*) ſe ſe ſubjiciunt, atque ejuſdem *Capitis* authoritatem, ipsô *Chriſtô* dante ei illam authoritatem, & primatum ejus (in ſe conſideratum) approbante fulciunt, idque propter *Chriſtum* venerantur, tunc myſterium *Lapidis* Jacobæi ſuum accipit implementum. Quia verò ultimis temporibus erunt longè excellentiores *Sancti*, quàm hactenùs fuerunt, ipsô nempe *Chriſtô* pleniſſimi; ut ſubinde (*t*) jam diximus; inprimis *Prædicatores* illi *Sancti*, ac Reformatores, ſeu duo *Teſtes* cum ſuis Sociis, de quibus ſcribit Abbas *Joachim*, (*u*) quòd *Ordo* ille dictorum *Prædicatorum*, *obedientiam & reverentiam exhibebit Capiti*, *Summo Pontifici*; ideò dicti *Lapidis* myſterium (etiam quà in *titulum* erectus eſt, & *oleô* perfuſus) longè pleniùs habebit

(*t*) *Vide cap.* 3. §. 59. 72 *pag.* 166. 167. 191. & *h. cap.* §. 4. 14. & 21. *pag.* 224. 241. & 253. *collat.* §. 32. c. 3. *pag.* 99. (*u*) *Abb.* Joach. *in Jerem.* c. 13. & *proximè in mea* Clavi Prophet. *pag.* 153.

bit dehinc implementum, quàm hactenùs habuit. Iidem verò *Sancti*, aliô etiam sensû, quà (*v*) *caput* aliquando nobiliorem ac directricem hominis partem, scil. *mentem* significat, *caput* suum quodam modô, Christô Dominô, hoc est, certissimâ ejus assistentiâ muniunt contra quælibet adversa. Sed hic sensus per se non sufficit ad expositionem dicti *Lapidis*, verùm cum priori necessariò jungendus est, (ut qui ad eum præ-requiritur,) nec sine eo hîc ponendus. In priori enim longè pleniùs & evidentiùs exprimitur emphasis & scopus typi Jacobæi in *Lapide* & circa *Lapidem*, quàm in solo posteriori. Quando ergò *Sancti* Prædicatores ultimi temporis, ad restaurandum ex tot corruptelis Populum Christianum mittendi, velut abjecti *Lapides* & quasi emortui quidam, ex pulvere ac luto miseriarum à Deo assumentur ad prædictum laborem, & quando Deus per eorum infirmitatem magna & ardua aget in Ecclesia, eosque præcipuos *Lapides vivos* faciet in mystica sua Domo ultimis temporibus restauranda & renovanda, ad quorum imitationem alii etiam fideles reformentur, & ad quos

R in

(*v*) *Vide Psal.* 3. *v.* 4. *ibi*: Exaltans caput meum; & *Psal.* 22. (*al.* 23.) *v.* 5. Impinguâsti in oleo caput meum; & *consule utrobique Enarr. S.* Augustini.

in unitate Spiritûs aggregentur, pro eadem Dei Domo reſtauranda, exornanda & amplianda, (uti olim & *Jacob* plures etiam demùm (in ſuo reditu) collegit *lapides* ad *Titulum lapideum* à ſe priùs erectum, ut inde (*x*) *Altare* Deo fieret, & conſequenter (*y*) *Bethel*, hoc eſt, *Domus Dei*,) tunc patebit pleniſſimè *Lapidis* in *Titulum* à *Jacobo* erecti, ac per conſequens etiam in noſtro textu poſitæ vocis *Matztzebah*, quà *titulum* quoque poteſt ſignificare, myſterium, & myſterii ejuſdem ſignificatum. Hæc de vocis *Matztzebah* utraq; ſignificatione huc uſque ſatis.

XXIV. Sequitur vox *Ephod* in *Quæſtione* propoſita, his ſacri textûs verbis: *Sine Ephod*. Pro ſpirituali hujus *Ephod* ſignificato feliciùs inveſtigando, præmittere debemus literalem ejus ſenſum; quid nempe, & quale veſtimentum *Ephod* fuerit. Sacra Sacerdotalia Hebræorum veſtimenta in totum (†) *octo* fuiſſe, ſcilicet, *feminalia linea, tunicam lineam*, *cingulum* ex byſſo, hyacintho, purpura & cocco contextum, nec non pile-

(*x*) *Gen.* 35. *v.* 6. 7. *collat. v.* 14. *ibid.* (*y*) *Ibid. v.* 15. *collat. Gen.* 28. *v.* 22. (†) *Quod autem* Lyranus *in Exodi* 28. decem ornamenta *Summi Sacerdotis fuiſſe dixit, ideò factum eſt, quia ipſe cingulum* Ephod, *ſeorſim ab eo, &* Laminam *auream diviſim à* Mitra hyacinthina *recenſuit.*

pileum, quæ *quatuor* communia fuêre omnibus Sacerdotibus cum Pontifice; & alia *quatuor* Pontifici propria; videlicet, *Tunicam hyacinthinam* talarem ac rotundam instar *pallii*, *malaque punica* diversi coloris arte facta, & *tintinnabula* alternatim in infima extremitate per circuitum habentem; item *Ephod*, (de quo loquimur) cum peculiari suo *cingulo*; & *Rationale* seu *Pectorale*, quod ipsi *Ephod* seu Superhumerali semper jungendum erat; demùm *Vittam hyacinthinam* super communem *Tiaram* (seu *Pileum*) cũ *Lamina aurea* in fronte medium coronamentum referente, & nomen Tetragrammaton incisum habente, atque hæc isto ordine, quô hîc recensentur, à Pontifice (suis temporibus) induta fuisse, notum est Scripturæ Sacræ, & Antiquitatis venerandæ peritis. Ex his, solùm *Ephod* nominatur in nostro textu, tanquam (cum sibi semper indivulsè jungendo *Rationali*) præcipuum inter omnia vestimenta sacra. Unde est, quòd etiam Spiritus Dei nullum indumentum sacrum tam fusè, & tanta cum accuratione, quàm & quanta ipsum *Ephod* cum suo connexo *Pectorali* descripsit; ut patet Exod. 28. & 39. Atque inde sine dubio factum est, quòd etiam LXX. Interpretes sub *Ephod* synecdochicè omnem

ornatũ Sacerdotalem intelligentes, ipſum *Ephod* in noſtro textu (Hoſ. 3.) pro toto *Sacerdotio* veteri acceperunt, dum *Ephod* voce ἱερατείας expreſſerunt.

XXV. De *Ephod* altiùs rem repetentes, primùm etiam datam ab Hebræo *Joſepho* ejus deſcriptionem in medium producemus, antequam teſtimonium Sancti *Hieronymi* & aliorum de eo videamus. Sic autem ille (poſt præmiſſam quarundam veſtium ſacrarum, inprimis tunicarum duarum, *lineæ* & *hyacinthinæ* deſcriptionem) de dicto *Ephod* ſcribit : (z) Ἐπὶ δὲ τούτοις τρίτον ἐνδύεται, τὸν λεγόμενον ἐφώδην, ἑλληνικῇ δ' ἐπωμίδι προσεοικότα. γίνεται γὰρ τοῦτον τὸν τρόπον· ὑφανθεὶς ἐπὶ βάθος πηχυαῖος ἐκ τε χρωμάτων παντοίων, καὶ χρυσοῦ συμπεποικιλμένου περίπυκτον, τοῦ στέρνου τὸ μέσον καταλιμπάνει, χειρίσιν τε ἠσκημένος, καὶ τῷ παντὶ σχήματι χιτὼν εἶναι πεποιημένος. &c. H. e. *Super hæc* (ſcil. indumenta tunicæ utriusque) *tertiâ etiam induitur* Pontifex veſte, *dictâ Ephode, Græcanicæ Epomidi ſimili. Fit* autem *hoc modo : Ad altitudinem cubitalem ex variis coloribus aurô intermixtô eſt contexta, mediô pectoris* (vacuô) *derelictô, & manicis* ita *aptata,* (ſeu *concinnata* ,) *ut omni formâ tunica eſſe appareat.* Poſtrema hæc ſic Gele-

(z) *Antiquit. Judaic. Lib. 3. cap. 8.*

Gelenius vertit: (*a*) *Ut circa medium pectus lacuna quædam relinquatur, maniculis quoque ita extantibus, ut planè tunica appareat.* Reliqua ſtudiô brevitatis, ponam tantùm juxta *Gelenii*, non tam verba & phraſes, quàm ſenſum hîc ſpectantis verſionem contractam: exceptô eô, ubi lucis causâ textum Græcum, vel ei magis conformem translationem afferre oportebit. *Lacunæ verò* (inquit) *inſeritur fruſtum amplitudine palmi, aurô eiſdemque coloribus, quibus* Ephodes, *variegatum. Id vocatur* Eſſen, *ac ſi dicas,* Rationale: *quod ita quadrat, ut ad amuſſim ſpatium illud circa pectus à texente relictum expleat. Id committitur cum* (*) Ephode *annulis aureis per ſingulos angulos ex oris* (*b*) Ephodis *ac* Eſſenis *extantibus, intercurrente tæniâ hyacinthinâ: & ne quid inter circulos hiet, filô hyacinthinô ſuturam explente. In utroque autem humero ſinguli ſardoniches aurô incluſi, fibularum vice epomidem adnectunt; bis inſculpta ſunt Jacobi filiorum nomina, - - in utroque lapide ſena, ita ut ſeniores dextrum humerum obtineant. Quin &* Eſſenem *ipſum duodecim gemmæ diſtinguunt: - - cui ternæ per ordines quatuor* (*c*) *inſunt conſertæ coronulis aureis, ita ut excidere non poſſent. In primo ordine ſardonyx,*

R 3

(*a*) *Loc. cit.* (*) Gelen. *habet,* cum tunica: *ubi* tunicam *pro* Epomide *accipit.* (*b*) *Hîc quoque* Gelen.. *habet,* tunicæ. (*c*) *Gelen.* inerant.

donyx, topazius, smaragdus: in secundo, carbunculus, jaspis, sapphirus: in tertio lyncurius, amethystus, achates: in quarto, chrysolitus, onyx, beryllus. His (d) *sunt insculpta filiorum Jacobi nomina, quos tribuum authores habemus, ordine quô olim nati fuerant. Cùm autem per se illi, quos diximus annuli sint infirmi, nec possint pondus gemmarum sustinere; alios duos majores in extremitate* Rationalis, *quæ respicit ad collum, eminentes à textura fecerunt, qui suscipiant catenas aureas, opere plexili, venientes per fistulas quasdam ad extremitates humerorum: quarum catenarum summitas ascendens reducitur post tergum, & circulo, qui est à tergo in epomidis* (seu Ephodis) *fimbria, connectitur: id quod præcipuè sustinet* (†) Essenem, *ne quo pacto defluere possit.* Græc. ϗ τȣ̃το ἦν ἀσφάλεια τῷ ἐσσηνῇ, πρὸς τὸ μὴ περιῤῥεῖν. Et statim sequitur: ζώνη δὲ τῷ ἐσσηνῇ προσερράπτο, &c. H. e. *Zona autem est Esseni* (seu Rationali) *assuta, jam dictis coloribus & auro distincta; quæ totum* (indumentum) *complexa, rursumque supra suturam nodata, deorsum propendere finitur. Omnes autem fimbriæ* (ipsius zonæ) *quibusdam oris fistulosis utrinque includuntur.* Hæc ille.

XXVI. Ista τȣ̃ *Ephod* apud *Josephum* descriptio, quantum ad *manicarum* mentionem,

(d) *Gelen.* erant. (†) *Ita in textu Græc. ut videmus; non autem* Ephodem, *ut per oblivionem vertit* Gelen.

nem, eò perduxit eruditos quosdam magni nominis, (v. gr. Cornel. à (*e*) *Lapide*, (*f*) *Riberam*, (*g*) aliosque,) ut persuasum sibi haberent, ipsum *Ephod* reverà jam à principio ad mentem Legis Mosaicæ habuisse *manicas* propriè dictas: cùm tamen sacer textus ex *Hebræo* ritè excussus opinionem illam prorsus non videatur permittere; neq; etiam *Græcus* (imò nec *Latinus* Vulg.) Interpres illi faveat, sed contrarium potiùs uterque vî bonæ consequentiæ monstret; ut infra (h) videbimus. *Josephi* textum de *manicis* quod attinet: Posset fortè quispiam hîc primò intuitû sic existimare, (uti & ego priùs putabam,) quasi ipse verbis illis, χειρίσιν τε ἠσκημένος, *& manicis adaptata*, hoc tantùm vellet indicare, quòd vestis *Ephod* in radice brachiorum ita fuerit *manicis tunicæ* (v. gr. *lineæ*) *adaptata*, seu conformata, ut intuentibus, (præsertim eminùs) videretur ex se habere *manicas*. Sed huic opinioni, seu conjecturæ prorsùs obstat: (1.) Quia sic non habuisset *Ephod* formam illam, quam *Josephus* ei attribuit; quasi nempe propter *manicas tunicæ formam* ac similitudinem habuisset.

R 4

(*e*) *Comment. in Exod* 28. *v.* 6. (*f*) Rib. *de Templ. Lib.* 3. *cap.* 10. (*g*) *Vide &* Salian *Annal. Vet. Test. ad an. Mund.* 2544. *n.* 519. (*h*) §. *XXVIII. h. cap.*

ſet. Color enim longè diverſus, textu-raque diverſa *tunicæ lineæ* (ut & alterius, nempe *hyacinthinæ*) atque ipſius *Ephod*, protinùs unicuique oculato monſtrâſſet, non *manicas Ephodis* eas eſſe, ſed *tunicæ*, (ſcil. *lineæ*,) ac proinde non poſſe eam *tunicæ* manicatæ *omni ſuâ formâ* aſſimilari. (2.) Quia ipſa etiam magis propria ac nativa vis verbi Græci (ab ἀσκεύομαι orti) aliam requirit ſignificationem, quàm conjectura illa ſecum ferret; ita ut, non *Dativi* casûs Latinorum, ſed *Ablativi* locô ſit hîc vox χειρίσιν, h. e. *manicis*. Unde ſic genuinè transferri debet: *Et manicis ornata*, ſeu *concinnata*. Miſsâ ergò memoratâ conjecturâ, ſtat verum, hoc ſenſiſſe *Joſephum*, quòd *Ephodes* ab ipſo deſcripta propriè *manicata* fuerit inſtar cujuſdam *tunicula manicatæ*. Sed inde non ſequitur, primitùs etiam inde à temporibus Moſis *Ephodem* talem fuiſſe: ut ex ſequentibus jam patebit.

XXVII. Dico itaque ad textum *Joſephi*; quòd ipſe *Ephodem manicatam* deſcribens, nequaquam erexit altiùs mentis oculos uſque ad tempora *Moſis*, ſed contentus eſt deſcribere eam, qualis citerioribus jam temporibus fuit, & propiùs, qualem ipſe ſuô ævô eam fuiſſe oculis expertus eſt. Scilicet, eſt valde probabile, quòd jam ante ipſius

ipsius quoque tempora majores Judæorum cœperunt loca exerendarum manuum in *Ephod* (seu in ambobus ejus humeralibus ab antè & retrò) ita conformare, radicibusque brachiorum ita adaptare, ut adaptatio illa dictis radicibus circulari quâdam (vel potiùs geminâ utrinque semicirculari) formâ responderit, (qualis adaptatio poterat fieri salvô sacrô textû, etiam inde à temporibus *Mosis*,) atq; inde talis adaptatio paulatim apud posteros *manicarum* appellatione venit, eôdẽ modô, quô adaptationes similes, (vel paulò tantùm longiores) in lateribus *tunicæ* hyacinthinæ (ad radices brachiorum) S. *Hieronymus* vocat (*i*) *manicas*; cùm tamen tunica illa (*Meil* dicta) juxta *Josephum* etiam nullas habuerit propriè dictas *manicas*, quæ nempe brachia & crura manuum obtexissent. *Scissam* (*k*) enim tantùm fuisse refert eâ parte, *quâ manus exerebantur*. Cum tempore demùm augescentibus in dies Seniorum apud Judæos traditionibus, vetus illa exerendarum in *Ephode* manuum adaptatio seu conformatio, quantitate assutæ vel attextæ utrinque particulæ ita vicibus diversis in longum adaucta est, ut *Ephod* jam ævô *Josephi*, ac circa illud, suis

R 5 *mani-*

(*i*) *Epist.* 128. *ad* Fabiol. (*k*) *Antiquit. Lib.* 3. *c.* 8.

manicis tuniculæ cujusdam formam referret. Sed ut aliunde colligi poteſt, videtur tunc quoque *manicas Ephod*, manicis *tunicarum* ordinariis ac longioribus, non prorsùs æquales longitudine fuiſſe. Nam ut *Philo* vocat *Ephodem* (*l*) ὕφασμα θωρακοειδὲς, *texturam thoracis formâ præditam*, ſic ipſe quoque *Joſephus* alibi ſcribit de eâdem, quòd ea (*m*) σχῆμα ἐνδυτοῦ θώρακος εἶχεν, *formam indumenti THORACIS habuerit*. At certè *thorax*, ut notum eruditis & expertis, non eſt *manicis* ſuis per omnia *tunicæ* ſimilis; niſi cum diſtinctione intelligas *tunicam* in verbis *Joſephi* pro *tunica* breviores *manicas* habente; uti etiam *Gelenius* diminutivâ *manicularum* voce hîc utitur. Quòd autem *Joſephus* non per omnia juxta *Moſis* deſcriptionem, ſed potiùs juxta id, quô ex traditione & additione Seniorum ſuo jam tempore in uſu erat, *Ephodem* nobis deſcripſerit; patet hoc, (præter id, quod de *manicis* ejus jam diximus, & adhuc (*n*) dicemus) ex eo; (1.) quia ipſe nullâ habitâ ratione partium *Ephod*, quæ certò certiùs duæ erant juxta deſcriptionem *Moſaicam*, (ut ſtatim pleniùs (*o*) audiemus,) anterior

(*l*) *De* Monarch. *Lib. 2. p.* 823. *edit. Par.* 1640. (*m*) *De* Bello Judaico *Lib. 6. c. 6. al. c.* 15. *p.* 919. *edit. Genev. an.* 1611. (*n*) *Infr.* §. *XXVIII. h. cap.* (*o*) *Ibid.*

terior & posterior à se invicem divisæ, (tametsi mutuò sibi jungendæ,) ita nobis proponit *Ephodem*, (quantū ad latera ejus,) ac si una tantùm integra textura fuisset, & præter vacuum pro *Rationali* in pectore relictum, ac præter manicas ab ipso traditas, non nisi in humeris & pro capite exerendo patuisset. (2.) Quia etiam (†) *cingulum Ephod* ait *Rationali*, (seu ipsi (*) *Chosen*) fuisse *assutum*: quod tamen aliter se habuisse Divina Scriptura docet. Non enim solummodô vocatur illud, *Cingulum Ephod*, (singulari nempe *artificio* factum,) ut patet juxta textum Hebr. ex Lev. 8. v. 7. sed & hoc subjungitur ibid. cit. v. 7. collat. ibid. v. 8. quòd Pontifex jam *Ephode* indutus, priùs *cingulô* illo ad *Ephodem* spectante fuit *cinctus*, quàm *Rationale* (seu *Chosen*) eidem fuisset applicatum. Non est hîc & istud omittendum, quòd *cingulum* illud, Exod. 39. v. 5. collat. ibid. c. 28. v. 8. dicitur juxta textum Hebr. *ex ipso Ephod* extitisse: (cui consentit etiam versio Græca LXX. Interpr. cit. Exod. c. 28. v. 8.) Quô ad minus saltem indicatur, arctiorem fuisse *cinguli* illius artificiosi ad *Ephod* relationẽ, quàm ad *Rationale*, & ei potiùs, quàm *Rationali* fuisse antiquitùs assutum, vel continuâ

(†) *Græc.* ζώνη, *h. e.* zona, *Jos.* (*) Essen *dicitur Josepho*.

nuâ texturâ junctum. Aliter tamen visum est demùm Senioribus Judæorum: ut ex *Josepho* patet. Idem factum est ab iis etiam cum *Ephod* in adjunctis ei propriô arbitrio *manicis*.

XXVIII. Quòd verò juxta descriptionem Mosaicam *Ephod* propriè dictas *manicas* non habuerit, patet (1.) ex eo; quia *Moses* ita describit vestem illam, (uti & paulò antè jam (*p*) insinuavimus,) tanquam *duabus* distinctis partibus, h. e. *duobus humeralibus* à se invicem divisis constantem; Exod. 28. v. 7. juxta text. Hebr. (collat. Exod. 39. v. 4.) *Duo humeralia sociata* (seu *se conjungentia*,) *erunt ei ad duas ejus extremitates, atque sic conjungetur*; (scil. *Ephod.*) Eodem vergit etiam Latina Vulgata versio quoad sensum: *Duas oras junctas habebit ex utroque LATERE summitatum*, sive extremitatum. *Summitas* enim hîc pro *extremitate* sumitur; ut non raro etiam alibi (*q*) in eadem versione. Unde etiam *Lyranus* sic verba illa explicat: (*r*) *Duas oras* &c. *Quia oræ latitudinis junctæ erant in LATERIBUS Sacerdotis, cum uncinis, & sic anterior & posterior jungebantur simul.* Græcus LXX. Int. tex-

(*p*) §. 26. 27. h. cap. pag. 263. 266. & 267. (*q*) *Vide Exod.* 37. v. 8. *Deut.* 28. v. 64. *Jos.* 15. v. 2. & 8. (*r*) *Gloss.* Lyran. *in Exod.* 28. v. 7.

textus, planè eximiè illustrat nostrum scopum. Sic enim habet: Δύο ἐπωμίδες συνέχουσαι ἔσονται αὐτῷ ἑτέρα τὴν ἑτέραν, ἐπὶ τοῖς δυσὶ μέρεσιν ἐξηρτήμεναι. H. e. *Duæ epomides*, seu *duo humeralia coëuntia erunt ei unum ad alterum*, (vel *unum cum altero*) *in duabus partibus conjuncta*. Non poterant autem aliter dici rectè *duo humeralia*, seu *duæ epomides*, nisi fuissent duæ partes (*τοῦ Ephod*) ab invicem divisæ, una à tergo, & altera in pectore; quæ primariò quidem in *humeris* jungebantur per duos *lapides* pretiosos; at deinde etiam in *lateribus*, sive nodulis vel uncinis. sive aliis vinculis, sive solâ per cingulum adstrictione (ut quibusdam placet) complicabantur. *Chaldæus* etiam cit. locô sic habet: *Duo humeruli erunt ei; in duobus LATERIBUS ejus conjungentur*. Duas *τοῦ Ephod* partes fuisse, agnoscit etiam (*f*) *Salianus*, tametsi de *manicis* Josephum est secutus: agnoscit *Tirinus* quoque, (*s*) *anteriorem* scil. & *posteriorem*. Atqui positis hujusmodi *duabus* partibus *Ephodis*, planè absonum erat *manicas* habuisse. *Manicæ* enim propriè dictæ suâ adjectione jam fecissent conjunctionem quandam partium *Ephodis* utrinque, antequam in *humeris* vel in

(*f*) *Ad an. Mund.* 2544. *n.* 517. *tollat. ibid. n.* 520.
(*s*) Tirin. *Comm. in Exod.* 28.

in *lateribus* junctæ fuissent. (2.) Accedat hîc authoritas etiam (*t*) S. *Hieronymi*; qui ex instituto tractans de *Vestitu Sacerdotum*, ne vestigium quidem ejus rei prodit, quòd *Ephod manicas* habuisset, ut paulò pòst (*u*) ex ejus verbis intelligemus. Noluit procul dubio propter authoritatem *Josephi* descriptioni *Mosaicæ* contraire. *Ruffinus* quoque *Hieronymo* coævus (circa an. D. 400.) suâ versione testatum reliquit, non habuisse ipsum, descriptionem *τȣ̃ Ephod* de *manicis* à *Josepho* positam, descriptioni *Mosaicæ* conformem. Sic enim tantùm ipse verba *Josephi* de *manicis* jam citata vertit: (*v*) *Et ad manus ejiciendas APERTUM est.* *Beda* etiam in descriptione *Ephod* (*x*) secutus est S. *Hieronymum*. Neque *Lyranus* ullas in *Ephode* agnovit *manicas*; ut paulò pòst (*y*) patebit. Disertè autem negat *Abulensis* (*z*) eas in *Ephod* fuisse: Negat etiam *Sixtus* (*a*) Senensis, ut & (*b*) *Vatablus*. Nec Ariæ *Montani* (*c*) descriptio eas admittit. (3.) Ipsum nomen etiam dictæ vestis idipsum ostendit, quod hîc adstruimus. *Superhumerale* enim

(*t*) *Epist.* 128. *ad Fabiol.* (*u*) *S. XXIX. h. cap.* (*v*) *Joseph. juxta version.* Rufin. *Aquileiens. Antiq. L.* 3. *c.* 11. (*x*) Beda *Expos. in Exod.* 28. (*y*) *S.* 30. *h. cap.* (*z*) *Abul. in Exod.* 28. *qu.* 2. (*a*) *Biblioth. S. Lib.* 3. *Method.* 12. *p.* 165. *edit* 1592. (*b*) *In Exod.* 28. *v.* 4. (*c*) *Vide infr. S. XXXIII. h. cap.*

enim Latinorum, quô *Ephod* exprimitur, & ἐπωμὶς Græcorum, (ab ἐπὶ & ὦμος,) sic dicitur; quia *humeros* cum proximè subjecto pectore & dorso tegit, non habitâ ratione tectionis brachiorum & manuum.

XXIX. Succedat S. *Hieronymus* sic de *Ephod* scribens: (*d*) *Sextum est vestimentum, quod Hebraicâ linguâ dicitur* Ephod, אפד, *Septuaginta* ἐπωμίδα, *id est*, Superhumerale *appellant.* - - *Et ubicunque in Exodo, sive in Levitico* Superhumerale *legitur, sciamus apud Hebræos* Ephod *appellari. Hoc autem esse Pontificis vestimentum, & in quadam Epistola* (*e*) *scripsisse me memini, & omnis Scriptura testatur, sacrum quiddam esse, & solis conveniens Pontificibus.* Mox adhibitâ distinctione *Ephod simplicis* ac communis, & *Ephod specialis*, ac diversis coloribus & auro ornati, implicitam objectionem diluit his verbis: *Nec statim illud occurrat, quòd* (*f*) Samuel, *qui Levita fuit, scribitur in Regnorum primo Libro, habuisse ætatis adhuc parvulæ* אפד בד, Ephod-bad, *id est*, Superhumerale *lineum*, *cùm* David (*g*) *quoque ante arcam Domini idem portâsse referatur; aliud est enim ex quatuor coloribus, id est*, hyacintho, bysso, cocco, purpura, *&* *ex* auro *habere* con-

(*d*) *Hieronym. Epist.* 128. *ad Fabiolam.* (*e*) *Epist.* 130. *ad Marcellam.* (*f*) 1. *Reg.* (*al.* 1. *Sam.*) 2. *v.* 18. (*g*) 2. *Reg.* (*al.* 2. *Sam.*) 6. *v.* 14.

contextum; aliud in similitudinem Sacerdotum (b) simplex *& lineum.* Auri *laminæ, id est, bracteæ mirâ tenuitate tenduntur; ex quibus secta fila torquentur, cum subtegmine trium colorum,* hyacinthi, cocci, purpuræ, *& cum stamine* byssyno, *& efficitur palliolum miræ pulchritudinis. - - Contra pectus nihil contextum est, & locus futuro* Rationali *derelictus. In utroque humero habet singulos lapides, clausos & adstrictos auro, qui Hebraicè dicuntur* Soom, שהם, *ab Aquila & Symmacho, & Theodotione* onychini, *à LXX.* smaragdi *transferuntur. Josephus* Sardonicas *vocat, cum Hebræo Aquilaque consentiens. - - Et in singulis lapidibus sena Patriarcharum nomina sunt.* &c. Subjungit deinde hujus connexum, scil. *Rationale*, his verbis: *Septimum vestimentum est mensurâ parvum, sed cunctis supra-dictis sacratius. Intende quæso animum, ut quæ dicuntur intelligas. Hebraicè vocatur* Hosen, חשן, *Græcè autem* λόγιον, (†) *nos* Rationale *possumus appellare; ut ex ipso statim nomine scias mysticum esse, quod dicitur. Pannus est brevis ex auro & quatuor textus coloribus, hoc est, iisdem, quibus &* Superhumerale, *habens magnitudinem palmi per quadrum, & duplex, ne facilè rumpatur. Intexti sunt enim ei duodecim lapides miræ magnitudinis atque pretii,*

(b) *Vide* 1. *Reg.* (*al.* 1. *Sam.*) 22. *v.* 18. (†) *Aliàs* λόγιον *est etiam oraculum.*

tii, per quatuor ordines. Mox ponit & recenset eosdem *lapides*, qui Exod. 28. & 39. juxta Vulg. versionem habentur. Deinde paulò pòst pergit sic: *Hos* lapides (*i*) *in diademade Principis Tyri*, (scil. ordine tertiô exceptô,) *& in Apocalypsi* (*k*) *Joannis* (cum exigua mutatione) *legimus, de quibus extruitur cœlestis Jerusalem, & sub horum nominibus & specie, virtutum vel ordo, vel diversitas indicatur. Per quatuor* Rationalis *angulos, quatuor annuli sunt aurei, habentes contra se in* Superhumerali *alios quatuor; ut cum appositum fuerit* λόγιον, *in loco, quem in* Ephod *diximus derelictum, annulus veniat contra annulum, & mutuò sibi vittis copulentur hyacinthinis. Porrò ne magnitudo & pondus lapidum contexta stamina rumperent, aurô ligati sunt, atque conclusi: nec suffecit hoc ad firmitatem, nisi & catenæ ex auro fierent, quæ ob pulchritudinem fistulis aureis tegerentur; haberentque & in* Rationali *supra duos majores annulos, qui uncinis* Superhumeralis *aureis necterentur; & deorsum alios duos: Nam post tergum in* Superhumerali *contra pectus & stomachum, ex utroque latere erant annuli aurei, qui catenis cum* Rationalis *inferioribus annulis jungebantur: atque ita fiebat, ut adstringeretur & Rationale Superhumerali, & Superhumerale Rationali, ut una textura contrà vi-*

(*i*) *Ezech.* 28. *v.* 13. (*k*) *Apoc.* 21. *v.* 19. 20.

dentibus putaretur. Hactenùs *Hieronymus.* Cujus testimonii occasione obiter hîc notandum est, quantoperè suî oblitus fuerit tunc doctissimus & plurimæ lectionis *Salianus*, dum *inanitatem*, (l) seu *lacunam* in *Ephod* pro inserendo *Rationali* juxta *Josephum* relictam, hôc etiam argumentò *non parùm* sibi *suspectam* esse ait & tradit, quòd nullum etiam *Hieronymus* (*in Epist. ad Fabiolam*) *de illa verbum fecerit*; cùm tamen idem disertè doceat, (ut proximè audivimus,) *contra pectus nihil contextum* fuisse, *& locum futuro Rationali derelictum*: quod cum dictis *Josephi* idem est.

XXX. *Lyranus* autem sic idem *Ephod* (seu Superhumerale) describit: (m) *Secundum* (nempe Pontificis proprium ornamentum) *erat* Superhumerale, *quod ponebatur super dictam tunicam*, scil. hyacinthinam, *& quantum ad materiam erat de panno contexto quinque generibus filorum, scilicet, filis factis de auro & hyacintho, de purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, cum pulchra varietate; ita tamen, quòd non erant ibi aliqua animalia figurata, sed flores & consimilia. Quantùm ad formam verò, erat vestis quadrata, alterâ parte longior, habens in medio aperturam, per quam intrabat caput Summi Sacer-*

(l) Salianus *in Annal. Vet. Test. ad ann. Mund.* 2544. *n.* 527. (m) Lyran. *in Exod. c. 28. sub init.*

Sacerdotis, & latitudo illius vestis tangebat humeros. (Id est, humerorum latitudini æquabatur.) *Longitudinis autem ipsius una pars pendebat retrò operiens dorsum usque ad renes, & altera pendebat operiens pectus. Latera autem utriusque partis jungebantur in lateribus Sacerdotis nodulis aureis. Super humeros autem habebat hæc vestis duos lapides onychinos magnos, in quibus erant sculpta nomina filiorum Israël. - - Habebat etiam in medio pectoris foramen quadratum magnitudinis unius palmi in longum & latum; & dimittebatur ille locus vacuus ad hoc, ut poneretur ibi tertium ornamentum, quod vocatur* Rationale; *cujus pannus erat de eadem materia cum* Superhumerali; *in quo erant duodecim lapides pretiosi, secundùm quatuor ordines dispositi, in quibus erant sculpta nomina* 12. *filiorum Israël, ita quòd nomina seniorum erant sculpta in linea superiori. - - In* Rationali *verò erat* Doctrina *&* Veritas, *secundùm translationem nostram. In Hebræo habetur* Urim *&* Thummim; *& in idem redit.* Urim *enim significat* manifestationem, *quod pertinet ad* doctrinam. Thummim *significat* integritatem, *quod pertinet ad* veritatem; *scilicet quòd integret verba sua.* Ubi mox subjungit, quasi *secundùm Josephum* Urim *&* Thummim fuisset *quidam fulgor procedens de lapidibus Rationalis, qui designabat Deum placatum, & responsum prosperum.* Sed *Josephus* nihil prorsùs

sùs illic, unde illa citantur, habet propriè & specialiter de *Urim* & *Thummim*; sed de duodecim *Rationalis* (in *Ephod*) gemmis, earumque *fulgore* (*n*) *victoriam* (antequam *exercitus moveretur*) præsignificante: ubi etiam de lapide (*Sardonice*) in dextro Pontificis humero existente, pariter dixit, quòd Deo acceptante sacrum cultum, ingentem ex se emisisset *fulgorem*: & quòd tàm hujus, quàm duodecim gemmarum *fulgor ducentis* ante tempus illud, quo ista scripsit, *annis* desiisset. Non nego, colligi ex ejus verbis posse, ipsum putâsse *Urim* & *Thummim* non aliud fuisse, quàm *gemmas* in pectore Pontificis *duodecim*, quatenùs fulgore illo suô, secundùm ipsum, prosperum belli eventum indicabant: verùm colligere & hoc inde possumus, quòd jam ejus ævô, non satis notum erat *Judæis*, quid præcisè fuerint *Urim & Thummim*; quandoquidem post captivitatem *Babylonicam*, atque in Templo secundo non ampliùs vera illa *Urim* & *Thummim*, quæ prmitùs Deo jubente in pectorali posita erant, adfuerunt; (non

(*n*) *Vide Jos. Antiqu. Lib.* 3. *c.* 9. Per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex insutas Esseni gestat, in bello victoriam prænuntiare Deus solebat. Nam priusquam exercitus se moveret, tantus fulgor ex eis emicabat, ut toti populo facilè innotesceret, adesse Deum, *&c.*

(non obstante opinione quorundam, quòd fortè *Judæi* etiam sub secundo Templo, studuerint per imitationem quandam *Urim* & *Thummim* restituere;) ideò *Josephus* prudenter cavit, ne vel mentio *Urim* & *Thummim* Hebraicè, vel Græcè juxta LXX. in ejus operibus occurreret; contentus id solùm referre, quod de *fulgore lapidum* ex incerta traditione acceperat. Alioquî ex Scriptura S. perspicuè constat, *Urim* & *Thummim* à *Gemmis* per *Mosen* expresè nominatis, alia & distincta fuisse; ut patet Exodi 28. v. 30. collat. v. 17. 18. 19. 20. ibid.

XXXI. Ceterùm qui pleniùs de *Urim* & *Thummim* videre vult, quidnam ea fuerint; (An nempe nomen *Tetragrammaton* Adonai? vel *characteres* aliqui inscripti *Rationali*; vel, An *duo* peculiares *lapides* pretiosi & lucidissimi; vel *duo parvula simulacra*; vel ipse *fulgor* duodecim lapidum in pectore, vel aliud quid?) consulat *Corn.* à *Lapide* Com. in Exod. 28. v. 30. Agit fusissimè de his etiam (o) *Spencerus*; sed ejus sententiam, putantis, imò magno conatû asserentis, *Urim* & *Thummim* fuisse duas *imagines* parvulas, (ac signanter, *Urim ejusdem cum Theraphim*

(o) *De* Legib. Hebr. Ritual. *Lib.* 3. *Differt.* 7. *de* Urim *&* Thummim, *pag.* (*mihi*) 317. *&* *sequ. usque ad pag.* 449.

muneris & (fortè) figuræ, sub nominis diversi larva simulacrum extitisse,) jam ante ipsum *Cornelius* à *Lapide* (loc. cit.) agens contra *Christophori à Castro* de iisdem *Urim* & *Thummim* sententiam, (quam *Spencerus* (*p*) avidè amplexus est,) paucis quidem, sed nervosè & eruditè evertit. Habet insuper peculiarem suum inter *Protestantes* suos castigatorem *Spencerus*, Hermannum *Witsium*, in suo opere, quod intitulat, *Ægyptiaca*: Lib. 2. cap. 12. p. 144. & sequ.

XXXII. Propter illos, qui lento potiùs gradû hîc in tam recondito arcano discendo, & quod majus, aliis scripto-tenùs propalando, quàm nimis festinanter progredi volunt, placet paucissima quædam S. *Augustini* de dictis *Urim* & *Thummim*, seu, ut ipse ex stylo LXX. Interpr. loquitur, de *Demonstratione* & *Veritate*, verba in medium afferre: qui postquam dixisset de iisdem, (*q*) *fabulari quosdam lapides fuisse, cujus color, sive ad adversa, sive ad prospera mutaretur, quando Sacerdos intrabat Sancta*, tum ista subjungit: *Quanquam possit intelligi*, Demonstrationem & Veritatem *literis impositam super λόγιον*. Quasi diceret: Posse nos hoc sic „intelligere; quòd voces istæ, *Urim* & *Thum-*

(*p*) *Cit. Dissert. p.* 350. (*q*) *S.* August. *Quæst. super Exod. qu.* 117. *Oper. Tom.* 4. *p.* 70. *edit. Par.* 1586.

„*Thummim* ſcriptæ vel inciſæ fuerint *Ratio-*
„ *nali*, certæ nimirùm materiæ, ſcripturam
„ vel potiùs inciſionem talem durabiliter
„ capienti. Pro qua ſententia, quantum
ad materiam ſeu ſubjectum inciſionis, af-
ferri huc poteſt lucis causâ, iſta *Ariæ Mon-
tani* de dictis *Urim* & *Thummim* ſententia: (r)
Hanc autem rem, (ſcilicet *Urim* & *Thummim*,)
*cujuscunque naturæ illa fuerit, hominum artificiô
factam, aut comparatam non fuiſſe, ſed DIVINI-
TUS DATAM Moſi, vel eô tempore, quò Lex &
Tabulæ, vel eô, quô perfectum opus fuit, arbitra-
mur.* &c. Certè ſi vel ſola illa vocabula
Urim & *Thummim*, digitô Dei (ut decem præ-
cepta Tabulis) ſolidæ cuipiam & quaſi
adamantinæ materiæ fuiſſent inciſa, ſatis
hoc fuiſſet (ob fœcundiſſimam vocum illa-
rum vim) ad magnum populo Dei, inprimis
ſeræ poſteritati ſignificandum myſterium.
Sed nihil hôc dictô, de tam occulta lite-
rali *Urim* & *Thummim* materia velforma de-
terminare hîc volo, quin potiùs more meô
in aliis etiã obſcuris conſuetô, humillimas
inter preces laboribus haud ſegnibus jun-
ctas expectandum cenſeo, donec Dominus
Deus, hoc etiam ſecretum (quà ejus ple-
nior notitia ad noſtram pertinet ſaluta-
rem inſtructionem) mihi & aliis ſuis Ser-

(r) Ar. Mont. *in ſuo* Aaron, *ſeu de Veſtim. Sanct. p. 5.*

vis cum tempore (ſ) revelet; nunc contentus de eo in præſentis operis ſcopum ſcire, quòd res illa *Pectorali* Pontificis (intra illius procul dubio duplicaturam) incluſa, fuerit magnificis hiſce titulis, ſcil. *Urim* & *Thummim*, h.e. (s) *Illuminationes* & *Perfectiones*, inſignita. (Verſio ex LXX. hauſta & uſu antiquiſſimô recepta, ſcil. *Doctrina* & *Veritas*, re ipsâ eodem tendit; niſi quòd magis propriè & pleniùs illa quàm iſta, ſignificatum vocum Hebræarum exprimunt, & exhauriunt.) Paucis iterum ad *Ephod* redeamus.

XXXIII. Videmus in allata paulò antè ex *Lyrano* τῦ *Ephod* deſcriptione, ipſum *Ephod duabus* conſtitiſſe *partibus*, anteriori nempe & poſteriori; concinnè tamen ſibi invicem junctis; ut idem deſcribit. Quæ ſententia (de *duabus* illis partibus,) quàm ſit Scripturæ ſacræ (ſcil. Exod. 28. v. 7.) conſona, jam in ſuperioribus (t) vidimus. Placet hîc lucis causâ ſubjungere etiã doctiſſimi *Ariæ Montani* ſententiam ſic de *Ephod* ſcribentis: (u) *Ejus duæ partes fuêre, anterior & po-*

(ſ) *Juxta Philipp.* 3. *v* 15. (s) *Ita Arias* Montan. *in ſuo* Aarone, *pag.* 5. *qui* Urim *vertit etiam* inflammationes. (t) *S.* 28. *b. cap. pag.* 268. (u) Arias Montan. *in ſuo* Aaron, *p.* 4. *Conſulat hîc cui placet, etiam* Braunium *de* Veſtib. Sacerd. Hebr. *Comment. Lib.* 2. *cap.* 6.

& posterior, ad humeros conjunctæ; cætera verò solutæ; quæ ut corpori hærerent, baltheo cingebantur. Quia tamen Scriptura S. loc. cit. disertè dicit, hasce *duas* partes *conjunctas* fuisse, (vel debuisse fieri,) eaque conjunctio non est propriè ipsa *cinctura Ephod*, (quæ versu 8.vo describitur, collatô etiam cap. 39. Exod. v. 4. 5.) ideò probabilius videtur esse, quòd utraque latera *Ephod*, seu *Superhumeralis*, præter cincturam, peculiaribus suis ligamentis (*nodulos* Lyranus vocat, imò aliàs & *uncinos*,) sibi invicem fuerint juncta. Præter lateralem autem juncturam, in ambobus humeris, *lapide Sardoniche* auro inclusô, *fibularum vice* (ut jam (v) audivimus,) partes eædem sibi fuêre connexæ. (Exempla talis juncturæ *humeralis* in ambobus humeris, videri possunt apud quasdam mulieres nostrates, quæ *humeralia* sua, alioquî aperta (seu haud per suturam juncta) in humeris fasciis quibusdam solent connectere.) Porrò scire partes *Ephod* tales fuisse, quales nunc diximus, ad spirituale ejus significatum pleniùs & accuratiùs detegendum requiritur; ut in sequentibus (†) patebit. Sic itaque positô jam in literali sensu fundamentô spiritualis sensûs, videamus, quid spiritualiter

S 5 per

(v) *S. 25. h. cap. pag. 261.* (†) *S. XLIX. hôc cap.*

per *Ephod* fuerit significatum, & quid eo nomine hîc intelligatur.

XXXIV. Pro spirituali significatione *Ephod* habenda, sciendum est; (1.) omnia *Vestimenta* Sacerdotalia, ipsa *Christi* Summi nostri Sacerdotis *vestimenta* mystica & spiritualia significâsse. (2.) Eadem vestimenta Sacerdotalia significâsse etiam varias *virtutes*, quatenus virtutibus illis vestimenta Christi mystica exornantur. Unde etiam *Ephod*, tum vestimenta illa mystica, (de quibus statim dicturus sum,) & quidem subliminiorem eorum partem, tum etiam diversas virtutes (& quidem in excellentiori gradu) significabat. *Primum* quod attinet punctum: *Vestimenta Christi* mystica, sunt *fideles* & *sancti*, in quantum in unum sunt collecti, Ecclesiamque faciunt, ac per hoc *Christum* Dominum instar *vestimenti* circumdant, & quodam modô ornant. Cùm enim ipsa *Ecclesia* sancta, personis accedentibus ad eam per fidem & fidei unitatem, dicatur *VESTIRI velut ornamentô*, Isa. 49. v. 18. inde sequitur, quòd eadem *ornamenta* ac *vestimenta* mystica, Christo etiam tribuenda sunt, tanquam Capiti *Ecclesiæ*. Talia *vestimenta* Christi sunt etiam illa apud S. Vatem: (x) *Myrrha & gutta* (seu *aloë*,)

(x) *Psal.* 44. (*al.* 45.) v. 9.

aloë,) *& casia à vestimentis tuis*; vel juxta textum Hebræum, *omnia vestimenta tua*. Quem in locum S. *Augustinus* scribit: (*y*) *Vestimenta ejus sunt Sancti ejus, electi ejus, tota Ecclesia ejus, quam sibi sicut vestem exhibet*, (*z*) *sine macula & ruga*. Et alibi etiam sic docet: (*a*) *Quomodo dicitur Ecclesia corpus Christi, dicitur & vestimentum Christi ipsa Ecclesia*. Specialiùs autem de *Veste Sacerdotali*, ad verba illa Psalmistæ, de *Aarone* in mysterio loquentis, „*Quod descendit in oram vestimenti ejus*, ista habet: (*b*) *Vestis SACERDOTALIS, ECCLE-* „*SIAM SIGNIFICAT. Ipsa est vestis, de qua* „*dicit Apostolus:* (*c*) *Ut exhiberet sibi gloriosam* „*Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam*. Et aliquantò infra ibidem: *Per concordiam fraternam* (inquit) *Christus intrat, qui est Caput nostrum, ut VESTIATUR & hæreat illi Ecclesia*. Obiter autem hîc insinuo, quòd præter *vestimenta ornatûs* mystica, habet Christus *vestimenta* etiam *ultionis*, juxta Isa. 59. v. 17. *Indutus est vestimentis ultionis*; collat. Isa. 63. v. 1. 2. & 3. Quorum pars (latiori saltem sensû) sunt quidem subinde etiam homines carnales & mundo dediti; (nam & talibus utitur non rarò Dominus ad exequen-

(*y*) *Enarr. in Psal.* 44. (*z*) *Ephes.* 5. *v.* 27. (*a*) *Enarr. in Psal.* 147. (*b*) *S. August. enarr. in Psal.* 132. *v.* 2. (*c*) *Cit. Ephes.* 5. *v.* 27.

quendum sua judicia;) attamen aliquando etiam *fideles* & *sancti* sunt; imò ultimis temporibus contra hostes Ecclesiæ illi erunt primarii in ordine talium *vestimentorum*, ac demùm in extremo impiorum excidio, illi soli erunt; sicque in iisdem, Christi *vestimenta ornatûs* (seu decoris) & *ultionis* concurrent. Vide Apoc. 18. v. 6. & 19. v. 13. 16. Hæc de *primo* puncto.

XXXV. Quòd item *virtutes* variæ fuerint significatæ per *Vestimenta* sacerdotalia; patet hinc: quia sicut ipsi *Sancti* sunt *vestimenta* mystica Christi Domini; sic *Sancti* quoque privatim & sigillatim considerati, debent habere *vestimenta spiritualia*, quibus ad hoc apti ac digni sint, ut ipsis *Christus* tanquam *vestimentis* induatur. Atqui *vestimenta* illa in hoc statu & stadio certaminis ac pugnæ, non possunt alia esse, quàm *virtutes* variæ, (scil. actuosæ, & in opera assidua deductæ;) juxta illud Psalmistæ: (d) *Sacerdotes tui INDUANTUR JUSTITIAM*: ubi sine dubio *Justitia* universalis, omnes in se *virtutes* complectens intelligitur. Quà verò talis *Justitia* universalis, in iis, qui per cœlestem gratiam fortiter & assiduè pugnant contra peccata & carnis corruptelas, uti & contra alia adversa, in dies per-

(d) *Psal.* 131. (*al.* 132.) v. 9.

perfectior ac perfectior redditur, ut demùm cum gaudio animi sentiant, se jam per Christum super variis adversis victores esse, & ex iis ereptos atque salvatos, eatenùs vestimentum hoc *justitiæ* dicitur etiam *indumentum* seu *vestimentum salutis*, juxta illud ejusdem Psalmistæ: (e) *Sacerdotes ejus induam salute*, vel, *salutari*. Et pleniùs atque clariùs adhuc phrasis ista exprimitur Isa. 61. v. 10. *Gaudens gaudebo in Domino; quia induit me VESTIMENTIS SALUTIS, & indumento* (seu pallio) *JUSTITIÆ circumdedit me.* Confer hîc Apoc. 19. v. 8. Quatenùs item, per *justitiam* illam à Christo acceptam, & in dies ad perfectionem deductam, seu deducendam, fit homo planè *novus homo*, & velut alter *Christus*, eatenùs jubemur *induere novum hominem*: Ephes. 4. v. 24. & Coloss. 3. v. 10. Et alibi planè ipsum *Christum induere*, vel eô *indui*; Rom. 13. v. 14. eò quòd per *novitatem* vitæ, *Christus* Dominus occupat sibi totum hominem, & quodam modo alterum facit *Christum*. Habet tamen suos gradus illa *novitas* vitæ, & illa *Christi induitio*, ut patet ex Galat. 3. v. 27. collat. cum Gal. 4. v. 19. & Ephes. 4. v. 13. Porrò cùm *virtutes* illæ, de quibus loquimur, non sint per naturæ vires acquisitæ, vel

(e) *Cit. Psal. v.* 16.

vel merè morales, sed unicè per meritum *Christi* ex gratia cœlesti acceptæ, & in dies in nobis ex eodem fonte auctæ, atque etiam opera illarum *virtutum* ex eadem gratia procedant; ideò dicuntur *virtutes* operaque earum, *stolæ albæ in sanguine Christi lotæ & dealbatæ*; hoc est, meritô sanguinis ejusdem purificatæ & tam sublimes factæ, ut in Dei conspectu quoque niteant. Apoc. 7. v. 14. collat. ibid. v. 9.

XXXVI. Quia verò vigilanti curâ spirituali, multisque & assiduis laboribus & exercitiis pietatis opus est, ut quis eam *vestitûs* spiritualis consequatur perfectionem, de quâ locô nunc proximè citato est mentio; ideò Spiritus Dei, de hoc *vestitu*, quâ parte jam eum vel in Baptismo, vel etiam extra Baptismum inchoativè, imò & cum aliquo progressu accepimus, custodiendô, sapienter præmonuit his verbis: (*f*) *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.* Quem in locum *Pannonius* scribit sic: (*g*) *Vestimenta sua custodit, qui fidem sine errore tenet; vestimenta sua custodit, qui innocentiam baptismalem impollutam conservat; qui justitiam Dei habet; quibus primus homo exspoliatus Paradisum ami-*

(*f*) *Apoc.* 16. *v.* 15. (*g*) *Collectan. in Apoc.* 16. *v.* 15. *pag.* (*mihi*) 152.

amisit. - - *Servat ergo hæc vestimenta, qui horrore scelerum non commaculat, non dilacerat, non abjicit: aut amissa, per pœnitentiam recuperat, commaculata mundat, dilacerata consarcit.* Huc faciunt & ista ejusdem: (*h*) *Præceptum exstat;* „ † Omni tempore vestimenta tua candida sint. - - *Nisi enim quis illibatum se custodiat ab hoc sæculo, vestimenta ejus candida non sunt, nec promissa illis beatitudo continget. De piis ac modestis dicitur;* (*i*) „ Et ambulabunt mecum in „ albis, quia digni sunt. *Illi quippe ambulabunt cum Christo in albis, qui fidem ac innocentiam baptismalem, ac denique sanctitatem omnem totius vitæ custodiunt, quique sequuntur vestigia Christi.* Lege & plura ibidem. Sciendum autem hîc est, quòd phrasis illa, *ambulare cum Christo in albis*, Apoc. 3. v. 4. & alia similis, ibid. v. 5. *vestiri vestimentis albis*, præter *justitiam* & *sanctitatem* plenissimam, significat simul futurum *gaudium* ingens, & *gloriam* electorum. *Victori* enim (& non alteri) *alba* illa *vestimenta* danda promittuntur; ut patet ibid. cit. v. 5. *Qui vicerit,*&c. ut non priùs, quàm post victoriam de Carne, Satana & Mundo, plenum dicti promissi implementum consecuturi sint. Confer hîc locum supra (*k*) notatum Apoc. 7. v. 9. 14.

Unde

(*h*) *Collect. in Apoc. 3. v. 4.* † *Eccl. 9. v. 8.* (*i*) *Cit. c. 3. Apoc. v. 4.* (*k*) *Qu. 2. §. 70. & 76. & hôc cap. §. 35.*

Unde distinguere possumus mystica Sanctorum *vestimenta*, quòd ea sunt, vel *certantium*, vel *victorum*, & præmiô certaminis fidei coronatorum.

XXXVII. Quanquam verò in hoc nostro de *Ephod* mysteriis sermone, quantum ad officium nostrum, primò & maximè illorum *vestimentorum* (spiritualium) habendorum & tenendorum debemus habere rationem, quæ sunt *certantium*; (v. gr. *virtutum* & assidui exercitii atque incrementi earundem;) attamen nequaquam debemus hîc prorsùs excludere *vestimentorum* etiam *victorum* considerationem; tum quòd nec ab *Ephod* mysteriis ea (suis gradibus & temporibus habenda) penitùs excluduntur; (ut infra (*l*) patebit;) tum quia in his etiam terris insignem aliquando *Sancti* super suis hostibus internis & externis, spiritualibus & corporalibus consequentur *victoriam*: ut patet ex accurata excussione Apoc. 7. v. 9. 14. 15. 16. 17. Quem in locum paulò antè citatus *Pannonius* eruditè (more suo) inter alia scribit: (*m*) *Ab hac peste* (scil. Antichristo) *quùm liberaverit Dominus populum suum, fiet tranquillitas summa, & pax in toto Orbe etiam externa: tunc fiet id, quod* præ-

(*l*) S. 43. 44. 45. h. cap. (*m*) *Collect. in Apoc.* 7. v. 16. *pag.* (*mihi*) 174.

præsens Scripturæ locus indicat: Non esurient, „ neque sitient ampliùs; neque cadet super „ eos Sol, neque æstus. *Similis locus est in Esaia cap.* 49. Non esurient,&c. *Sol persecutionis ardorem designat, quæ tunc cessabit pereunte Antichristo. Esuries, panis verbi Dei est. Dum enim ardenter desideramus refici hoc verbô Spiritûs, dicimur & esurire & sitire.* Subindicat, quòd talis *esuries* & *sitis* tunc cessabit. Unde protinùs subjicit ista: *Quo in loco simul agnosce, quàm FELIX illa ætas futura sit, quando in summa libertate annunciabitur Evangelium Christi in universo Orbe, in vero sensu, & quem Spiritus ille Divinus inprimis flagitat, & administrat omnibus.* Et aliquantò pòst: (n) *Adverte* (inquit) *magnam temporis ultimi, quod erit post Antichristum, felicitatem, ut patriæ felicitati propemodùm exæquari possit. Nam, ut mihi quidem videtur, per temporalem hanc ejusmodi temporis illius felicitatem, & illam, quæ in cœlis futura est, describit.* Vide ulteriùs ibid. eundem ad finem versûs 17.mi; & in cap. 19. Apoc. v. 9. ad verba illa: *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*; Cujus textus huc faciens, invenitur proximè in *Clavi* mea *Prophet.* pag. 302. Ubi etiam consulat Lector ea, * quæ de futura *Restitutione omnium* (juxta Act. 3. v. 21.) trado. Hæc ideo

T refe-

(n) Cit. loc. * Clav. Proph. *pag.* 255 257. & *seq.*

referuntur, ut benignus Lector tantò faciliùs sibi persuadeat, quòd sub mysteriis *Ephod* (indumenti tam pretiosi,) *victorum* etiam (seu *victoriæ*) *vestimenta* spiritualia debeant diligenter considerari. Sed ad ordinem cœptæ expositionis regredior.

XXXVIII. Ex hactenùs dictis jam constat, quid in genere (†) *Vestimenta* Sacerdotalia significârint. Antequam verò specialiùs etiam dicamus aliquid de *Ephod* significato, vel significatis, operæ pretium est, ut in antecessum propter quosdam hoc indicem; quòd dum in superioribus (*) docui, *vestimenta Sacerdotalia*, partim ipsa Christi vestimenta mystica, ejus nempe *sancta* membra, & totam *Ecclesiam* sanctam, partim ipsorum membrorum ejus (diversô respectû) vestimenta spiritualia (scilicet *virtutes* diversas) significâsse; sciendum est, me per hoc, non negâsse quidem, quin & veteris Test. Sacerdotes, inprimis Pontifex per ea sui officii moniti fuerint, quantâ nimirùm puritate, sanctitate & perfectione debuerint aliis præfulgere: sed quoniam scopus *Legis* principalis est *Christus*, & status Novi Testamenti; ideò illum quidem finem de Sacerdotibus Vet. Test. ut minùs principalem possumus in iisdem vesti-

(†) *§. 34. & seq. h. cap. p. 282.* (*) *Ibid.*

veſtimentis conſiderare; at (nos præſertim, qui in N. Teſt. vivimus) principaliter in myſticum ac propheticum eorundem (ut & aliorum Rituum Legalium) ſenſum in Novum Teſtamentum ſpectantem, debemus animos noſtros erigere, & (habitâ notitiâ literæ) potiſſimùm in eo laborare, ut ſenſum illum eorum myſticum ac ſpiritualem à Spiritu S. principaliter intentum aſſequi cum tempore poſſimus. Si eum non ſtatim aſſequi nobis detur, vel ſi *nemo* hactenùs (o) *repertus* eſt, qui verum & certum ſenſum myſticum rituum veterum, ſeu Legum ceremonialium nobis detexiſſet, non debemus inde inferre, quòd non laterent in omnibus iis myſteria Evangelica, (ſeu ſtatûs Novi Teſt.) ſuo tempore plenè revelanda, multò minùs injurioſè & nimis contemptim loqui de iis, qui principali labore *myſteria* Evangelica dictorum *Rituum* inveſtigare nituntur. Is ipſe quoque, (Vir alioquî doctus, nimirùm Joan. (p) *Spencerus*,) qui ſubinde juſtò plùs & extra modeſtiæ metas exagitat illos, qui *myſteria* illa, quantùm potuerunt,

(o) *Vide hanc objectionem apud* Spencer. *de Legib. Hebr. Lib.* 1. *pag.* 159. *edit. Hagenſ. an.* 1686. (p) *Lib.* 3. (*de Legib. Hebr.*) *pag.* 274. (*edit. cit.*) *ibi*: Neque hæc faba *&c. p.* 411. (*ibi*: Vocum myſticarum aucupes.) *&* 421. *collat. Lib.* 1. *pag.* 167. 168. 169. 170.

vel possunt, rimati sunt, vel rimantur, non potuit cavere, quin ea nobis reliquerit, quibus (per bonam sequelam) ipse impugnari, & illi, qui (juxta (q) Apostolum) pluris *Spiritum*, quàm *Literam* nudam in ritibus Mosis habent, defendi queant. Non solùm enim docet subinde, (r) *Pontificem* Judæorum suis *ornamentis* (inprimis *Ephode*, ejusque Rationali *Urim* & *Thummim* habente) *insignitum*, *typum & imaginem Christi* exhibuisse; sed insuper generaliùs etiam disertè ista tradit: (ſ) *Est in scriptis plerisque Mosaicis, (quod in ciphris, quas vocant, & literis mysticis usû venit,) scriptura quædam exterior, cujus sensus minimè difficilis se cuivis offert; & scriptura INTERIOR, LEGIS MIRABILIA continens, quæ ut pleniùs & apertiùs intueatur, Psalmistes* oculos retectos *expetit*. (scil. Psalm. 119. (al. 118.) v. 18.) Et ibid. aliquantò infra, ad probandum, quòd *Moses Messiam, unà cum beneficiis & virtutibus ejus, ultimum verborum suorum* (scil. Deut. 33. v. 8. exaratorum) *scopum fecerit*, tertiam hanc dat rationem: (s) *Apud omnes, Judæos juxta & Christianos in confessum abiit, MYSTERII alicujus NUCLEUM sub tenui textûs Mosaici CORTICE pe-*

nè

(q) 2. *Cor.* 3. *v.* 6. (r) Spencer. *de Legib. Hebr. Ritual. Lib.* 3. *pag.* 400. 409. 419. 423. & 432. *edit. cit. Hag.* (ſ) *Cit. Lib.* 3. *p.* 447. (s) *Ibid.*

nè ubique latitare. Et mox factâ mentione (ex Judæorum phrasi) *arcanorum Legis*, specialiùs de *Christianis* ista (in suum scopum) subjungit: (*t*) *Quorum plerique Legem Dei, tanquam perpetuum hieroglyphicum, mysticis rationibus UBIQUE repletam, intuentur, & pleraque non cunctanter ad Messiam referunt.*

XXXIX. Hinc jam (pro communiori Christianorum sententia) quæro: si (ipso *Spencero* fatente) *in plerisque scriptis Mosaicis*, præter *externam scripturam*, datur etiam *scriptura interna*, *mirabilia Legis* (juxta (*u*) Psalmistam) *continens*, vel si *sub tenui textûs Mosaici cortice*, *mysterii alicujus nucleus penè ubique latitat*; cur non prorsùs ubique & in omnibus Scriptis *Mosaicis*, inprimis *Ritualibus*, (de quibus nunc proximè est sermo) id fiat? Nulla sanè ratio solida tantæ diversitatis *Rituum* Mosaicorum assignari potest, quâ monstretur, in his quidem aliquid, & in illis nihil prorsùs mysterii latere; cùm omnia *Ritualia Mosis* scripta talia sint, de quibus dici potest, quòd sub *cortice* literæ *nucleum* & ipsa *mirabilia Legis* (pro parte sibi convenienti) contineant; sitque de omnibus illis verum illud, quod alibi ipse *Spencerus* (suî quasi oblitus) scribit his verbis:

(*t*) *Ibid. p.* 448. (*u*) *Psal.* 118. (*al.* 119.) *v.* 18.

bis: (v) *In eo Deus egregium SAPIENTIÆ suæ documentum edidit, quòd ita LEGIS instituta temperaverit, ut - - & œconomiæ suæ NOVÆ FIGURAM & umbram diligentiùs intuentibus exhiberet.* Nec decebat Dei (x) *Sapientiam*, ex tam admirabilium suorum *Rituum* numero aliquos, ex humana saltem, vel citò transitura & cum ipso veteri statu *Judaico* exspirante ratione condere, non verò altius quid & in tempora *Messiæ* spectans, principaliter in omnibus iis intendere. Huc apprimè quadrant, de *Litera* in talibus per se *macra*, verba quædam *Ruperti* (y) Abb. Tuitiensis, jam alibi (z) à me memorata.

XL. Si quis autem, quasi exempla in contrarium afferens, putet in *ritibus* quibusdam (v.gr. de *avi*, (a) de *pane fermentato*, de *Nazaræo*, ac de *bubus*, seu, *juvencis* diversô numerô diebus Festi *Tabernaculorum* oblatis) Lev. 1. v. 16. & ibid. c. 7. v. 13. & Num. 6. v. 18. & ibid. c. 29. v. 14. & sequ. usque ad v. 26. descriptis, nullum fuisse mysterium præsignificatum, vel, ut *Spencerus* loquitur, *ne minimam rei alicujus secretioris*

(v) *Lib. 3. p. 473. edit. cit.* (x) *Confer hîc lucis causâ* Clav. *meam* Proph. *Class. 2. Regul. 3. & 4. p. 77. & 78.* (y) *Lib. 5. in Joan. Oper. Tom. 2. p.* 193. (z) *In* Clav. Prophet. *Præcognit. c.* 1. *S. 20. pag.* 15. (a) *Vide hæc apud* Spencer. *de Legib. Hebr. Lib.* 1. *p.* (*mihi*) 159. & 160.

ris umbram hæc & pleraque alia Legis instituta præ se ferre, is vehementer fallitur; nec contrarium ex adverso probatum est: sed nudis tantùm verbis assertum. Etsi enim non statim, nec facilè possumus omnium illorum tam admirabilium *Rituum mysteria* pandere; non tamen inde sequitur, non latere in omnibus iis futuri *mysteria*: quod & supra (*b*) jam aliis verbis insinuavimus. Quis enim eruditorum nescit, quàm multa sunt in *Typis* & *Prophetiis* sacris mysteria, quorum plenissimum implementum (*c*) in ultima tempora est reservatum? Pandentur ergo plenissimè etiam *mysteria* dictorum *Rituum* omnium, quando (juxta cœleste oraculum) *Tubâ septimâ* resonante, (*d*) *consummabitur mysterium Dei, Prophetis* ejus olim concreditum. Quamobrem, præter illa, quæ jam adduximus, possumus communioris sententiæ oppugnatori ex ipsomet ista etiam opponere: (*e*) *Ritus & instituta Legis MYSTERIORUM EVANGELICORUM simulacra, oculis purgatioribus facilè percipienda præferebant*. Huc faciunt & illa ejusdem: (*f*) *Vix equidem credi potest, Hebræorum vulgus, sub*

T 4

(*b*) S. XXXVIII. *h. cap. pag.* 291. (*c*) *Vide in hanc rem* Clavis *mea* Prophet. *Class.* 2. *Regul. 5. pag.* 80. 81. *& seq. & confer ibid. Class.* 3. *Regul.* 8. *p.* 447. 449. (*d*) *Apoc.* 10. *v.* 7. (*e*) Spencer. *de Legib. Hebr. Lib.* 1. *pag.* (*mihi*) 163. (*f*) *ibid. p.* 163. & 164.

ſub prima præſertim naſcentis Judaiſmi tempora, rituum illorum PROPHETICORUM ſenſum INTERIOREM intellexiſſe ; at veriſimile eſt Viros propheticos, quò propiùs accederent Meſſiæ venturi tempora, eò magis velum Moſaicum amoviſſe, & QUO TENDERENT cultûs illius ambages & ÆNIGMATA, populo expoſuiſſe. Opponimus item ei, ſententiam illam de dictis Ritibus *Proteſtantium* communiorem, quâ per editorem *Canonis Chronici Marshami* Angli *Lipſienſem*, propiùs quidem ipſe *Marshamus* tangitur, ſed in eo & cum eo pariter etiam *Spencerus* (qui & nomine-tenùs per eundem eſt expreſſus) impetitur his verbis: (g) *In ſacris Literis liquidò Spiritus S. prodidit, Levitici cultûs ceremonias, FUTURORUM UMBRAS, EXEMPLARIA, IMAGINES, ac MESSIÆ ejusque officiorum & beneficiorum adumbrationem ac PRÆFIGURATIONEM fuiſſe complexas.*

XLI Sed operæ pretium eſt, ut validioribus etiam noſtram hîc breviter muniamus documentis ſententiam. (1.) Ipſe Apoſtolus diſertè docet, ſine ulla exceptione de Lege Moſis, (h) *quòd Lex UMBRAM*

(g) *Vide Præfation.* Canonis Chronici *Marſcham, edit.* Lipſienſ. *an.* 1676. (h) *Hebr.* 10. *v.* 1. *Quem in locum conſule* Primaſium *& Cornel.* à Lapid. *& confer Coloſſ.* 2. *v.* 17. *& Hebr.* 8. *v.* 5.

BRAM habuerit FUTURORUM bonorum. Quid his clarius ad firmandum, quòd omnes *Ritus Mosaici* (præter literæ veritatem) *umbræ* & *figuræ* fuerint futurorum Novi Test. *bonorum* propheticæ & præsignificativæ? quæ bona in radice & fundamento, quantum ad meritum, per Christum semel in opere redemptionis peractæ acquisita, ultimis demum temporibus, longè pleniùs & jucundiùs, quàm unquam hactenùs, sentientur ab electis; quod vel ex nostro textu principali (Hos. 3. v. 5.) colligi potest. (Inter *bona* autē illa recensemus etiam extrema Dei judicia in impios demùm effundenda. (Nam & talia latent sub quibusdam *umbris* Mosaicis.) Quæ sanè *bona* sunt respectû Ecclesiæ Dei, eò quòd per illorum plenam effusionem liberabitur ab hostibus suis.) Robur hîc (2.) nostræ sententiæ addant testimonia antiquissimorum SS. *Patrum* haud contemnenda. Certè S. *Justinus* Martyr circa an. D. 150. cum *Tryphone* Judæo disputans, haud cunctanter asserit, (*i*) *πάντα ἁπλῶς, τὰ ὑπὸ Μωσέως διαταχθέντα, - τύπους καὶ σύμβολα καὶ καταγγελίας τῶν τῷ Χριστῷ γίνεσθαι μελλόντων, καὶ τῶν εἰς αὐτὸν πιστεύειν προεγνωσμένων, καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ὁμοίως γίνεσθαι μελλόν-*

(*i*) *Dial. cum* Tryph. *pag.* (*mihi*) 261.

λόντων. h. e. *OMNIA prorsùs, à Mose ordinata, - - FIGURAS & notas, & denunciationes* (fuisse vel esse) *eorum, quæ Christo EVENTURA erant, eorumque, qui in ipsum ut crederent, præcogniti fuerant, atque item eorum, quæ Christus ipse erat FACTURUS.* Hæc optimè novit etiam is (*k*) qui aliter sentit, & à se citata non impugnat, sed recognoscit sic *constanter* à *Justino affirmari.* Eadem fuit sententia etiam S. *Irenæi* an. D. 180. & seq. Episcopi Lugdunensis. Qui postquam dixisset, quòd Judæi (*l*) *per typos discebant timere Deum*, mox subjungit ista: *Itaque Lex & disciplina erat illis, & PROPHETIA FUTURORUM.* (Et ista sunt nota toties memorato dissentienti.) De *Moyse* quoque scribit, (*m*) quòd *in monte*, 40. *diebus discebat - - imagines spiritales, & PRÆFIGURATIONES FUTUROUM.* Et alibi idem: (*n*) *Munera* (inquit) *& oblationes, & sacrificia OMNIA IN TYPO populus accepit.* Huc faciunt etiam illa S. *Hieronymi*: (*o*) *In promptu est Leviticus Liber, in quo SINGULA sacrificia, imò SINGULÆ penè SYLLABÆ & VESTES Aaron, & TOTUS ORDO LEVITICUS spirant CÆLESTIA* SA-

(*k*) *Vide* Spencer. *de Legib. Hebr. Lib.* 1. *p* (*mihi*) 163. & *Lib.* 3. *p.* 131. & 419. (*l*) Iren. *Lib.* 4. *adv. Heref. cap.* 28. (*m*) *Ibid.* (*n*) *Cit. Lib.* 4. *c.* 35. (*o*) *Epist.* 103. *ad* Paulin.

SACRAMENTA. Ita etiam *Exodo*, (p) *mystica* tribuit *præcepta*. *Deuteronomium* quoque, seu *secundam Legem*, (q) disertè *EVANGELICÆ LEGIS PRÆFIGURATIONEM* vocat. Ne omittamus hîc & illud S. *Augustini* sic de *Moyse* scribentis: (r) *Rexit populum Moyses per annos* 40: - - *cùm Christum etiam ipse PROPHETASSET per FIGURAS observationum carnalium, in tabernaculo, sacerdotio, & sacrificiis, aliisque MYSTICIS plurimisque*. (Per *Christum* hîc, non solùm persona ejus, (ſ) sed & res ejusdem in Novo Test. sunt intelligendæ.) Pauca hæc (ex multis) SS. *Patrum* testimonia gravissima, (utpote sapientissimæ menti Spiritûs Divini consona,) longè pluris hoc in argumento apud me habentur, quàm cujuscunque, & quantumlibet docti Authoris novitii contrarius sensus, quantocunque cum labore & studio elaboratus.

XLII. Postquam satis constat, *Ritus* omnes Mosaicos futurorum Novi Test. bonorum fuisse *typos* propheticos; jam è re nostra est, ut juxta requisitum nostri textûs, & *Quæstionem quartam* inde propositam, specialiùs etiam aliquid de *Ephod* vestimenti Pontificalis significato spirituali dicamus. Ut alia Pontificis *vestimenta* omnia, no-

(p) *Ibid.* (q) *Ibid.* (r) *Lib.* 18. *de Civ. Dei*, c. 11. (ſ) *Vide ad hoc lucem in* Clav. Proph. *Class.* 2. *Reg.*6. *p.* 9*e*.

nostri veri Pontificis Christi *vestimenta* mystica, seu membra (graduum diversorum) unà cum virtutibus eorum præfigurabant; (quod ex paulò antè (s) dictis patet;) sic *Ephod* cum suo *Rationali*, illos fideles & Sanctos Novi Test. inprimis Dei Servos significabat, qui longô intervallô alios quosdam, imò multos fideles, in cœlestis sapientiæ & sanctitatis decore superant, vel superaturi sunt. Cùm autem tum *Ephod*, tum aliorum *vestimentorum* sacrorum significatum ad Christi membra, eorumque virtutes refero, per hoc non nego, quin ad Christi etiam summum & ineffabilem decorem personalem, seu, ad ejus proprias virtutes perfectissimas, in typica dictorum vestimentorum significatione fuerit respectum; imò decorem ejus, tanquam fundamentum decoris aliorum supponi hîc certò teneo, ex quo manat omnis membrorum ejus decor & sanctitas; sed hoc est, quod insinuare volo; quòd nimirùm in illa variorum ornamentorum præfiguratione, non tam id voluit nos Spiritus S. docere, qualis foret personalis Christi (in virtutibus) decor, & ei proprius, quàm hoc, qualis futurus esset decor aliis ab ipso (ut ex ipsius (t) decore manans) in Novo

(s) S. 34. & 35. hôc c. p. 282. 284. (t) *Joan.* 1. v. 16.

Novo Test. communicandus & conferendus. Uti enim ipse *Pontifex* Legalis ipsum *Christum* Dominum, tum in sua persona, tum in personis magnorum Ecclesiæ Novi Testam. Ducum (in quibus nempe excellentiori quâdam authoritate Pastorali & gratiâ regendi habitaturus erat) consideratum, præfigurabat; sic convenientissimum fuit & est, ut ejus *vestimenta* (extrinsecùs nempe ei adhærentia) *illos* & illorum *virtutes* præsignificarent, qui *Christum* (extra ejus personam) tanquam *vestimenta* quædam spiritualia ambirent & exornarent. Accedit & ista ratio: quia cùm decor & splendor *Christi* proprius, seu eminentissima virtutum ejus perfectio, nullam prorsùs operam & institutionem hominum requisiverit, vel requirat, secus, quàm decor *Sanctorum* in *virtutibus*; (qui non fit penitùs sine sacro aliorum ministerio;) ex eo etiam congruum erat, ut *vestimenta* illa, quæ curâ, operâ, arte & industriâ humanâ (tametsi ex præscripto & directione Dei) fiebant, vel induebantur, illum potiùs *Christi* decorem præfigurarent, quem (se summô authore) habet & habiturus est in membris suis, quàm proprium suum & personalem. Insuper omnis Christi delectatio in suo munere Mediatorio hæc est, ut suis ele-

ctis (*u*) & *Sanctis* proſit, & illos virtutibus omnibus exornet, ac tandem in æternum glorificet. Unde non eſt mirum, quòd præfigurationes in ornamentis, non tam pro ſe, quàm pro ſuis eſſe voluit. Quam ob rem rectè huc afferre poſſum illa S. *Hieronymi* de *veſtitu Sacerdotali* verba: (*v*) *Interpretabor in membris, quod referatur ad Caput; intelligam de Servis, quod impleatur in Domino; quanquam in gloria Domini, gloria famulorum ſit: & ubicunque opportunitas loci tulerit, ſic de vero lumine diſputabo, ut derivetur ad eos, quibus CHRISTUS DONAVIT, ut* (*x*) *LUMEN ſint*. De ejus ergo fidelibus & Sanctis debet nobis eſſe ſermo, dum myſteria *veſtimentorum* ſacrorum, ac ſpecialiùs ipſius *Ephod* cum ſuo *Rationali* inveſtigamus.

XLIII. Sic itaque ſcopum myſterii hîc quæſiti, quantùm poſſumus, exprimimus: quòd, quemadmodùm inde quidem ab initio Novi Teſt. huc uſque omnes ſimpliciores & infimi gradûs fideles fuerunt inſtar *fœmoralis linei*, (ſeu, qui *fœmorali* illi in myſterio reſponderent;) qui item, altiorem his aliquantò in virtutibus profectum fecerunt, inſtar *tunicæ lineæ*, arctè corpori Sa-

(*u*) *Excute hîc Pſal.* 16. (*al.* 15.) *v.* 3. *juxta textum præſertim Hebr. collat. Joan.* 17. *v.* 19. & 2. *Cor.* 8. *v.* 9.
(*v*) *Epiſt.* 128. *ad Fabiol.* (*x*) *Matth.* 5. *v.* 14.

Sacerdotis adaptatæ, (*cinguli* myſterium illis referentibus, qui præ aliis plùs de Spiritu charitatis & *vinculo unitatis* ſervandæ habuerunt,) & qui his etiam altiorem virtutum gradum conſecuti ſunt, inſtar *pallii*, ſeu *tunicæ hyacinthinæ*; cujus *tintinnabulis* malorum *punicorum* intermixtione diſtinctis, *Prædicatores* Spiritum *unitatis* promovendæ habentes deſignati ſunt; ſic in *Ephod* ſuo *Rationali* juncto, iſtis quoque jam enumeratis celſiora in ſapientiæ & ſanctitatis virtutibus membra Eccleſiæ (differunt enim ea gradibus (*y*) virtutum) præſignificata ſunt; inprimis in 12. *Lapidibus Rationalis* cum *Urim* & *Thummim* junctis, duodecim *Apoſtoli*, tanquam 12. *Patriarchæ* ſpirituales Eccleſiæ Novi Teſt. quadantenùs adumbrati ſunt; *duæ* etiam partes *Ephod* non obſcurè ſignificârunt *duos* populos, ex *Judæis* nempe & *Gentibus*, ſibi invicem per Evangelium olim junctos: ſed hæc omnia pars quidem initialis, ſeu dicam, baſis & fundamentum quoddam ſunt implementi myſteriorum *veſtimentorum* ſacrorum, atque etiam ipſius *Ephod*, at nondum ipſa plenitudo, ſeu integra exhibitio implementi; maximè ſi τȣ̃ *Ephod* cum annexo *Rationali*, poſtremò ſuper alias (infra caput) veſtes indu-

(*y*) *Vide* 1. *Cor.* 12. *v.* 4. 6. 7. 8. 9. 10.

induti forma, decor & pretiositas consideretur. Ille enim *decor* ex *hyacintho, bysso, cocco, purpura, & auro* intermixto conflatus, & illa *pretiositas* tot *gemmarum, aureorum circulorum*, & *aurearum catenularum* in dicto *Ephod* ejusque *Rationali*, certò certiùs ex pleniori typi illius scopo, plenè *sanctos* Dei fideles ac Servos (cum congrua tantæ sanctitati sapientia) designat. Hinc illa S. *Hieronymi* verba de vestimentis Sacerdotalibus, inprimis Pontificis: (z) *Si tanta difficultas fuit in vasis fictilibus*, (in eorum nempe ornatu humano ac literali describendo,) *quanta MAJESTAS ERIT in THESAURO, qui intùs latet?* Per *thesaurum intùs latentem*, intelligit hîc excellentissimas Sanctorum *virtutes* à Christo in ipsis habitante accipiendas; ut patet ibidem ex verbis illis, quibus *lapidum* in *pectorali* Pontificis pretiosorum (ut & in Ezechiele c. 28. & Apoc. c. 21. memoratorum) significatum expressit: (a) *Sub horum* (inquit) *nominibus & specie, VIRTUTUM vel ordo, vel diversitas indicatur.* Per se clarum est, quod hîc de *Sanctorum virtutibus* loquitur.

XLIV. Scire tamen debemus, quòd per *lapides* illos *pretiosos*, sic *virtutes* (scil. excellen-

(z) *Epist.* 128. *ad* Fabiol. *de* Vestitu *Sacerd.* (a) *Ibid. paulò antè.*

lentissimæ) significantur mysticè, ut simul etiam subjecta *virtutum* illarum, ipsi nempe *Sancti* excellentissimi subintelligantur. Scilicet, *lapidum* decor & splendor ipsas *virtutes*; eorundem verò substantia pretiosa, solida, firma & durabilis, ipsos *Sanctos* eximios præfigurat; uti etiam paulò (*b*) pòst dicetur. Idem dicendum etiam de illa ejusdem S. Patris expositione, quâ ibidem (†) aliquantò pòst docet, *quatuor ordines* lapidum pretiosorum in Ephod *Rationali*, *quatuor esse virtutes, prudentiam, fortitudinem, justitiam & temperantiam, quæ sibi hærent invicem.* (H. e. indivulsè sunt sibi mutuò junctæ.) Atqui excellentissimi illi *Sancti*, in quibus virtutes illæ integrè & sine ullo defectu inveniri sub Sole possint, seu, in quibus τȣ̃ *Ephod* & ejus *Rationalis* atque *gemmarum* præfiguratio plenè & exactissimè exprimeretur, ultimo tempore debent esse, juxta oracula Prophetarum; Isa. 60. v. 21. 22. Soph. 3. v. 13. Jerem. 50. v. 20. Dan. 7. v. 22. 25. 27. Mal. 3. v. 3. 4. Ephes. 4. v. 13. Certè hodiernorum etiam *vestimentorum* Sacerdotalium mysteria sic describuntur ab Ecclesiasticis Doctoribus, *Amalario* (*c*) *Fortunato*,

U Episc.

(*b*) *S. LVI. h. cap. collat. LIII. ibid.* (†) *Scil. Epist.* 128.
(*c*) *Vide* Amalar. *Fort. de Ecclesiast. Offic. Lib.* 2. *c.* 26. *collatis præcedent. aliquot capitibus*; *&* Raban. *seq. pag.*

Epiſc. Trevirenſi, *Rabano* (*d*) Moguntino; aliisque, ut eos judiciosè legenti liquidò pateat, neque eorum deſcriptionem myſticam eſſe adhuc pleniſſimè impletam; (ſumma enim omnis eorum deſcriptionis huc redit, quòd *plenitudo* omnium *virtutum* requiritur in eo, qui ſe ſacro miniſterio addicit; unde ſcire debent tales, moneri ſe quotiescunque *externô ornatû* ſacro induuntur, ut ad *interiorem ornatum*, veramque *ſanctitatem* habendam enitantur:) quantò magis id dicere poſſumus de præfiguratione *veſtimentorum* illorum ſacrorum & pretioſorum, quæ Deus ipſe tanta cum accuratione fieri per *Moſen* juſſerat? Tunc nimirum aderunt eximii illi *Sancti*, in quibus myſteria *Ephod*, & ei juncti *Rationalis*, (ut & aliorum *veſtimentorum* ſacrorum) exactè impleantur, quando & *Antichriſtus* ille magnus aderit; ſed ejus revelationem præcedet magnæ partis *Sanctorum* illorum apparitio; inter quorum aliquos dominabitur etiam aliquamdiu idem *Antichriſtus*, juxta myſticum ſenſum Ezech. 28. v. 13. 14. *Omnis lapis pretioſus* erat *operimentum tuum*; *Sardius*, *Topazius & Jaſpis*, &c. ubi exceptô ter-

(*d*) *De Inſtitut. Cleric. Lib.* 1. *c.* 14. 15. *& ſequ. uſque ad c.* 23. *&* Ivon. *Carnotenſ. Epiſc. ſerm. de ſignif. indum. Sacerdot.*

tertiô ordine *Lapidum Rationalis* ſacri, (quod & ſupra (*e*) monui,) cum aliqua ſeriei Moſaicæ mutatione, omnes ejuſdem *Rationalis lapides* (ſcil. novem,) inveniuntur: per quos etiam eximii *Sancti* ultimi temporis intelliguntur, uti & apud *Moſen* ex principali Spiritûs S. ſcopo; in quibus Apoſtolorum quoque *Spiritus* & *virtutes* redibunt in Eccleſiam. Quòd unus ordo *lapidum* (tribus gemmis conſtans) eximitur apud *Ezechielem*; valde probabilis & congrua ratio hæc eſſe poteſt; quia illorum *Sanctorum* aliqui maturè & priùs quàm alii liberabuntur ab omni ſocietate & poteſtate *Antichriſti*, hoc eſt, antequam incipiat pleniùs & ſuperbiùs dominari; juxta Apoc. 12. v. 6. & 14. collatis iis, quæ jam alibi ea de re (*f*) dixi.

XLV. Jam particulatim etiam (quantùm cœlitùs aſſequi datur) ſic paucis idem *Ephod* cum ſuo *Rationali*, ultimi temporis fidelibus & Sanctis applicamus. (1.) Quatuor inſignes *Ephod* & *Rationalis* colores, cum *auro* intermixto, admirandam pulchritudinis ſpiritualis fidelium ultimi temporis ex diverſis populis & linguis in fide uniendorum *varietatem* (ſeu quod idem eſt,

(*e*) §. *XXIX. hôc cap. p.* 273. (*f*) *Ad Quæſt.* 2. §. 76. *cap.* 3. *pag.* 200. & *ibid. cit. ex meis in margin.*

variarum virtutum decorem) designant : quæ pulchritudo tam *varia*, tunc pleniùs patebit, quàm exactè suo typo variè exornato sit conformis, quando iidem ipsi fideles eximii & *Sancti* ac Spiritû ferventes aderunt. Quòd *varietas* illa colorum, virtutum *varietatem* significet, ex erudita illa S. *Ambrosii* interpretatione, quâ mysterium *tunicæ versicoloris Josephi* succinctè expressit, discere possumus. (g) *Meritò* (inquit) Jacob *variam tunicam (h) fecit ei*, (nempe Josepho,) *quô significaret eum DIVERSARUM VIRTUTUM amictû fratribus præferendum.* Huc faciunt etiam illa *Cornelii* à Lap. ex *Ruperto* mutuata : (i) *Symbolicè hæc tunica* (Josephi) *polymita*, *est VARIEGATURA VIRTUTUM.* Et mox (post citata *Ambrosii* præmemorata verba,) *Philonem* (k) secutus subjungit ista : *Hæc toga polymita*, (scil. Josephi,) *est MULTIFORMIS prudentia Principis.* Qui magis particulariter ac distinctiùs vult aliquid de mysteriis *variorum* colorum *Ephod* intelligere, consulat V. *Bedam*, (l) fusè de iis tractantem : qui specialiter *Sacerdotibus* mysteria illa applicans, *aurum* ideò in *Ephod* adhi-

(g) *Tom.* 1. *Lib. de* Joseph. *Patriarch. cap.* 2. (h) *Gen.* 37. *v.* 3. (i) *Comm. in Gen.* 37. *v.* 3. (k) *Vide* Philon. *Lib. de* Joseph *p.* 531. *edit. Paris. An* 1640. (l) *Oper. Tom.* 4. de Tabernaculo *&c. Lib.* 3. *c.* 4.

adhibitum fuisse tradit, ut *ante omnia in habitu Sacerdotis intellectûs sapientiæ principaliter emicet*; *hyacinthum* verò *qui aërio colore resplendet*, ideo, *ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, sed ad amorem cœlestium surgat.* Reliqua videantur apud eundem. Summatim & generaliter quæ huc spectant, sic per eum exprimuntur: (*m*) *Cuncta fiunt de auro, pretiosisque coloribus; quia nihil vile ac sordidum in Sacerdotis ore vel opere debet apparere; sed cuncta quæ agit, universa quæ loquitur, omnia quæ cogitat, & coram hominibus præclara, & in conspectu interni arbitri oportet esse gloriosa.* Quòd item ad *variorum* etiam populorum credentes, at *unitatem fidei* tenentes, fuerit respectum in mysterio *variorum* amictûs *colorum*, ex S. *Augustino* lucem accipiamus. (*n*) *Vestitus* (inquit) *Reginæ hujus* (mysticæ) *quis est? Et pretiosus est, & varius est. Sacramenta doctrinæ in linguis omnibus variis. Alia lingua Aphrica, alia Syra, alia Græca, alia Hebræa, alia illa & illa; faciunt istæ linguæ VARIETATEM vestis Reginæ hujus. Quomodo autem omnis vestis VARIETAS in UNITATE concordat, sic & omnes linguæ ad UNAM Fidem. In veste ista VARIETAS sit, SCISSURA NON sit.*

(*m*) *Ibid. c.* 3. (*n*) *Enarr. in Psal.* 44. *v.* 10. *juxta Vulg. ad verba illa*: In vestitu deaurato, circumamicta varietate.

sit. - - In ipsa autem varietate aurum quod est? Ipsa SAPIENTIA. Quælibet sit varietas linguarum, unum aurum prædicatur, non diversum aurum, sed varietas de auro. - - Varietas in linguis, aurum in sententiis. Hæc *variarum* linguarum in *fide* & *sapientia* cœlesti *unitas* tunc fiet plenè, quando illud Apostoli implebitur: *(o) Donec occurramus omnes in UNITATEM FIDEI, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, - - ut jam non simus parvuli fluctuantes.* &c. Vidit hoc satis ipsemet etiam S. *Augustinus*, ideò mox in eadem expositione in futurum direxit sua verba, hôc modo: *(p) Veniat* Regina *à Gentibus, veniat circumamicta omnibus linguis, in unitate sapientiæ.* Hæc de *varietate* colorum (cum *auro* intermixto) τῦ *Ephod* & *Rationalis.*

XLVI. (2.) Quòd *Ephod* longè brevius seu minus indumentum fuit, quàm utraque tunica, *linea* nempe, & *hyacinthina*, at utrisque cum suo *Rationali* longè pretiosius; per hoc significatum est, quòd multò pauciores futuri essent *excellentiores* illi fideles & *Sancti*, qui per *Ephod* & ejus *Pectorale* præfigurantur, quàm alii, qui per dictas *tunicas*; at illis in opere sancto & virtutibus celsiores. (3.) Quòd *Ephod* supra tunicam *hyacinthinam* & alias (corporis) vestes sacras fuit

(o) *Eph. 4. v. 13. 14.* (p) *Cit. Enarr. in Psal. 44.*

ſuit indutum, per hoc id ipſum, quod nunc proximè paucis inſinuavi, ſignificatum eſt; quòd nimirum ut inde à principio fuit, ſic etiam ultimo tempore, & tunc vel maximè futura eſt diverſitas fidelium & Sanctorum, ut alii nempe aliis ſuperemineant, alios dirigant, aliosque arctiùs in unitate ſancta contineant, (uti *Ephod* utrasque *tunicas* arctiùs corpori adſtrinxit;) atque tales futuri ſunt illi, qui per *Ephod*, ejusque *Rationale* fuêre præfigurati.

XLVII. (4.) Quòd priùs datum eſt mandatum de *Ephod faciendo*, & priùs etiam illud eſt factum, quàm alia ei ſubdita veſtimenta, (ut patet Exod. 28. v. 6. & ſeq. & cap. 39. v. 2. & ſeq.) at verò poſt alia quædam eſt indutum; per hoc ſignificatum eſt, quòd in omnibus noſtris actibus ſpiritualibus ad altiora & *ad perfectionem* (q) tendere debemus, ipſamque *perfectionem* noſtrî unà cum totius Corporis Chriſti myſtici (h. e. Eccleſiæ) perfectione, poſt Dei gloriam pro principali fine nobis proponere, & in minimo etiam noſtro profectu id agere ſtrenuè, ut tandem *perfectionem* ſpiritualem conſequamur; vel quod idem eſt, in nobis idealiter *perfectionem* illam depingere, & ad eam conſequendam

U 4 totis

(q) *Juxta Hebr. 6. v. 1.*

totis viribus eniti. Noſtrum enim eſt miniſterialiter & obſequenter agere,ut ipſius *Ephod* decori in ſpirituali ſignificato reſpondeamus. Scilicet Paſtores & Doctores agunt hoc prædicando, docendo, monendo & redarguendo; auditores autem & unusquisque noſtrûm agimus obediendo verbo Dei audito vel lecto, & in actibus pœnitentiæ, atque aliis pietatis exercitiis progrediendo. Sic paramus ex nobis myſticum *Ephod* Domino, etiam antequam id ei actû ad exornandum ejus Sponſam, tanquam (r) *unicam Columbam*, applicetur. Quòd poſt alia veſtimenta hoc indutum eſt, ſignificatum fuit, priùs eſſe fideles in eo ſtatu, in quo minoris pretii *veſtimentis* reſpondeant, quàm in quo pretioſiori amictui, v. gr. ipſi *Ephod*. Scilicet olim priùs *feminalibus* indutus eſt Pontifex; deinde *tunicâ lineâ* & candidâ; tertiò *tunicâ hyacinthinâ* ac longè pretioſiore priori; tandem ipsô *Ephod* & *Rationali*; ſic & Summus noſter Pontifex Chriſtus Dominus, priusquàm *Ephod* myſticô induatur, h. e. priusquam τοῦ *Ephod* myſteria, ipsâ implementi plenâ adductione pandantur, (vel panderentur,) jam indutus eſſe debet, (ac debuit) non ſolùm myſticis *feminalibus* ſuis, ſed & *tunicâ* geminâ, ſcil. interiori *lineâ*, (quæ

(r) *Phraſis eſt ex Cantic. 6. v. 8.*

(quæ baltheo cingitur,) & exteriori *hyacinthinâ*; id eſt, horum myſteria priùs in Eccleſia ſancta adeſſe debent,(& ex parte jam debuerunt,) quàm ipſius *Ephod*. Erunt nempe & in poſterùm (uti & hactenùs fuerunt,) ex electis, qui, ut olim *veſtimenta* illa priùs quàm *Ephod* ipſum Pontificem ornârunt, ſic in ſuo imbecilliori ſtatu, graduque inferiori vitæ ſpiritualis,priùs Chriſto Domino, & quidem arctè pro menſura gratiæ in ejus corpore myſtico adhærebunt, aliqui *feminalibus*, aliqui *tunicæ lineæ*, aliqui in ulteriori gradu *tunicæ hyacinthinæ* reſpondentes, vel reſponſuri, quàm dicti *Ephod* myſteria ipsô effectû plenè pateant & ſentiantur. Ipſi quoque celebriores *Sancti* ultimi temporis, non priùs myſteriis *Ephod* & *Rationalis* reſpondebunt, quàm myſteriis dictarum veſtium inferiorum reſpondeant. Scilicet ex inferiori pietatis, ſanctitatis & luminis ſcientiæ gradu aſcendent ad altiora. Quòd corpori Sacerdotis propiora fuerunt dicta *veſtimenta* inferiora quàm *Ephod*; per hoc ſignificatum eſt, illos qui ſub *veſtimentis* illis inferioribus præfigurabantur, propinquiores eſſe *carni* infirmæ, ſeu plùs trahere de *carnis* infirmitatibus, quàm *Sanctos* altioris gradûs,ac per hoc tantò plùs debere lugere & flere

eosdem super *carnis* infirmitatibus suisque peccatis, ut sic tantò propinquiorem sibi fore in dies sentiant Dominum suâ misericordiâ uberiore & ad altiores sanctitatis gradus ducente, secundùm illud Psalmistæ: (*f*) *Juxta* (seu *propè*) *est Dominus iis, qui tribulatô sunt corde*: collatô etiam Isa. 66. v. 2. Scilicet jam in ipsa *tribulatione* & *contritione* cordis *propinquus* est ipsis Dominus, (etiamsi ad tempus ipsi procul illum esse sentiant,) hoc ipsô indicans, se velle illos ad altiora & lætiora perducere.

XLVIII. Ordo autem implendorum mysteriorum dictarum vestium sacrarum, (quantum ad fideles inferioris & altioris gradûs) jam indicatus, exemplô fidelium initii Novi Testam. illustrari potest. Ex Evangelica enim historia patet, priùs extitisse minoris gradûs fideles Christo Domino adhærentes, quàm Apostoli solenniter vocati fuissent, multòque magis quàm Spiritû Sanctô pleni in Orbem terrarum ad prædicandum Evangelium profecti fuissent. Jam enim in ipsa nativitate Christi infantis (*s*) *Pastores* quidam ei adhæserunt. Quadragesimo à nativitate die, *Simeon* senex infantem Jesum (*t*) *in ulnas accepit*; & vi-

(*f*) *Psal.* 33. (*al.* 34.) *v.* 19. (*s*) *Luc.* 2. *v.* 8. 9. - - 15. 16. 17. 18. 19. 20. (*t*) *Ibid. v.* 25. 28.

vidua (u) *Anna Prophetissa* pariter de eodem aliis prædicavit: quibus adjungendi sunt illi, (v) qui tunc unà cum his *consolationem* & *redemptionem* Israël *exspectabant*. *Magi* etiam ab *Oriente* venientes, (x) Christum in infantia ut suum Regem & Dominum perquisiverunt, & *adorârunt*. Hi fuerunt quasi tenuia præludia mysterii seu præfigurationis *feminalium*. Deinde etiam ante publicam Domini prædicationem, (multòque magis ante Apostolorũ vocationem,) jam *Joannes* Baptista (y) instruxerat & paraverat populum ad suscipiendum Dominum Salvatorem; sicut omninò multorum corda in eum finem tunc præparata fuerunt, tametsi longè plurimi obduruerunt. Et mox ubi etiam ipsemet Christus Dominus, anno ætatis suæ tricesimo inchoato se publicè manifestâsset, priùs collegit sibi quosdam per suam prædicationem auditores, quàm Apostolos vocâsset: ut patet Matth. 4. v. 12. 13. 14. 15. 16. 17. collat. ibid. v. 18. 19. & Marc. 1. v. 14. 15. collat. ibid. v. 16. 17. 28. 19. 20. Imò ipsi quoque Apostoli priùs erant in sorte fidelium inferioris gradûs, quàm ad altiora ascendissent,

(u) *Ibid. v.* 36. 38. (v) *Ibid. v.* 38. *collat. v.* 25. (x) *Matth.* 2. *v.* 1. - - 11. (y) *Juxta Matth.* 3. *v.* 1. 2. *& sequ. & Luc.* 3. *v.* 2. 3. *collat. Luc.* 1. *v.* 17.

ſent, & uberrimis Spiritûs S. donis inſtructi, publicô munere paſſim in Orbe terrarum functi fuiſſent, magnosque tum ſuî, tum aliorum ratione in *virtutibus* progreſſus feciſſent. Seu, quod idem eſt, priùs fuerunt in eo ſtatu, in quo myſterio potiùs inferiorum *veſtimentorum* ſacrorum, quàm ipſi *Ephod* reſponderunt. Juxta hæc futurum eſt ultimis etiam hiſce temporibus in pleniori implemento myſterii ſacrorum *veſtimentorum*. Obſervemus tamen hîc, quòd uti in initio Novi Teſtamenti, priùs fuerunt Apoſtoli, (tametſi tunc adhuc fide imbecilliores, & in minori ſanctitatis gradu conſtituti,) quàm Eccleſiam Novi Teſt. ex Judæis ſimul & gentibus collegiſſent ac fundâſſent; ſic ultimis etiam temporibus priùs apparebunt eximii illi viri, qui cum tempore ad excellentiorem præ aliis ſanctitatis & ſcientiæ gradum gradatim pervenient, quàm alii inferioris gradûs fideles (per (z) *refrigeſcentiam charitatis*, & per tot diſſenſiones tam procul nunc ab invicem diviſi) ordinatâ ſuî diſpoſitione, & ſanctâ *unitate*, unitati ac decoro apparatui hujus vel illius veſtis ſacræ reſponderent. Sancti enim illi ad celſiora cum tempore aſcenſuri, futuri ſunt, (utpote

(z) *Matth.* 24. v. 12.

pote inter se concordes,) qui alios etiam ad veram vitæ sanctitatem & sanctam *Fidei unitatem* efficaciter vocaturi & incitaturi sunt, ac etiam in dies & per vices adducturi; ut sic apprimè deinceps & ipsi (ad *unitatem* adducendi) mysteriis inferiorum vestium sacrarum respondeant: imò (si qui eorum in virtutibus excellenter in dies crescent) ex gradu illo inferiori altiùs etiam ascendere, & ipsius *Ephod* mysteriis respondere queant, succedentibus in priorem ipsorum gradum aliis in dies credituris. Cur verò in generali & summaria quadam recensione vestium sacrarum, Exod. 28. v. 4. *Rationale* primo loco ponatur; infra (*a*) commodiùs dicetur.

XLIX. (5.) Quòd item *Ephod* duabus constitit partibus, *anteriori* nempe & *posteriori*, sed sibi mutuò junctis; per hoc significatum est, quòd ad similitudinem exempli *Ecclesiæ primitivæ*, ultimis temporibus duo populi, *Israëlitarum* nempe, & aliarum mundi *Nationum*, arctè sibi in Fide viva conjungentur; & quidem tunc longè pleniùs, quàm unquam hactenùs fuit factum; juxta Rom. 11. v. 25. 26. Supponendum nempe hîc est, juxta requisitum mysterii *Ephod*, quòd præcipui & insigniores ex utroque popu-

(*a*) §. *LXVI. hôc cap.*

populo futuri ſunt illi, qui hac ſuâ amiciſſimâ in Fide conjunctione; *duas* partes τῦ *Ephod* ſibi mutuò junctas repræſentabunt; ad quorum exemplum & incitamentum, alii etiam eorundem ſanctam ſequentur *unitatem.* Sed & hoc ſciendum eſt, quòd proximè & primariò illi fideles ex *Iſraële* hîc debent intelligi, qui juxta ſuperiùs tradita (*b*) jam ſunt occultè ſparſi inter *Chriſtianos*; & pariter credentes ex aliis Nationibus, illi hîc primò conſiderandi ſunt, quorum majores jam olim ex *Gentibus* ſunt aſſumpti in Populum Dei: atque hos utroſque ſequentur demùm plures etiam tum ex *Iſraële* carnali, tum ex aliis *Gentibus* convertendi. Et quia tum occulti illi ſub nomine Chriſtiano *Iſraëlitæ*, tum aliarum *Nationum* credentes, ſunt hoc tempore in variis partibus & Sectis Chriſtianiſmi diſperſi, ac inter ſe acerbiſſimè diſſentientes, ideò ad plenam myſterii juncturæ partium *Ephod* in implemento conſecutionem, neceſſariò prærequiritur, ut *Chriſtiani*, (inprimis electi inter eos) ad ſanctam veniant *unionem.* Nec priùs plenum & exactum myſteriorum *Ephod* implementum aderit, quàm ubi *Chriſtiani* tantoperè nunc inter ſe diſſidentes ſanctam ini-

(*b*) §. 26. 31. 34. 35. cap. 3. pag. 81. 95. 101. 104.

iniverint *unionem*. Neque ullum dari potest majus obstaculum sanctæ illius *unionis*, quàm ista tam atrox, tam virulenta, tamque diuturna *Christianorum* inter se *dissensio*. Quia verò nec præfiguratio τȣ̃ *Ephod*, nec prophetiæ de illa *unione* futura falli vel fallere possunt; ex eo certò certiùs concluditur, futuram suo tempore sanctam Christianorum *unionem*. Observent illud S. *Augustini*, Christianorum præcipui, & in effectum deducant: (c) *Junctura lapidum viventium charitas est*; tunc extra omne dubium *Ephod* mysteria in semet ipsis incipient implere.

L. Cùm autem hîc *Gentium* quoque convertendarum pro mysteriis *Ephod* pleniùs implendis fit in superioribus mentio; obiter hoc indicandum venit: quòd *Gentibus*, (seu Paganis) hîc potiùs, quàm mediocriter *Christianis* annumerandi sunt etiam illi, qui *nomine* tantùm sunt utcunque *Christiani*, at verò de essentia *Christianæ* doctrinæ, vix, imò ne vix quidem quicquam nôrunt: quales sunt illi *Christiani* in Insula *Socotora* ad *Æthiopiam*, de quibus an. D. 1542. XII. Kal. Octobr. sic S. Franc. *Xaverius* Goâ scripsit: (d) *Insula* (Socotora) *incolitur à Christianis*, *non*

(c) *Enarr. in Psal. 44. v. 16.* (d) *Epist. Veter. Lib. 1. Epist. 1. pag. 5. edit. Colon. Ann. 1692.*

non tam re, quàm nomine; gens quippe mirè rudis & imperita: neque scribere, neque legere vulgò nôrunt. Itaque nulla apud eos monumenta literarum. Christianos se esse gloriantur: visuntur apud eos Templa, & cruces cum lychnis: suus cuique vico Caciz *est instar Parochi:* Cacizes *autem nihilo magis quàm alii, scribendi legendique periti. Ne libros quidem habent ullos; tantùm precationes quasdam memoriâ tenent. Itant in Templa quater in die; de media nocte, primâ luce, inclinato in pomeridianum tempus die, & sub vesperam. Campanæ apud eos nullus usus: ligneis crepitaculis, uti apud nos sanctâ hebdomadâ assolet, populo conveniendi signum datur. Precationes quas recitant, ne ipsi quidem* Cacizes *intelligunt: quippe alienâ linguâ (Chaldæâ opinor) continentur. S. Thomam Apostolum sanctè admodùm colunt, quòd se oriundos prædicant ab iis, quos ille hisce in locis Christo peperit. - -* Cacizes *porrò nec baptizant quemquam, neque omninò quid baptisma sit, sciunt.* Hæc ille. Non pauci reperiuntur alii etiam passim nomen *Christianum* gerentes, præsertim in *Austro* & *Oriente*, valde rudes, qui etsi non per omnia illis nunc descriptis sunt similes, non tamen multùm ab iis absunt. At certè quicunque illorum parati sunt audire & accipere meliora, dum eis offerentur, longè potiori loco apud Deum habentur, quantum ad *bonum Electorum* ultimi

timi

timi temporis consequendum, quàm multi illorum, qui longè quidem pleniùs sunt illuminati, quàm dicti rudes Christiani, imò & gloriantur largâ *Evangelii* luce sibi præ aliis communicatâ, at procul sunt ab eo, ut vitam, studia, mores & affectus suos *Evangelio* conformarent. Metuant meritò (nisi maturè meliùs sapiant) *divites* (e) ejusmodi spirituales, ne *inanes* à Domino Salvatore ablegentur, dum *esurientes implebuntur bonis*. Uti enim in initiis Novi Test. factum est, sic longè pleniùs fiet adhuc ultimo tempore illud *Isaiæ*, (f) ut *inveniatur* Dominus *à* (multis) *non quærentibus* eum. Qui nempe dudum eum *non quærunt*, sed ex inexhausta Dei misericordia, admirandâ luce cœlesti eis communicandâ, subitò dehinc excitabuntur, ut quærant eum diligenter, & citò *inveniant*. Atque hi *pauperibus* illis accensendi sunt, de quibus sic prophetavit idem *Isaias*: (g) *Pauperes homines* (seu *egenissimi hominum*) *in Sancto Israël exultabunt*. Hæc occasione expositionis *duarum* partium *Ephod*, opportuno in digressu hîc dicenda erant.

LI. (6.) Per *cingulum* Ephod ejusdem cum ipso *Ephod* materiæ & texturæ, uni ejus

X extre-

(e) *Luc.* 1. *v.* 53. *collat.* 1. *Reg.* (*al.* 1 *Sam.*) 2. *v.* 5. (f) *Isa.* 65. *v.* 1. *collat. Rom.* 10. *v.* 20. (g) *Isa.* 29. *v.* 19.

extremitati assutum,(quô tum partes *Ephod* ad invicem, tum tunica *hyacinthina* cum *Ephod* atque etiam cum tunica *linea* eidem subjecta, arctiùs astringebantur,) præfigurati sunt illi ex eodem ordine dictorum celsioris gradûs *Sanctorum*, qui passim in Christiano Orbe circumeuntes, sanctèque se se diversarum partium Christianis accommodantes, suâ illâ accommodatione sanctâ & dilectionis fraternæ plenâ, nec non crebriori quâdam sollicitatione, arctiùs inter se colligaturi sunt *Christianos*, nempe & æquales cum æqualibus, & Superiores cum inferioribus, & vice versâ hos cum Superioribus; in eademque junctura continebunt. Quòd ejusdem materiæ & ejusdem texturæ fuit hoc *cingulum* cum suo *Ephod*; ultrò jam patet ex dictis ejus rei significatum: quia ejusdem ordinis cum proximè dictis futuri sunt illi Sancti *cingulum τȣ Ephod* referentes. *Noduli* etiam illi, vel *uncini* juxta *Lyranum*, sive alia, partes ambas *Ephod* hinc & inde in lateribus connectendi media, eos pariter designabant, qui ante majorem nunc dictorum operam, se se quasi medios inter partes dissentientes pro virili posituri sunt, ad conciliandam inter majoris gradûs fideles initialem saltem conjunctionem, quam alii

alii ſub duarum humeralium *gemmarum* figura (*h*) mox dicendi, potentiùs promovebunt, & per illos, qui *cingulo* reſpondent, pleniùs perficient. Ad illuſtrandum verò id, quod de *cinguli* ſignificato dixi, placet ſequentia hîc anneƈtere. S. *Gregorius* M. de *zona aurea*, (ſeu *cingulo*,) cujus Apoc. 1. v. 13. eſt mentio, ſic ſcribit: (*i*) *Zonam auream circa mamillas habere, eſt cunƈtos mutabilium cogitationum motus, per ſolius jam AMORIS VINCULA reſtringere.* Et *Pannonius* noſter de eadem *zona* ſic docet: (*k*) *Quòd præcinƈtus zonâ aureâ dicitur*, (is nempe quem S. Joannes Apoc. 1. v. 13. vidit,) *in eam ſententiam intelligi video, quòd CHARITAS religet Chriſtianam UNIONEM: unde & benè* vinculum perfeƈtionis *ipſa* charitas (*l*) *à Paulo vocatur*. Et infra etiam non multò pôſt, (*m*) *Zonam auream* dicit eſſe *charitatem, quâ electorum Eccleſia COPULATUR*. Item ait: (*n*) *In mamillis Angelus zonâ aureâ præcingitur; quia ex DUOBUS POPULIS UNA electorum ECCLESIA per CHARITATIS geminæ* (in Deum ſcil. & proximum) *vinculum collecta, CONSTRINGITUR ac CHRISTO ſociatur*. Et alibi

(*h*) S. 53. *h. cap. pag.* 327. (*i*) Moral *in Job. Lib.* 34. *cap.* 13. (*al. c.* 8.) (*k*) *Collectan. in Apoc.* 1. *v.* 13. (*l*) *Coloſſ.* 3. *v.* 14. (*m*) *Ibid.* Pannon. *in Apoc.* 1. *v.* 13. (*n*) *Ibid.*

bi de *septem Angelis linô mundô vestitis, & zonâ aureâ circa pectora præcinctis*, sic idem scribit: (*o*) *Hi verò, qui mysterium Dei prædicaturi sunt, quales esse debeant, aptè suô schemate seu habitû Angeli edocent. - - Videlicet, ut quàm mundissimi sint vitâ; CHARITATEM autem intra sinus pectoris continentes, erga Deum primùm, deinde erga proximum.* Consulat hîc, cui placet, (& Author ad manum est,) etiam Corn. à *Lapide*, Comm. in Exod. 28. v. 39. ubi post alia, duplicis etiam *zonæ* Pontificicis mysterium sic explicat: *Duplex zona Pontificis, putà, una, quâ cingebat tunicam lineam, alia, quâ cingebat hyacinthinam*, (adde & ipsum *Ephod*, & consequenter subjectas ei vestes,) *significabat duplicem CHARITATEM, duplicemque virtutum congeriem: scilicet internam pro conscientia, & externam pro ALIORUM AUXILIO & ÆDIFICATIONE.* Hæc ille. Una nempe, eademque *charitas*, quà intùs conscientiam possidentis eam tranquillat, dicitur *interna*; quà verò in effectibus externis in alios etiam exeritur, *externa*. Unde patet, quòd *cingulum* illud τοῦ *Ephod*, de quo nunc agimus, *charitatem* eatenùs significare dicitur, quatenùs hæc in effectibus se erga alios exerit. Hæc omnia ostendunt, *cingulum* in mysterio esse symbolum *chari-*

(*o*) *Collect. in Apoc.* 15. *v.* 16.

charitatis in Deum & proximum, ac per consequens Spiritûs *unionis*, & sanctæ *pacis Christianorum* habendæ ac promovendæ: quod (ratione *unionis*) perspicuè patet ex verbis *Pannonii* paulò antè memoratis. Atque huc faciunt etiam ista S. *Augustini* verba: (p) *Charitas parit unionem*; & alia ejusdem non ita pridem citata: (*) *Junctura lapidum viventium charitas est.* Unde evidenter sequitur, quòd quatenùs *cingulum* ad personas dictam *charitatem* habentes refertur, rectè de iis sanctæ *unionis* laboriosis conciliatoribus exponitur, de quibus suprà jam (q) exposui. Quibus eatenùs etiam apprimè ejus mysterium applicatur, quatenùs *cingulum fidelitatis* in *Christum* est symbolum, juxta quandam *Cornelii* à *Lap.* (r) expositionem in verbis Apostoli fundatam. Quia enim *fidelissimi* sunt tales erga Christum, ideò etiam sanctæ illi *unioni* strenuam daturi sunt operam. Ne quis autem dubitet, personis etiam posse aliquando mysterium *cinguli* applicari; præter ea, quæ supra (ʃ) hanc in rem de vestimentis spiritualibus in genere diximus, consulat locum Jerem.

(p) *Lib. de Pastorib. cap. 8. Tom. 9.* (*) *Supra S. 49. h. Cap. pag.* 319. (q) *Hôc S. p.* 322. (r) *Corn. à* Lap. *Comm. in Ephes. 6. v. 14. Confer hîc Isa.* 11. *v. 5.* (ʃ) *S.* XXXIV. *h. cap. pag.* 282.

13. v. 1. & 11. de *lumbari* quodam, seu *cingulo*.

LII. Porrò, cùm certis hîc personis mysterium *cinguli Ephod* quantùm ad *charitatem* applicamus, ex hoc non sequitur, alios Sanctos eximios sub *Ephod* vel sub *Rationali* præfiguratos, non habituros excellentem illam *charitatem* unitivam; sed hoc tantùm inde sequitur, quòd certis personis (jam descriptis, unà cum principalibus quibusdam, mox sub alio symbolo indicandis,) opus illud sanctæ *unionis* laboriosè agendum incumbet, cæteris sincerô consensû ad eorum opus piè conspirantibus. Ad ulteriora jam progrediamur.

LIII. (7.) *Duo* insignes *lapides* pretiosi, scil. *Onychini*, vel *Sardonyches* juxta Josephum, (aliis (s) *Smaragdi*,) hinc & inde in humeris τȣ̃ *Ephod* auro inclusi, partesque *Ephod* ibidem instar fibularum (mediante aurô) sibi invicem jungentes, ac singuli sena filiorum *Israël* nomina (h. e. in universum duodecim) sibi insculpta habentes; convenientissimè *duos* insignes S. Ecclesiæ Duces futuros significant, (uti & in initio Novi Testamenti erant S. *Petrus* & S. *Paulus*,) qui tanquam radix, basis & exemplar

(s) *Ita LXX. Interpr.*

emplar erunt *Israëlitarum* latentium, per *veram* ad Dominum conversionem in dies manifestandorum. Atque hi, ut primi ante alios noscent veros in Christianismo *Israëlitas*, primique in dies detegent, sic magni etiam erunt eorundem fautores & promotores, ac consequenter aliorum etiam ex eadem Natione strenui perquisitores, & ad Dominum Salvatorem adductores. Quod significatur per hoc, quòd iidem *lapides* duodecim Patriarcharum *Israëlis* nomina hinc & inde in se habebant sculpta. Dum verò illos *exemplar* aliorum futuros dico; per hoc insinuo, eos primariò & vel maximè in singulari quadam *pœnitentia* fore aliorum exemplar: nec enim aliter *Israëlitæ* inter *Christianos* occulti manifestabuntur, (uti & supra (*t*) insinuavi,) quàm per singularem *pœnitentiam* & *conversionem* ad Deum. Atqui hôc modô aliis *exemplar* fore, nullis aliis magis convenit, quàm *duobus Testibus* venturis, quales à me in *Clavi Prophet.* (*u*) sunt descripti: de quibus inter alia Sacer Codex tradit, quòd (*v*) *saccis amicti* prophetabunt. Quæ phrasis quid significet, exposui in eadem (*x*) *Clavi.*

 Si-

(*t*) *Ad Quæst.* 2. *S.* 59. & 60. *cap.* 3. *pag.* 167. & 168. *collat. pag.* 213. (*u*) *Pag.* 101. & *seq. usque ad pag.* 150. (*v*) *Apoc.* 11. *v.* 3. (*x*) *Pag.* 140. & 141.

Situs etiam eorum (y) in *humeris* nostri Summi *Pontificis* id denotat, quòd tanquam (z) *oves* errantes, per eundem ut bonum (a) Pastorem (b) *requisiti* sunt, & in (c) *pascuis uberrimis* constituti. Præterea situs ille, est etiam figura manifestæ prædicationis eorum, quòd in locis eminentioribus audietur passim sermo & doctrina eorum, in auribus nempe potentiorum & validiorum, qui sunt quasi (d) *humeri* in Ecclesia Dei. Huc facit illud, Prov. 8. v. 1. 2. *Numquid non Sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam; in SUMMIS excelsisque VERTICIBUS* &c. Et quia *in humeris* Domini *portari*, est singulare gratiæ Divinæ testimonium; (juxta Deut. 32. v. 11. uti S. *Hieronymus* post LXX. rectè sensum vocis Hebr. illic expressit;) procul dubio etiam hoc significatur situ illô, quòd Dominus Deus suscitabit cum tempore Potentes quosdam è suo populo, qui subsidiô & patrociniô suô validè assistent dictis *duobus Testibus*, eorumque Sociis & imitatoribus. Sed perinde hi non oneri, imò potiùs decori futuri sunt illis, uti olim *duæ gemmæ*, non oneri, sed decori fuerunt Pontifici in *humeris*

(y) *Luc.* 15. v. 5. (z) *Ibid.* v. 4. & *Matth.* 18. v. 12.
(a) *Joan.* 10. v. 14. (b) *Ezech.* 34. v. 11. (c) *Ibid.* v. 14.
(d) *Vide Isa.* 9. v. 6. Principatus super humerum ejus.

meris ejus. Cur verò sub figura tam insignium *lapidum* pretiosorum hi significentur, per se satis patet eruditis; ob præstantiam nempe & dignitatem eorũ spiritualem; eô modô, quo & in Apocalypsi *fundamenta* muri novæ *Jerusalem*, ex duodecim *lapidibus pretiosis* dicuntur esse, & *duodecim* ejus *portæ* ex totidem *margaritis*. Apoc. 21. v. 19. 20. 21. Qui ex natura & facultatibus *Sardonychis*, vel *Onychis* (vel etiam *Smaragdi*) vult ulteriorem de dictis *Testibus* habere illustrationem, eum hîc studiô brevitatis ad Authores illos relego, qui de *gemmarum* & *lapidum* natura scripserunt, ac proximè ad *Boëtium* de *Boot*, Rudolphi II. Imp. quondam Medicum.

LIV. Quòd item aurô sibi (pro basi) substratô, fibularum vice jungebant *duo* illi *lapides* binas hinc inde extremitates *Ephod* sibi invicem; per hoc præfiguratum est, quòd iidem *duo Testes* futuri essent primarii sanctæ illius Christianorum (inprimis præcipuorum & eminentiorum) *unionis*, de qua jam (*e*) dixi, conciliatores & promotores, & quidem per sapientiam à Filio Dei accipiendam, (*auro* nempe respondentem,) cui tanquam basi insisterent, & quâ undique munirentur. Nec obstat huic expositio-

(*e*) §. 48. 51. 52. h. cap. pag. 317. 325. & 326.

sitioni, quòd locus *duorum Testium* etiam in *Rationali* (seu *Pectorali*) invenitur; ut paulò pòst (*f*) dicemus. Nam & *duo Testes* gradatim procedent ad majora; atque sic quatenùs ad majorem suo in munere progredientur cum tempore perfectionem, (succedentibus interim aliis ejusdem Spiritûs in priorem ipsorum locum,) eatenùs in *pectore* etiam Summi nostri Pontificis convenientissimè locum habebunt. Sic fiet, ut *duo* illi *Testes* diversô respectû, diversa etiam loca in mystico Christi corpore occupent & specialiùs exornent; quorum tamen labor totius illius corporis ædificationi inserviet.

LV. Quòd autem S. *Hieronymus* quibusdam suis verbis (*g*) *Christum & Ecclesiam duodecim Apostolorum*, (h. e. *Ecclesiam* Novi Test. Christi & Apostolorum prædicatione fundatam & erectam,) per hosce *duos lapides significari* docet; non difficulter hæc etiam expositio cum nostra sententia conciliari potest, si dicamus, *Christum & Ecclesiam* ultimi temporis, Ecclesiæ primitivæ in Spiritu & virtute responsuram fore certô sensû in mysticis illis *lapidibus*, seu *duobus Testibus*. Christus enim habitabit in ambobus illis,

(*f*) §. 63. 64. *h. cap.* (*g*) *Epist.* 128. *ad* Fabiol. *Confer* Bedam *Tom.* 4. *Expos. in Exod. cap.* 28.

illis, longè pleniùs quàm in aliis Sanctis; & insuperEcclesiæ ultimi temporis ex *Israëlitis* & consequenter ex aliarum etiam Nationum electis, verè ad Dominum convertendis ædificandæ, ampliandæ, in *unitatem Fidei* congregandæ, & plenâ *Sanctitate* exornandæ, illi erunt (unà cum præcipuis laborum suorum Sociis) radix, basis & exemplar, imò Seminarium quoddam; ideò virtualiter totam in se *Ecclesiam* illam repræsentabunt. Si quis item cum V. *Beda* dicat, (*h*) *duos populos* Ecclesiæ, *Gentilem* nempe & *Judaicum* intelligi per *duos* illos *lapides*; non magno cum labore ex hactenùs dictis, hujus etiam expositionis aliqua conciliatio cum nostra invenietur, sumptô hîc *Judaicô*, in genere pro *Hebraico*, & prærogativâ quâdam ultimo etiam tempore, ad exemplum Ecclesiæ primitivæ & Apostolicæ, *Hebræorum* electis dandâ; quod & Cornel. à *Lapide* (*i*) agnoscit ac docet. Ita etiam altera illa S.† *Hieronymi*, & post eum (*k*) *Bedæ* quoque expositio, quòd *duo* illi *lapides Literam & Spiritum* (præsertim *Legis*) significent, hôc modô cum nostra conciliatur, si dicatur; quòd & *Literalem* & *Spiritualem* to-

(*h*) Beda *cit. Exposit. in Exod. cap. 28.* (*i*) *Comm. in Apoc. 7.* † *Cit. Epist. 128.* (*k*) Beda *cit. Exposit. in Exod. cap. 28.*

totius Scripturæ sacræ, (ac specialiùs *Mosaicæ*) sensum longè pleniùs & exactiùs, quàm unquam hactenùs factum est, *duo* illi *Testes* detecturi & explanaturi sunt. Hæc de *duobus* illis *lapidibus*.

LVI. (8.) Per *Rationale* (seu *Pectorale*) ipsi *Ephod* arctâ conjunctione applicatum, ejusdemque materiæ, & eorundem colorum cum *Ephod*, at insuper 12. *lapidibus pretiosis* ordine quadruplici ornatum, præfigurati sunt quidam inter alios planè *excellentissimi* ultimi temporis *Sancti*. Futuri nempe sunt & alii non pauci *excellentes* ultimo tempore *Sancti*; ut ex mystica *Ephod* significatione jam exposita patet: at verò hi per *Rationale* & ejus *gemmas* auro inclusas, ut & per *Urim* & *Thummim* eidem impositos præfigurati; erunt omnium *excellentissimi* in cœlesti sapientia & sanctitate. Quàm excellentes, quàmve Christo Domino chari futuri hi sint; vel ex situ quoque *Rationalis* colligi potest; quòd nempe *pectori* Sacerdotis Summi è regione *cordis* fuerit applicatum. Quòd *duodecim* fuerunt illi *lapides*; procul dubio in ejus numeri figura ad hoc fuit respectum, quòd uti olim *duodecim* erant *Principes* seu *Patriarchæ* tribuum veteris populi *Israëlitici* secundùm carnem; (scil. ipsi 12. filii *Israël*;) sic *excellentissimi* hi

San-

Sancti, qui per 12. *lapides* pretiosos *Rationali* annexos significantur, erunt in spiritualibus Principes & Patriarchæ *Israëlitarum* 12. tribuum ad Dominum Salvatorem verè convertendorum, & proximè illorum per veram resipiscentiam & sanctitatem manifestandorum, qui jam in medio *Christianismi* sub nomine *Christiano* dispersi latent; ut sic tum *duodecim* filiis *Jacob*, tum præcipuè *duodecim Apostolis* in *Spiritu* & *virtute* respondeant. Hoc declarant ipsa nomina singulorum Jacob seu *Israël* filiorum, in singulis illis *lapidibus* ordine suo sculpta. Dum verò tum hîc, tum supra (*l*) in descriptione *duorum lapidum* humeris appositorum, tam expressè ponuntur *nomina* duodecim filiorum *Israël*; per hoc infallibiliter ostenditur, (juxta observationem supra (*m*) non semel positam,) proximè & *primariò* ad populum origine veteri ac literali *Israëliticum*, utriusque hujus figuræ (*duodecim* nominum) mysterium pertinere; ad aliarum autem *Nationum* electos *secundariò* & consequenter, quatenùs sanctitati futuræ *Israëlitarum*, ut exemplari suo conformabuntur. An non porrò per geminam hanc, & cum quadam diversitate repetitam

(*l*) *§. 53. h. cap. pag.* 326. & 327. (*m*) *Cap. 3. §.* 29. 31. 63. & 73. & *cap.* 4. *§.* 3. *p.* 87. 95. 174. 194. 216.

tam figuram nominum *duodecim* filiorum *Israël*, (quæ bis ſumpta faciunt 24.) implicitè nobis inſinuetur, quòd ultimis temporibus futuri ſunt pro utroque *Israële* (ſcil. & literali ſimul & ſpirituali, (*n*) & ſolùm ſpirituali) dirigendo & paſcendo *viginti quatuor Seniores* (ſub *uno* tamen magno *Paſtore viſibili*) ad exemplar cœleſtis illius viſi, quod vidit S. *Joannes* Apoc. 4. v. 4. præſertim cùm iidem *Seniores* viſi, unà cum *quatuor animalibus* myſticis, non obſcurè ſuis quibuſdam verbis indicent, *futurum* aliquid latere in eorum ſchemate, dum ajunt : (*o*) *Et REGNABIMUS ſuper terram*; qui ſimul etiam typo veteri 24. *Principum* (*p*) Sacerdotalium reſponſuri ſint ; hoc ulteriori nunc diſquiſitioni relinquo. Sufficiat hâc vice eruditis ad expendendum inſinuâſſe. Certè hæc dictarum figurarum (ut & totius *Ephod*, & ei adjuncti *Rationalis*) myſteria, tam profunda, tamque admiranda ſunt, ut ante tempus plenioris earum implementi, generalibus ferè tantùm expoſitionibus earundem contenti eſſe debeamus. Spe-

(*n*) *Vide hanc diſtinctionem ſupra cap. 3. §. 28. & 29. p.* 86. *&* 87. (*o*) *Apoc.* 5. *v.* 10. *Inſuper* futura *ſignificari in ſchemate 24. Seniorum, & 4. animalium ; patet etiam ex verbis illis, Apoc. 4. v.* 1. Oſtendam tibi, quæ oportet fieri POST HÆC. (*p*) 1. *Paral.* 24. *v.* 4. 5. 7. 8. *uſque ad v.* 18.

Specialiora autem & evidentiora harum ſignificata tunc patebunt, quando ipſa *Reſtitutio Iſraëlis* per *Hoſeam* prædicta, in effectibus jucundis (quibuſdam ſaltem) ſenſibiliter aderit.

LVII. Et ſanè vel ſola conſideratio tantæ tamque hactenùs obſcuræ profunditatis myſteriorum *Ephod* & ſui *Rationalis*, unicuique perſuadere poteſt ac debet, dicti *Ephod* & ei juncti *Rationalis* ſpirituale ſignificatum plenum & exactum, in ultima tempora pertinere. Quis enim hactenus eorum myſteria ita detexit, ut poſſimus dicere, plenè jam illa patere Eccleſiæ Dei? Ipſe magnus ille Doctor, magnumque Eccleſiæ Catholicæ lumen, S. *Hieronymus*, dum ex inſtituto eruditum ſcriberet Tractatum de *Veſtitu Sacerdotum*, contentus eſt paucis ac generalibus verbis iſta de myſteriis *Rationalis* dixiſſe: (q) *Hoc Rationale duplex eſt, apertum & abſconditum, ſimplex & myſticum, duodecim in ſe lapides habens, & quatuor ordines; quos quatuor puto eſſe virtutes, prudentiam, fortitudinem, juſtitiam & temperantiam, quæ ſibi hærent invicem; & dum mutuò* (†) *miſcentur, duodenarium efficiunt; vel quatuor animalia, quæ in Apocalypſi deſcribuntur* (r) plena oculis, *& Domini*

(q) *Epiſt.* 128. *ad* Fabiolam. (†) *Scil. dum terni quatuor ordinum lapides ad invicem adduntur.* (r) *Apoc.* 4. *v.* 6. 7.

mini luce radiantia Mundum illuminant. In uno quatuor, & in quatuor singula. Unde & δήλωσις & ἀλήθεια, id est, manifestatio *vel* doctrina, & veritas *in pectore Sacerdotis est. Cum enim indutus quis fuerit veste multiplici, consequens est,* veritatem, *quam corde retinet, sermone proferre; & ob id in Rationali* veritas *est, id est, scientia, ut noverit quæ dicenda sint; &* manifestatio *atque* doctrina, *ut possit instruere alios, quod mente concepit.* Huc referenda sunt etiam paucula illa ejus verba, jam supra (*f*) ex ipso memorata: (*s*) *Hos lapides in diademate Principis Tyri, & in Apocalypsi Joannis legimus, de quibus extruitur cœlestis Jerusalem.* &c. Hæc quanquam nimis generalia sunt; attamen eruditis lumen aliquod possunt suppeditare de futuris. Taceo hîc id, quod ipse unicè ex mente & traditione Judæorum (longè prioribus obscuriùs) refert de mysteriis *Rationalis*, verbis illis: (*t*) *Rationale in medio* (pectore) *positum, terram edisserunt;* (nempe Judæi;) - - *duodecim lapides, vel Zodiacum interpretantur circulum, vel duodecim menses,*&c. Sic undique patet, mysteria eorum, quæ nunc tractamus, de pleno suo implemento in ultima tempora spectare.

LVIII. *Duplicatio* materiæ *Rationalis*, significat fortiores adhuc & munitiores Spiritû

(*f*) §. 29. b. cap. p. 273. (*s*) cit. Epist. 128. (*t*) Ibid.

tû fore *Sanctos* per *Rationale* præfiguratos, per *Ephod* præfiguratis; tametsi hi quoque excellenter Sancti erunt. Quòd per omnia ejusdem texturæ, ejusdemque materiæ & colorum eorundem cum *Ephod* fuit *Rationale*; (de *lapidibus* ejus hîc non loquimur;) per hoc significatum est, quòd *Sancti* ipsô *Rationali* quantum ad textam ejus materiam (absque aliis ejus accessoriis) præfigurati, in se & per se ejusdem gradûs priùs futuri sunt, cujus & *Sancti* per *Ephod* præfigurati; sed per hoc, quòd in receptaculum & quasi domicilium longè majorum adhuc *Sanctorum* per *duodecim* ejus *gemmas*, perque *Urim* & *Thummim* præfiguratorum assumentur à Deo, (tunc enim vel maximè *ibunt* Sancti (u) *de virtute in virtutem*,) virtutes etiam eorum supra alios illos augebuntur, & quidem (ut valde probabile est) in *duplum*, ob dictam *duplicationem*, vel etiam ultra *duplum*, ex eo, quòd in ipso *pectore* mystico erunt.

LIX. Quòd item non contextum est integrum *Ephod*, ut ejus pars quædam è regione *pectoris* ad formam quadratam cum materiæ duplicatione certis lineis pro futuro *Rationali* & *gemmis* duodecim unà cum *Urim* & *Thummim* in eo ponendis, distincta

(u) *Juxta Psal.* 83. (*al.* 84.) *v.* 8.

fuisset; neque etiam frustulum aliquod duplicatum & variè ornatum toti *Ephod* (absque *vacuo*) supernè applicatum est ; sed (quod de situ & forma meritò mirandum est,) *vacuum* quoddam quadratum in *Ephod* è regione pectoris ipsi *Rationali* adæquatum pro eodem illic locando est relictum, atque etiam in eodem *vacuo* fuit ipsi *Ephod* arctè conjunctum; per hoc significatum est, discrepantiam quandam (ad minùs opinionum quarundam & externæ communionis Ecclesiasticæ) futuram ad tempus inter hos & illos Sanctos, (inter eos nempe qui per *Ephod*, & eos qui per *Rationale* præfigurati sunt,)antequàm ad altioris sapientiæ & sanctitatis culmen per arctam suî conjunctionem mutuam à Deo assumerentur. Quando Deus suos electos & virtutibus præ aliis excellentiores, hinc inde ex diversis partibus Christianismi nunc inter se dissidentibus ad sanctam *unionem* adducet, & in *unum ovile* congregabit, tunc patebit plenè & perspicuè mystica ratio tam admirandæ structuræ *Rationalis*, divisim nempe ab *Ephod* facti, & *gemmis* exornati, ac deinde eidem in spatio *vacuo* uniti, & post unionem, *Urim* & *Thummim* instructi.

LX. Quòd exactè *quadratum* fuit *Rationale*,

nale, per hoc convenienter ſignificatum eſt, quòd *Sancti* per *Rationale* & ejus gemmas, ac per *Urim* & *Thummim* præfigurati, exactiſſimam inter ſe habituri eſſent correſpondentiam, convenientiam & concordiam; eò quòd *quadrati* omnia latera ſunt ſibi æqualia, & pariter omnes ejus anguli ſunt æquales & recti. Atque hinc *nova* etiam *Jeruſalem* in figura *quadrata* viſa eſt à S. *Joanne*, æqualis nempe longitudinis & latitudinis. Apoc. 21. v. 16. Unde haud incongruè colligere poſſumus, ſignificari hâc formâ quadratâ *Rationalis* etiam hoc, quòd *Sancti* illô præfigurati, initium & parvum quoddam Seminarium erunt *novæ* illius (v) *Jeruſalem* (ſeu Eccleſiæ ſanctiſſimæ & florentiſſimæ) in terris demùm extruendæ: quod vel ipſa gemmarum *Rationalis* & *novæ* illius Civitatis inter ſe collatio docere nos poteſt. Quam in rem lucem aliquam nobis præbent verba etiam S. *Hieronymi* de iiſdem gemmis ſupra jam (x) memorata. Quantitas hujus *Quadrati* (Rationalis) tam in longitudinem, quàm in latitudinem unius *ſpithamæ*, (ſeu palmi majoris;) videtur nobis myſticos Domini (y) *digitos* (h. e. in-

(v) *Vide S. Hieron. Comm. in Iſa.* 54. *v.* 11. & *confer.* Clavem *meam* Prophet. *pag.* 187. & 263. (x) §. 29. & 57. *b. cap. pag* 273. & 336. (y) *Vide de his myſticum ſenſum Pſal.* 143. (*al.* 144.) *v.* 1.

c. insignes operarios, strenuosque bellatores spirituales) *Spiritû* Sanctô plenissimè implendos, ac modis omnibus ad Apostolicum chorum conformandos præsignificare; parvos quidem in se, sed per *Spiritum* Domini (qui (z) *digitus Dei* in Codice Sacro dicitur,) potentissimos futuros. *Spithama* enim est *duodecim* digitorum; qui numerus est etiam *gemmarum Rationalis*. Unde si idem numerus pro ratione radicis quadratæ figuræ in se ducatur, (vel latera longitudinis & latitudinis ejusdem *quadrati* ducantur in se invicem, quod idem est,) fiunt 144. scilicet pars millesima numeri 144000. *numeri* nempe *signatorum*, Apoc. 7. v.4. vel *primitiarum Deo & Agno* sacratarum; Apoc. 14. v. 1. 4. ut sic unusquisque ex 144. consideretur instar *Chiliarchæ* futurus in agmine suo *millenario*, qualis fuit *David* ad tempus in exercitu *Israëlitico*: 1. Reg. (al. 1. Sam.) 18. v. 13. Tanta saltem cognatio quantitatis *spithamæ*, hoc est, *duodecim digitorum*, & totidem in spithamali quadrato *gemmarum* cum numero 144. & per consequens cum 144000. non potest esse sine magno mysterio in respectu ad cap. 7. Apoc. v. 4. & cap. 14. v. 1. 2. 3. & 4.

LXI. De *lapidibus Rationalis* in superioribus

(z) *Luc.* 11. *v.* 20. *collat. Matth.* 12. *v.* 28.

bus (*a*) diximus, quantum potuimus, vel ſaltem generaliter. Ordo *quadruplex* eorundem ſignificat, tum in genere optimum futurum *ordinem* inter *excellentiſſimos* ultimi temporis *Sanctos*; tum etiam certum *ordinem* (& fortè quadruplicem,) differentiæ graduũ inter eoſdem exſtiturum. Sed quòd in unoquoque ordine *terni* fuerunt *lapides*; an non per hoc ſignificatum eſt, quòd omnes illi *Sancti* per quatuor ordines *lapidum* præfigurati, altiſſimum SS. *Trinitatis* myſterium Orbi Chriſtiano ſufficienter & ad plenam ſatisfactionem detecturi ſint, (ut nullus deinceps electis de eo ſcrupulus remaneat,) meritò disquiri poteſt. Annon etiam hâc figurâ *ternorum* in quatuor ordinibus *lapidum*, hoc quoque nobis inſinuetur, quòd quater *trium* magnorum virorum, (qui ſic *ternô* numero in Codice ſacro cum laude memorantur,) videlicet, (*b*) *Abrahami*, *Iſaaci* & *Jacobi*; item, *trium* (*c*) *robuſtiſſimorum* Principum militarium *Davidis*; item *trium* illorum ut juſtiſſimorum, nominatim per Ezechielem (*d*) expreſſorum, ſcil. *Noë*, *Daniel* & *Job*; nec non trium Danielis ſociorum, utpote, (*e*)

(*a*) *S.* 56. 57. *b. cap. p.* 333. 336. (*b*) *Exod.* 2. *v.* 24. & 3. *v.* 6. 15. 16. & 4. *v.* 5. & 32. *v.* 13. & *Deut.* 1. *v* 8. & *ſæpiùs paſſim.* (*c*) 2. *Reg.* (*al.* 2. *Sam.*) 23. *v.* 8. 9. 17. 18. 19. 1. *Paral.* 11. *v.* 12. 15. 18. 19. &c. (*d*) *Ezech.* 14. *v.* 14. (*e*) *Dan.* 3. *v.* 12. & *ſequ.*

Sidrach, *Misach* & *Abdenago*, in fornace ignis ardentis gloriosissimè servatorum *Spiritus* & omnes *virtutes* plenissimè aderunt in *Sanctis* illis, per duodecim *lapides* dictô ordine positos præfiguratis; meritò quæro, & in partem affirmativam non sine ratione probabili inclino. At nunc sufficiat eruditis ad ulteriorem expensionem paucis hæc indicâsse.

LXII. *Aurum*, quô *lapides* illi fuerunt circumclusi, significat cœlestem dictorum Sanctorum *sapientiam*, (uti & (*f*) supra,) quâ firmiter fulciendi & muniendi stabunt & durabunt prosperè in ornanda & ædificanda S. Ecclesia. *Annuli* etiam *aurei* & *catenulæ* cum *uncinis* pariter aureis, jungendo *Rationali* cum *Ephod* inservientes, significant hujus & illius gradûs Sanctorum *sapientiam* illam omnes Mundi scientias immensô intervallô superantem, quâ *Sancti* isti & illi, superioris nempe & inferioris ordinis, tam arctè inter se jungentur, & tam perseveranter in illa junctura tenebuntur, ut nullam Diabolus invenire possit artem, quâ ampliùs inferiores à Superioribus seu Primoribus Ecclesiæ separet, & aliquod inter eos dissidium procreet.

LXIII. Per *Urim* & *Thummim* cavitati dupli-

(*f*) *S*. 54. & 56. *hôc cap. pag*. 329. & 332.

plicitatis *Rationalis* impositos, præfiguratum est, (1.) quàm plenissimè exornandi essent *Sancti* nunc memorati *lumine* cœlesti (cum *ardore* spirituali juncto,) & *perfectione* sanctitatis, inprimis fidelitatis ac sinceritatis in Deum & proximum. Una enim ratio, cur plurali numerô hæc nomina in textu Hebraico efferantur, (scil. *Urim* & *Thummim*,) hæc est, ut excellentia (seu gradus summus) rei illis vocibus significatæ insinuetur: quod post alios rectè observavit *Spencerus*, atque etiam notavit pro consuetudine linguæ Hebraicæ loca, (*g*) Psal. 9. v. 9. במשרים, *In rectitudinibus*; Item Jos. 24. v. 14. בתמים, *in integritatibus*, & Isa. 26. v. 7. מישרים, *rectitudines*. Alia ratio pluralis numeri τῶν *Urim* & *Thummim* paulò pòst (*h*) dabitur. Sub *lumine* autem (seu sub *luminibus* vel *illuminationibus*) hîc omnis *doctrina*, prudentia & sapientia Sanctorum memoratorum, quam ex cœlesti *lumine* affluentissimè habituri sunt, subintelligitur; & sub nomine (*i*) *perfectionis* vel *perfectionum* (seu, sub *Thummim*) omnis *veritas* in cogitatis, dictis & factis, & per

(*g*) Spencer. *de Legib. Hebr. Lib.* 3. *pag.* (*mihi*) 417.
(*h*) *§. 64. hôc cap.* (*i*) *Expende hîc loca juxta text. Hebr.* Job. 1. *v.* 1. *&* 2. *v.* 3. *Gen.* 17. *v.* 1. *Psal.* 18. (*al.* 17.) *v.* 24. *&* 19. (*al.* 18.) *v.* 14. *&* 37. (*al.* 36.) *v.* 18. *&* 64. (*al.* 63.) *v.* 5. *&* 84 (*al.* 83.) *v.* 12. *&* 101. (*al.* 100.) *v.* 2.

consequens, omnis *veracitas, fidelitas, integritas*, ac *sinceritas* in Deum & homines comprehenditur. Ubi autem hæc adsunt, ibi adest etiam plena sanctitas. Non fallimur, si *Urim* & *Thummim* significatum mysticum conferamus cum verbis illis Psalmistæ: (k) *Emitte* (Domine) *LUCEM tuam, & VERITATEM tuam.* Ipsa *perfectio* per *Thummim* significata exprimitur etiam verbis illis ejusdem Psalmistæ, juxta text. Hebræum: (l) *Perfectio & rectitudo custodiant me.* Ubi tamen implicitè etiam ipsum *Urim* significatum subintelligitur; eò quòd *Thummim* significatum in Sanctis inseparabile est à significato *Urim*; eô scil. modô, quo *Urim* & *Thummim* fuerunt sibi invicem indivulsè conjunctissimi. Nunquam enim quispiam habere potest excellentem illam *perfectionem*, quæ per *Thummim* significatur, nisi habeat etiam largissimum illud *lumen* cœleste, quod per *Urim* designatur. Ex his jam patet, quàm benè quoad sensum & scopum etiam versio illa Vulgata & antiqua stare hîc potest & debet, (uti & supra (m) jam insinuavimus,) quâ duo hæc vocabula *Urim* & *Thummim*, (post LXX.) vertuntur, *Doctrina* & *Veritas*. Uti enim *lumen* illud largissi-

(k) *Psal.* 42. (*al.* 43.) *v.* 3. (l) *Psal.* 25. (*juxta Hebr.*) *v.* 21. (m) *S.* XXXII. *h. cap. p.* 280.

gissimum per *Urim* significatum hunc finem habet, ut per id *doctrina* illa ampla & sublimis, quæ paulò antè est memorata, Sanctis conferatur; sic *perfectio* & *integritas* ex vi vocis *Thummim*, paulò antè descripta, non raro in Scripturis voce *Veritatis* (Hebr. אמת, *Emeth*,) largô sensû acceptæ exprimitur. Vide 1. Reg. (al. 1. Sam.) 12. v. 24. & 4. (al. 2.) Reg. 20. v. 3. collat. Isa. 38. v. 3. Psal. 42. (al. 43.) v. 3. & 50. (al. 51.) v. 8. & 144. (al. 145.) v. 18. & Prov. 8. v. 7. Isa. 16. v. 5. & 26. v. 2. & 59. v. 14. 15. & Dan. 8. v. 12. Zach. 8. v. 3. Conf. Eph. 6. v. 14. & Isa. 11. v. 5. juxt. LXX. Hæc pro concilianda veteri versione cum significatis *Urim* & *Thummim*, congruo cum digressu insinuanda hîc erant, dum in genere de *Sanctorum* ultimi temporis per *gemmas* præfiguratorum magnis virtutibus per *Urim* & *Thummim* significatis, ista diximus.

LXIV. (2.) Quoniam verò ex *Sanctis* ultimi temporis *duo* erunt maximè insignes & illustres, nimirùm ipsi (*n*) *duo Testes*, qui & (*o*) *duæ olivæ* & *duo candelabra* dicuntur; atque etiam Res illa divina & sacratissima, quæ duplicitati *Rationalis* fuit imposita, *duobus* nominibus (significationum in Sanctis ab invicem inseparabilium, scil.

(*n*) *Apoc.* 11. *v.* 3. (*o*) *Ibid. v.* 4. *collat. Zach.* 4. *v.* 14.

ſcil. *Urim* & *Thummim*) exprimitur; (Exod. 28. v. 30. Lev. 8. v. 8. Deut. 33. v. 8. 1. Esd. 2. v. 63. & 2. Esdr. ſeu Nehem. 7. v. 65.) inde non ſine ratione colligo, ſpecialiùs etiam *duorum Teſtium* venturorum excellentiſſimas virtutes, ſeu largiſſimum *lumen* ſcientiæ, & perfectiſſimam vitæ & actionum *ſanctitatem* dictis vocabulis, *Urim* & *Thummim* præfigurari. Atque in iiſdem patebit & hoc, cur *Urim* & *Thummim* ad hoc olim inſervierint, ut Pontifex illis (in ſuo *Rationali*) inſtructus, in dubiis & arcanis in publicum bonum noſcendis à Deo dirigeretur. Illi enim erunt, per quos Dominus Deus (utpote illuminatiſſimos & ſanctiſſimos viros) omnia Scripturæ S. arcana in dies deteget, & optimum ſuo Populo conſilium in omnibus ejus neceſſitatibus ſuggeret. Primarium autem ea in re laborem primasq; partes habebit unus eorum, qui nomine *Eliæ* venit in Scripturis. (De ambobus hiſce videat pleniùs Lector in *Clavi* mea *Prophet.*) In iiſdem manifeſtabitur ejus quoque rei myſterium, cur non ullâ humanâ arte & operâ Deus uſus fuiſſe legatur in faciendis *Urim* & *Thummim*. Abſque dubio non improbanda ratio hæc eſt; quia in *duobus* illis ſingularis planè Divinæ Chriſti Domini Majeſtatis præſentia (*Schechina* dicta)

dicta) erga Populum Christianum apparebit: ut mox pleniùs intelligi poterit ex *tertio* puncto (*p*) de mysteriis *Urim* & *Thummim* ponendo. Quòd item, intra cavitatem *duplicaturæ* Rationalis fuerunt reconditi *Urim* & *Thummim*, (ut hoc jam eruditi ingeniosè (*q*) observârunt, tum ex consideratione finis & usûs illius *duplicaturæ*, tum ex verbis quibusdam Scripturæ, Exod. 28. v. 30. collat. Lev. 8. v. 8.) cùm tamen *gemmæ* duodecim in pectore (in exteriori nempe *Rationalis* parte) eminerent, probabiliter per hoc significatum est, *primò*; quòd tanta *duorum Testium* spiritualis & cœlestis excellentia, quantam habituri sunt, non statim cuilibet fidelium publicè nosceretur, sed solummodò insigniter eruditis & magnis Sanctis; ita ut, plurimis illi absque specialis eorum muneris notitia, sub communi tantùm aliorum magnorum Sanctorum nomine quasi latentes futuri essent. Sed *secundò*, specialis etiam Dei erga illos providentia prævié per id significata est; quòd nempe tot eximiis *Sanctis* per *gemmas* designatis velut vallati custodirentur in abscondito. Unde jam alte-

(*p*) *S. LXV. h. cap.* (*q*) *Vide in hanc rem præ aliis* Ariam Montan. *in suo* Aaron, *pag. 5. ibi*: Inter utramque partem, Urim & Thummim inferebantur, *&c.*

altera quoque & plenior (præter supra (*r*) dictam) ratio myſtica *duplicaturæ* Rationalis patet. Pluralis etiam numeri τῶν *Urim* & *Thummim* ratio, præter ſupra (*ſ*) indicatam, altera myſterio congruentior ex dictis hæc eſſe colligitur: quia *illuminationes* & *perfectiones* illæ excellentiſſimæ per *Urim* & *Thummim* ſignificatæ, pluribus Sanctis communicandæ & (*juxta* (*t*) *menſuram donationis Chriſti*) quaſi dividendæ ſunt pro ultimo tempore: primò quidem *Sanctis* in genere per *duodecim lapides* deſignatis; ſed ſecundò ſpecialiùs & pleniùs *duobus Teſtibus*; à quibus ut miniſtris, Chriſtô in ipſis operaturô, in alios etiam proportionaliter derivabuntur. Cur etiam Rationale *gemmis* atque *Urim* & *Thummim* ornatum, *pectori* Pontificis è regione *cordis* fuerit applicatum, ex dictis patere jam poteſt. Quia nimirum *Sancti* illi hîc deſignati, erunt Deo planè dilectiſſimi, ſeu, viri *ſecundùm cor* Dei, uti de *Davide* dictum eſt, 1. Reg. (al. 1. Sam.) 13. v. 14. & Act. 13. v. 22. & uti de quibuſdam prædicitur, Jer. 3. v. 15. *Dabo vobis Paſtores juxta cor meum*: quales erant Apoſtoli & eorum vitæ ac doctrinæ ſequaces; & quales erunt ultimô etiam tempore *duo* *Te-*

(*r*) *S. LVIII. b. cap pag.* 336. & 337. (*ſ*) *S. LXIII. b. cap. pag.* 343. (*t*) *Ephes.* 4. *v.* 7.

Testes, eorumque Socii & imitatores. Hæc eatenùs de *Urim* & *Thummim* dicta sunt, quatenùs eorum significata *duobus Testibus*, atque etiam aliis *Sanctis* eximiis sunt applicabilia.

LXV. At verò (3.) quandoquidem omnis veterum Sacerdotum typicus ornatus (unà cum similibus typis) suâ præfiguratione in *Christum* Dominum, ut finem Legis & Prophetarum tendebat, ac per consequens etiam mystica τῶν *Urim* & *Thummim* significatio primariò ac principaliter in eodem terminatur; inde sequitur, quòd excellentissimæ illæ virtutes per *Urim* & *Thummim* significatæ, non aliter erunt in *duobus Testibus* & aliis *Sanctis* memoratis, quàm ex hoc fundamento; quia ipsemet *Christus* Dominus plenissimè habitabit in iis, præsertim in *duobus Testibus*, eosdemque suô Spiritû & virtute cœlesti potentissimè muniet: ita ut nihil futurum sit in illis, quod *Christum* non saperet, & quod *Christus* non ageret in eis. (Conferantur hîc plenioris causâ lucis etiam illa, quæ dicta sunt supra Paragr. 64. & 55. Resp. ad hanc *Qu.* 4.tam, huc quoque facientia.) Sic jam congruentissimè huc affero verba illa *Spenceri* de mysterio *Urim* & *Thummim* prolata: (*u*) *Cùm* (in-

(*u*) *De* Legib. Hebr. *Lib.* 3. *pag.* (*mihi*) 400.

(inquit) *Thummim* & *Urim* perfectiones & lumina *denotarent*, *Pontifex hæc duo sociata gerens*, *Christum LUMINUM & PERFECTIONUM FONTEM*, *eò clariùs & expressiùs adumbravit.* Rectè sanè. Non enim oportebat immensum *Christi* Domini *lumen* & ineffabilem ejus *perfectionem* figuris eatenùs tantùm adumbrari, quatenùs ista in ipso manent, sed quatenùs inde tanquam ex *fonte* inexhausto, aliis *lumen* & *perfectio* ingens communicatur.

LXVI. Porrò, cùm tanta *virtutum* excellentia sub figura *Rationalis* ac specialiùs sub ejus *Urim* & *Thummim* pro electis lateat; ex eo ratio eruditis patere potest, ob quam in generali & summaria recensione quadam vestimentorum sacrorum faciendorum, *Rationale* primo loco ponitur; (Exod. 28. v. 4.) tametsi non solùm post utramque tunicam, sed & post *Ephod* indutum, fuit ipsi *Ephod*, & per consequens pectori Pontificis applicatum; ut patet Lev. 8. v. 7. 8. collat. Exod. 29. v. 5. Scilicet, primò locô in recensione illa ponitur; quia omnibus ante ipsum indutis vestimentis excellentius est ratione mysteriorum, & ut *Hieronymus* loquitur, (v) *sacratius*. Adjungantur hîc ea quoque, quæ supra §. XLVII. hôc

(v) *Supra §. XXIX. h. cap. pag. 272.*

hôc cap. de *Ephod* diximus. Post cetera autem applicatum fuit corpori: quia tardiùs demùm electi consequentur in his terris excellentissimas illas virtutes, quæ pro implemento figuræ *Rationalis* requiruntur: nec priùs, quàm ultimis temporibus erunt Sancti illi, ut superiora (*x*) docent, in quibus mysteria *Rationalis*, & ejùs *gemmarum*, atque *Urim* & *Thummim* plenissimè impleantur. Obiter hîc & illud subjungendum censeo: quòd *Ephod* juxta accuratam descriptionis Mosaicæ expensionem *manicas* non habuit; (ut supra (*y*) ostensum est;) per hoc præsignificatum est, quòd qui ultimis temporibus *manuum* locô futuri essent in mystico Christi corpore ad subministranda quædam necessaria, (uti erant olim *Diaconi*, Act. 6. v. 2. 3. 5. 6.) illi ex inferioris ordinis Sanctis per *tunicam lineam* & candidam, atque *manicas* habentem præfiguratis assumendi essent ad tale ministerium, dum interim Sancti celsiores majoribus intenti & occupati forent. Hæc autem, quæ hîc de *manuum* seu *manicarum* significato spirituali diximus, intelligenda sunt in respectu ad ipsum corpus Christi mysticum, seu, ad eminentiora ejus membra. Nam

(*x*) §. 56. & 57. h. cap. pag. 332. & 335. (*y*) §. 28. hôc cap. pag. 268. collat. §. 27. ibid. pag. 264.

Nam in respectu ad ipsum Dominum, eminentiora etiam membra S. Ecclesiæ, (seu, sublimiores Sancti,) rectè *manuum* quoque, imò & *digitorum* nomine insigniuntur, tametsi quasi *pectoris*, vel *cordis* situm ac vicem in dicto corpore habeant; ut supra (z) insinuavimus.

LXVII. Hæc de mysteriis *Ephod* & *Rationalis*, hujusque gemmarum, ut & *Urim* atque *Thummim* hactenùs dicta sunto. Quòd tamdiu puncto huic de *Ephod* & ei annexo *Rationali* immorati debuimus; fecit argumenti hujus gravitas, profunditas & fœcunditas. Nunc ad ultimum *Quæstionis quartæ* punctum, quod est de *Theraphim*, progrediamur.

LXVIII. Per *Theraphim* (1.) non intelliguntur hîc literalia tantùm Israëlitarum *idola*, seu, *idololatriæ* ipsorum *instrumenta*: quasi hoc tantùm vellet Spiritus S. indicare, quòd deinceps *Israëlitæ* ac *Judæi* non habituri essent *idola*, (literalia,) nec forent idolorum cultores. Non enim solùm obstat, quòd in superioribus (a) docuimus, non esse principalem in hoc textu *Hoseæ* Spiritûs S. scopum, de literali tantùm sensu eorum loqui, quæ hîc negantur affutura

(z) *LX. h. cap. collat. LVI. ibid. pag.* 339. 340. *collat.* 332. (a) *§. II. & III. h. cap. pag.* 219. & 220.

tura *Israëlitis*; sed insuper valida hæc ratio non permittit in *literalibus* ejusmodi *idolis* amovendis terminari scopum Spiritûs Dei. Nam, quomodo (quæso) hoc immensæ Dei sapientiæ congrueret, ut externa quidem *idola* ablaturum se minaretur illis, qui interim internâ ac longè majori *idololatriâ* se contaminaturi essent in suî desertione spirituali? Quando enim unquam fuêre olim *Judæorum* vel *Israëlitarum* patres ac prædecessores (quà eorum externa idololatria nobis è Scripturis est nota,) non dicam majores, sed vel aliquâ ratione pares *idololatræ*, ac sunt hodie *Judæi* inde à temporibus Pharisæorum, maximè post rejectum ab ipsis Christum Dominum, si interna *idololatria*, seu figmentorum mentis veneratio spectetur? Varia enim in Religione portenta *figmenti* mentis ipsorum contra Deum & Christum ejus, ac res Divinas, quæ ipsi fovent & colunt, longè majora sunt in Dei conspectu *idola*, quàm veteres illæ *imagines* externæ, quas Patres eorum in Vet. Testam. colebant. Accedit, quòd planè absonum esset, merè *idololatricas imagines*, quà tales considerantur, cum aliis rebus sacris & à Deo institutis in pœnam auferendis, inprimis cum *sacrificiis* & *Ephod* hîc connectere; (quod ab aliis etiam

Z ob-

† observatum est; licèt cum longè alia textûs præsentis expositione.) Ita enim in pœnam amovenda hîc quædam *Israëlitis* prædicuntur, ut simul etiam determinatio quædam temporis implicitè adjungatur, (uti & supra (*b*) insinuavimus;) quòd nempe ista amotio ad tempus tantùm (tametsi longum) duratura esset; quod patet ex verbis illis: *Dies multos*, vel *diebus multis sedebunt* &c. unde sequitur, absurdum esse, vel cogitare, ut in nostri textûs periodo, *idola* (quà talia considerantur,) cùm rebus à Deo ordinatis conjungerentur, quasi perinde ad tempus tantùm futuri essent *Israëlitæ* sine *idolis*, ac sine *Rege*, (*c*) sine *Principe*, sine *sacrificio*, sine *altari*, & sine *Ephod*, mystico & spirituali sensû acceptis. Ultrò quidem concedimus, & hoc implicitè hîc prædici, quòd *Israëlitæ* in luctuoso hoc suo statu non habituri essent suas illas *imagines* religiosas, (sive idololatricas, sive non tales) quas antea habebant; (ut infrà (*d*) pleniùs patebit;) non tamen in mera talium *imaginum* ablatione Spiritûs Dei scopus termina-

† *Vide* Spencer. *de Legib. Hebr.* (*b*) *S. 2. h. cap. collat. ibid. S. III. pag.* 219. & 220. (*c*) *Quomodo hæc ablata, habituri demùm sint* Israëlitæ, *vide supra S. IV. V. & sequ h. cap. pag.* 223. & *sequ.* (*d*) *S.* 118. & 119. *h. cap. collat. S.* 80.. 84. & 85. *ibid.*

minatur, ſed ad longè ſublimiora mentione *Theraphim* tendit.

LXIX. (2.) Neque etiam *Urim*, ſive ſeorſim, (e) ſive * junctim, *Urim* & *Thummim* nomine *Theraphim* (illô modô & ſensû, quô quidam volunt,) hîc intelliguntur. Nam ut taceam hîc, quòd jam monui & oſtendi, (f) in nullo nominum hîc poſitorum, *literalem* ſenſum principaliter à Spiritu S. ſpectari; certè quocunque reſpectû ac ſensû literali vel myſtico, inſtrumentum *Urim* cum *Thummim* in noſtro textu quæratur, propiùs & directiùs ſpectat ad *Ephod*, (de quo jam, uti & ejus connexo *Rationali* diximus,) quàm ad id quod ipſi *Ephod* ſeorſim ac diſtinctè ſubnectitur. Demus ſanè, myſterium *Theraphim* cum myſterio *Urim* & *Thummim* quôdam modô coincidere, (juxta dandam (g) mox à nobis τῶν *Theraphim* explicationem;) at inde non ſequitur *Urim* & *Thummim* (vel priùs horum,) directè per *Theraphim* hîc intelligi; cùm ſemper manſurum ſit aliquid, quô res ſignificata per *Urim* ac *Thummim*, & res directè ſignificata per *Theraphim*, (juxta eandem à nobis

(e) Spencer. *ſeorſim intelligit, de Legib. Hebr. Lib. 3. pag. (mihi) 354. 355. collat. p. 332.* * Bonfrerius *junctim, apud* Spencer. *cit. Lib. 3. pag. 355.* (f) *Supra* §. *II. hôc cap. pag.* 219. (g) §. *85. 87. & ſeq. ac præcipuè* §. *96. 97. & ſeq. h. cap.*

producendam expositionem, & juxta rei ipsius requisitum,) etiam in quodam suo (in significatis) concursu, certâ diversitate respectuum (multùm in hac re ad clariores rerum conceptus facientium) ab invicem distinguantur. Nam cùm τȣ̃ *Ephod* latiùs cum suo integro ornatu considerati, una pars fuerit *Pectorale*, seu *Rationale*, in quo fuerunt *Urim* ac *Thummim*, quod, rectè (juxta Exod 28. v. 28.) docente etiam *Spencero*, parti alteri, h. e. ipsi *Superhumerali*, seu *Ephod* strictiùs sumpto, (*h*) *tam firmo vinculo fuit conjunctum, quod vix potuit, nec sanè debuit ab eo separari*; atque *ex ea necessitudine, quæ Pectorali cum Ephode intercessit, profectum* sit, *quòd* Ephodis *nomine nonnunquam* Pectorale (*comes illius individuus*) *veniat*; (ut patet 1. Sam. (al. 1. Reg.) 30. v. 7.) ex eo sequitur, quòd multò propiorem & convenientiorem in locum hîc refertur oraculum *Urim* cum *Thummim*, si sub *Ephod* comprehendatur, (uti jam à nobis (*i*) est factum,) quàm si seorsim sub nomine *Theraphim* explicetur.

LXX. (3.) Sententiam veritati consonam propositurí, præmittere hîc debemus nativam, & usû quondam roboratam vocis *Theraphim* significationem. Vox *Theraphim*

(*h*) Spencer. *de Legib. Hebr. Lib.* 5. *Dissert.* 7. *pag.* (*mihi*) 333. (*i*) *Supr. S.* 63, 64. *h. cap. pag.* 343. *&* 346.

phim in Scriptura S. ſignificat in genere *imagines*, (in plurali, nam & *Theraphim* plurale eſt,) non qualescunque, v. gr. non pictas in plano, ſed ſolidas, (aut ſaltē ſolidis cognatas) ex aliqua materia efformatas. Quanquam autem frequentiùs vox illa in Codice ſacro illicitas (ex abuſu ſaltem hominum) & ſuperſtitioſas notat *imagines*; attamen aliquando etiam pro licita *imagine* accipitur; ut ſtatim (*k*) patebit. Et ſanè, in ſe & per ſe, eodem modo *imago* eſt licita, quô & ipſa ars pingendi, fingendi, fundendi, vel ſculpendi *imagines* abſque abuſu conſiderata, minimè eſt damnanda. Pro illicitis accipitur in ſequentibus locis; v. gr. Gen. 31. v. 19. 34. (collat. ibid. v. 30.) Judic. 17. v. 5. & 18. v. 14. 18. 20. coll. ibid. v. 24. (nîl obſtante de his locis privato cujuſpiam † placito,) item, 1. Reg. (al. 1. Sam.) 15. v. 23. & 4. Reg. 23. v. 24. Ezech. 21. v. 21. Zach. 10. v. 2. Quorū poſtrema duo & hoc oſtendunt, quòd *Theraphim* dictæ *imagines* ad hoc etiam(ſubinde ſaltem) ſuis cultoribus inſervierunt, ut Spiritus ille fallax (*Angelum lucis* ſe ſimulans) per eas in dubio & obſcuro iis reſponderet: uti ferè communiter *Rabbini* (*l*) eis hunc effectum tribuunt. Erant autem iiſdem ſuis cultoribus inſtar

(*k*) *S. 71. h. cap.* † *Scil.* Spenc. (*l*) *Vide Lexic. Talm.* Buxt.

larium & *penatium* domeſticorum ; & quidem quantitate parvulæ, & portatû faciles ; (loquor nempe nunc de illicitis & damnandis *Theraphim* :) ut jam viri eruditi, (*Kircherus* aliique,) hoc (*m*) obſervârunt.

LXXI. Unus exſtat locus, (ſed de voce illa alterô etiam versû iteratus,) videlicet, 1. Reg. (al. 1. Sam.) 19. v. 13. 16. ubi תרפים (*Theraphim*) licitam per ſe ſignificat *imaginem*, illam nempe, quam *Michol* loco *Davidis* viri ſui, quaſi ægrotantis, *poſuerat in lectum*, ut interea *David* furorem *Saulis* evadere poſſet. Erat autem ea quaſi *ſtatua* quædam, *ex variis hinc inde rebus*, (ut ingenioſè & eruditè *Ribera* (*n*) exponit,) *homini ſimilis, quales tauris objici ſolent in circo, aut in hortis poni ad aves terrendas ; veſtibus ſcilicet virilibus, aut paleâ, aut ligno, aut pannis oppletis, & humani corporis membra ſimulantibus ; aut certè quales tumulis imponi ſolent, quùm abſentium funera fiunt : unde addit* : „ Pellem piloſam caprarum poſuit ad caput ejus ; *videlicet, ut rufos Davidis capillos imitaretur.* Hæc *Ribera* : qui validè oſtendit etiam, non fuiſſe *idololatricam*, vel *Aſtronomicam*, aut quamcunque hujusmodi illicitam *ſtatuam* illam *Mi-*

(*m*) *Vide* Spencer. *& quoſdam ab eo citatos de. Legib. Hebr. Lib.* 3. *p.* (*mihi*) 366. 367. *ubi etiam ex* Kirchero *quædam citantur.* (*n*) *Comm. in Hoſ. c.* 3.

Michol; cùm non fuerit conveniens, *tales imagines improbandas fuisse in Domo Davidis*. Hinc saltem patet, *Theraphim* olim apud Judæos, aliquando licitas, ac in se haud damnandas *imagines* significâsse; uti omninò nativa vocis origo (mox (*o*) indicanda) talem significationem permittit, imò requirit. Quomodo autem & in nostro *Hoseæ* textu, hæc significatio in meliorem partem locum habeat, aut saltem principatum teneat, paulò pòst (*p*) dicemus.

LXXII. Quod vocis originem grammaticam, seu radicem attinet; nullam aliam hactenùs video meliorem & rei congruentiorem ejus dari posse originem verbalem, & originis illius rationem, quàm si dicamus verbum תרף, *Tharaph*, (hodie quiquidem inusitatum, sed quondam usitatũ,) idem olim significâsse quibusdam Orientalibus populis, ac inter eos præsertim Hebræis, quod צרף, *Tzaraph*, seu *Tzarap*, hoc est, *igne conflavit, igne excoxit*, & ad usus suos aptũ reddidit; (cui cognatum est צרב (*Tzarab*,) h. e. *adussit*;) mutato nimirùm צ in ת, quod facillimum & frequens olim fuit. Sic *Thorah* (à rad. תור.) h. e. *forma*, & *Tzurah*, (à rad. צור,) idem est Judæis. Item, תעה, ut & טעה, (*Thaah* & *Taah*) h. e. *Erravit*, &

(*o*) §. 72. 73. h. cap. (*p*) §. 80. hôc cap.

צעה, (*Tzaah*) h. e. *Peregrinatus est*, cògnatæ sunt significationis. Et Chaldæis תרח. (*Therah*,) h. e. *Rupit*, & צרע, (*Tzera*,) idem sunt. Ita etiam Belgicum *Tap*, & nostrum *Tsap*, ut & Germanicum Zapff / levi mutatione idem sunt, scil. *epistomium*. Dicto autem verbo Hebr. *Tzaraph*, & per consequens ipsi *Tharaph*, cognatum est etiam שרף, sive סרף, *Saraph*, h. e. *ussit*, *combussit*; & his omnibus affine est nostrum quoque Hungaricum, (Sclavis etiam commune) & antiquissimum orientale *Tserép*, (in Dictionario *Molnár*, *Ts*, per *Cz*, exprimitur,) hoc est, *Vas fictile* in genere, seu *Testaceum*, & non solùm fragmentum *testarum*. Dictum est autem sic, ex eo procul dubio, quòd per *plasten*, seu *figulum* vi ignis excoquitur & induratur; ac per hoc ad suos usus aptum redditur. Hinc est, quòd non solùm pocula, patenas & patellas fictiles, & similia figulorum opera argillacea vocamus nos *Tserép edény*, h. e. *Vas fictile*, vel *vasa fictilia*, sed etiam ipsa *Tegumina* domorum, & aliorum ædificiorum, ex luto convenienti parata & igne excocta, pariter nominamus *Tserép*, & nonnunquam cum additamento, *Tserép heazat*, hoc est, *Testaceum*, seu *fictile Tegumentum*. Imò etiam dum labia vi interni ardoris in infirmitate ali-

qua

qua exuruntur, & crustulis quibusdam inducuntur, dicimus (ex eodem fonte) Hungaricè: *El-tserepesedtek*; hoc est: *Testaceam formam contraxerunt.* Hæc cuncta ex communitate suæ denominationis ostendunt, primam suî originem vocabulum *Tserép*, ab *adustione* seu arsione (& per consequens, vi *ignis* factâ induratione) accepisse. Unde validè inferre possumus, fuisse olim nominale etiam Hebræis ex dictis radicibus vocabulum singul. numeri, *Tharaph*, vel *Thereph*, item, *Tzaraph*, vel *Tzereph*, (utramque enim formam admittit Hebraismus,) uti etiam hodie exstat ex cognato verbo שרף, *Saraph*, nomen similis soni, (q) *Saraph*; idque ex vi dictarum radicum significâsse, (quantum ad imagines *Theraphim*,) id quod, vi ignis est *excoctum*, *adustum*, & præparatum.

LXXIII. Sic jam facilè eruditis patebit, quid sit in hac quæstione vox *Theraphim*, & quare nomen illud *imaginibus* quibusdam fuerit olim inditum. Ratio vera & rei congruentissima hæc est: quia *imagines* illæ, quæ primitùs nomine *Theraphim* sunt insignitæ, fuerunt *fictiles*, seu arte figlinâ è terra (scil. argilla) factæ, & vi ignis indura-

(q) *Num.* 21. *v.* 8. *ubi pro* urente *serpente*, *seu* præstere *aneo accipitur.*

tæ. Notum est antiquitatum peritis, quàm sit antiqua *Plastice*, seu ars fingendi ex *argilla* imagines; adeò quidem, ut ausus sit dicere *Plinius*, (circa an. D. 78.) *antiquiorem* (*r*) *hanc fuisse scientiam, quàm fundendi æris*. Et mox ait *laudari* (à M. Varrone) *Pasitelem, qui Plasticem matrem Statuariæ, Sculpturæque & Cælaturæ esse dixit*. Ita etiam *Epiphanius*, ad tempora *Tharræ*, seu *Tharæ*, (qui obiit circa an. 1887. ante natum Christ.) refert initium *statuarum* ex *luto*; qui ubi de *Nachor* & *Tharra* agit, hæc scribit: (*s*) *Hinc fieri cœperunt statuæ ex LUTO, ac arte figulari per industriam hujus Tharra*. Huc faciunt etiam apud *Athenagoram* † quædam pro antiquitate & celebritate quondam hujus *Plastices*. Meminit etiam *Kircherus*, (*t*) *statuuncularum*, non solùm *lapidearum & lignearum*, sed & *fictilium, quarum ingens copia quotannis à Mercatoribus, ex antiquis Ægypti monumentis eruta, in Europam devehitur*. Uti enim imago *sculpta* à *sculpendo*, *sculptile*, (Hebr. *Pesel* à *Pasal*,) & imago (ex ære, argento, auro, vel alia materia) *fusa*, sive *conflata*, à *fundendo*, vel *conflando*, (Hebr. *Massecha* à *Nasach*

(*r*) Plin. *Hist. Natural. lib.* 35. *c.* 12. (*f*) *Ibid.* (*s*) Epiphan *contra* Hær. *sub initium operis sui.* † *In* Legatione *pro* Christian. *ubi de* Plastice *meminit.* (*t*) Oedip. Ægypt. *Tom.* 1. *Syntagm.* 4. *c.* 3. *p.* 261. *ed. Rom.*

sach) *fusile*, vel *conflatile* dicitur in Scripturis; sic imago ex *terra* formata, at vi *ignis* in suum usum *excocta* & indurata, convenientissimè dicta fuit Hebræis in sing. *Tharaph* vel *Thereph*, & aliis quibusdam Orientalibus *Tserep*, vel *Tzerep*, in plurali verò *Theraphim*, hoc est, *igne* ex *terra* in formam redacta, *excoctæ imagines*. Pluralis numeri ratio de hac voce paulò pòst (*u*) dabitur. Disquiri autem meritò hîc potest, an non ad hanc antiquissimam artem fingendi è *limo terræ* imaginem, occasionem aliquam hominibus dederit, (fortè Seductore illô antiquô suggerente,) ipsa etiam traditio de primi hominis è *limo terræ* facta (*v*) *formatione*, à majoribus accepta? Annon & in eo Diabolus *Simiam* Dei egerit, quòd *imagines* illas fictiles (scil. *Theraphim* dictas) apud quosdam quasi *spiritû* vivente instruxit, dum ex iis responsa suis cultoribus dedit, eò quòd & in primum hominem è *limo terræ* formatum, Deus (*x*) *spiraculum vitæ inspiraverit*; eruditis discutiendum relinquo.

LXXIV. Ex his jam ratio ejus etiam rei dari potest, quare imagines *Theraphim* (in suo usu frequentiore pro illicitis) tam diligenter aliquando ab aliis imaginibus, vel simulachris, (v. gr. à *fusilibus*, *sculptilibus*,

(*u*) S. *LXXV. h. cap.* (*v*) *Juxta Gen. 2. v. 7.* (*x*) *Ibid.*

bus, vel etiam *pictis*) in Scriptura S. (*y*) distinguantur? Non sanè ideò uti *Spencerus* rationem illam inquirens putat, (*z*) quasi *simulacra alia ad cultum Numini alicui* exhibendum fuissent *instituta*, *Theraphim* autem *ad honorem innocuum Angelis per ea tribuendum*: Nam ne vestigium quidem ejus rei exstat in Scriptura S. quòd *Theraphim* in eum finem fuissent primitùs instituta, præsertim à piis & Deum timentibus. Insuper, *Cherubim*, ipso quoque *Spencero* docente, symbola fuerunt SS. *Angelorum*; non tamen per hoc peculiari *Theraphim* nomine (ex prima impositione nominis) veniunt, neque ipsi *Spencero* placet, ut sic veniant. (De laxiori *Theraphim* significato, infra † dicemus.) Sed vera ratio hæc est: Quia antiquæ imagines *Theraphim* dictæ erant primitùs ex *terra*, arte figlinâ vi *ignis excoctæ* & induratæ; (ut jam (*a*) docuimus) aliæ autem ex alia materia & aliâ arte factæ. Quam etiam habeat cognationem vox *Theraphim* cum voce *Seraphim*, ex superioribus discere possumus. Non sanè illam, quam *Spencerus* aliis persuadere vult, (*b*)

(*y*) *Vide Judic.* 18. *v.* 14. 17. 18. *collat. ibid. c.* 17. *v.* 4. 5. & 4. (*al.* 2.) *Reg.* 23. *v.* 24. (*z*) Spencer. *de Legib. Hebr. Lib.* 3. *pag.* (*mihi*) 359. & 360. *collat. pag.* 388. † 78. & 79. *b. cap.* (*a*) *S.* 73. *b. cap. pag.* 361.

(*b*) quasi *Seraphim* & *Theraphim* re ipsâ *idem*, aut saltem *penè idem notarent*, scilicet ipsos *Angelos*; hôc solô discrimine manente, quòd temporum successû, (*c*) *ipsi Angeli* nomine *Seraphim*, eorum autem *symbola* & signa, (quæ & *habitacula* ipse nominat,) *nomine Theraphim vocarentur*; quod nempe levi mutatione, *Orientalium nonnulli* (ex ejus (*d*) mente) *pro Seraphim* (nomine Angelorum) *antiquitùs usurpârunt*. Æquè enim hujus inventionis nullum exstat fundamentum vel in Scriptura S. vel in alia Antiquitate fide digna, vel in ipsa recta ratione, ac alterius suæ paulò antè memoratæ opinionis. Verùm habent hæ voces inter se cognationem merè grammaticam, (eamque rectæ rationi conformem,) hanc nimirùm: Quia & *Theraphim* & *Seraphim*, à radicibus inter se cognatis, & re ipsâ eandem (*urendi* nempe) significationem habentibus (scil. à *Tharaph* & *Saraph*) descendunt. Eadem tamen *urendi* significatio ipsis *imaginibus Theraphim*, eatenùs tantùm fuit data, quatenùs *igne* fuerant *excoctæ* & induratæ; at verò *Angelis* sanctis, (scil. ipsis (*e*) *Seraphim*) longè aliâ ratione; nempe, partim quia valdè *ardent*

(*b*) *De Legib. Hebr. Lib.* 3. *pag.* (*mihi*) 355. *&* 356.
(*c*) *Ibid. p.* 362. (*d*) *Cit. p.* 355. *edit. Hagens. an.* 1686.
(*e*) *De his vide Isa.* 6. *v.* 2.

ardent amore in Deum, & zelo in omnia ejus jussa exequenda, partim quia *lucidissimi* sunt, instar *ignis* ardentis. Unde ob utramque rationem dicitur, quòd Dominus *suos ministros facit ignem flammantem*, (sive *urentem*,) Psal. 104. (al. 103.) v. 4. collat. Hebr. 1. v. 7. Cur item in *plurali* numero vox *Theraphim* de *imaginibus* usurpetur; ejus quoque rei non est illa ratio, quam *Spencerus* (*f*) suô inventô nimis fidenter assignat, quasi *imagines Theraphim titulo cognitæ*, τοῖς *Seraphim, ordini cœlesti* Angelorum, *nullo cum discrimine consecratæ fuissent; idola verò cætera, Heroi vel Divo alicui singulari.* Apage hinc talem de sanctis Angelis *Seraphinis* inventionem, cujus ne vel minimum vestigium ac fundamentum exstat in verbo Dei, vel in doctrina SS. Patrum; imò contrarium potiùs inde colligitur. Facilè concedo, imò extra dubium teneo, quòd post primam τῶν *Theraphim* inventionem, & superstitiosam in iis *Heroum* quorundam, vel † *charorum* defunctorum venerationem, temporum successû idololatræ quidam, Spiritus etiam quosdam, quos illi pro suis *Angelis*

(*f*) *Cit. lib.* 3. *de Legib. Hebr. p.* (*mihi*) 359. † *Constat tum ex Libro* Sapientiæ, *c.* 14. *v.* 13. 14. 15. *tum ex* Epiphanio, *tum ex aliis Scriptoribus, initium* imaginum, *ab ipsis* hominum *imaginibus efformatis, non autem à cultu* Angelorum *sumptum esse.*

gelis habebant, coluerunt in *Theraphim*, specialiter illi, qui à Spiritibus illis (malis nempe) responsa in dubiis & obscuris ex *Theraphim* exspectabant, vel accipere solebant; sed inde non sequitur, stare posse memoratam *Spenceri* de nomine & origine *Theraphim* opinionem.

LXXV. Vera itaque ratio *pluralis* numeri τῶν *Theraphim* (quantùm eam noscere possumus,) ea tantùm est, quæ & in aliis non paucis vocibus Hebraicis *plurali* solummodò numero in Codice sacro usurpatis invenitur. Nimirum cum vel gradûs *excellentia* in re significata indicatur, non raro *pluralis* num. apud Hebræos adhibetur; ut supra (g) de *Urim* & *Thummim*, ipsô quoque *Spencero* succurrente monuimus: atque ex eadem ratione unus filiorum quoque *Cham*, (à quo *Ægyptus*,) dictus est (prophetice ex divina directione) *Mitzraim* (h) in plur. h. e. *Angustiæ*, sive *Tribulationes*; ob multas, quæ secuturæ erant, populi Dei angustias in *Ægypto*: (tametsi ejus parentes aliud in nomine illo ominari poterant:) & minor filiorum *Josephi* vocatus est * *Ephraim*, h. e. *ubertates, fœcunditates* & *augmenta*; (sive *uberes, fœcundi, fructiferi* & *aucti*;) non so-

(g) 63. *b. cap. pag.* 343. (h) *Gen.* 10. *v.* 6. * *Ad formam* Peraim: *Job.* 24. *v.* 5.

ſolùm quia *crevit* (*i*) ſeu adauctus eſt *Joſeph* liberis nativitate *τῷ Ephraim* in Ægypto, ſed & propheticè ob futuram poſterorum *Ephraim* (*k*) ubertatem & fœcunditatem: vel etiam cùm multum quid in re includi, vel ei conjungi inſinuatur, tunc etiam quandoque idem numerus uſurpatur: ut, cum נְעוּרִים, (*l*) *neurim* (vel *neghurim*, in plur.) *adoleſcentiam*, *juventutem*, (ut & pueritiam,) & זְקֻנִים, (*m*) *zekünim* ſignificat *ſenectutem*: eò quòd unaquæque harum ætatum (in genere conſiderata) non unum, ſed *plures* dies in ſe complectitur. Eâdem ratione etiam *Chajim* in plur. dicitur Hebræis *vita*; & *Bethulim* virginitas. Deut. 22. v. 14. 15. (Huc afferre poteram etiam vocem *Gillulim* (plur. num.) ſignificantem propriè quaſi *ſtercora*, vel *immunditias*, ſed pro *idolis*, ſeu *Diis ſtercoreis* per contemptum in Scriptura S. uſurpatam: eò quòd idola multis abominationibus ſcatent, & plurimô contemptû ſunt digniſſima.) Ita etiam vox *Theraphim* in plurali uſurpatur, partim ut indicetur, *multâ* vi *ignis* fuiſſe excoctas & induratas illas imagines, partim, & quidem præcipuè ob notabilem *pluralitatem* talium imaginum apud earum cultores tan-

(*i*) *Gen.* 41. *v.* 52. (*k*) *Gen.* 48. *v.* 19. (*l*) *Pſ.* 25. (*al.* 24.) *v.* 7. *&* 71. (*al.* 70.) *v.* 5. 17. (*m*) *Gen.* 37. *v.* 3. *&* *ibid.* 21. *v.* 2.

tanquam Deorum *penatium*. Huc facit, quod ſcribit *Kircherus* de idolis *Serapidis*, (quæ re ipsâ eadem fuiſſe cum idolis *Theraphim*, me quoque aſſentientem habet, quanquam longè aliâ ratione infra (*n*) dicenda, quàm ipſe cenſet,) his verbis: (*o*) *Horum idolorum è varia materia, & ſub certo ſyderum poſitu conſtructorum, tanta ubique copia in Ægypto reperiebatur, ut præter Templa, quæ iis SCATEBANT, nullus vicus, nullus angulus, aut ſemita iis carere videretur.* Et mox ſubjungit, quòd eadem, cultores eorum, *etiam capite, collo, brachiis ac cingulis ſuſpenſa geſtabant.* (Quomodò autem, & quô ſenſû pro temporum ſucceſſu, *conſtructio è varia materia* ipſis *Theraphim* competat, infra (*p*) dicturus ſum.) A potiori itaque, ſcil. à notabili multitudine *τῶν Theraphim*, invaleſcente primitùs denominatione eorundem in plurali, manſit demùm idem apud Hebræos nomen, quoties de aliqua ejus generis imagine factus eſſet ſermo, eô modô, quô apud Latinos nomen *Penatium* in plurali manſit, etiamſi de unico tantùm *Lare* fieret mentio. Hæc de ratione pluralis numeri vocis *Theraphim*.

LXXVI. Operæ pretium eſt, ut id etiam

A a hîc

(*n*) §. 77. & 78. *h. cap. collat.* §. 76. (*o*) Kircher. *Oedip. Ægypt. Tom.* I. *pag.* 358. (*p*) §. 78. & 79. *h. cap.*

hîc paucis (quasi obiter) indicemus, quam cognationem vel identitatem cum voce quoque *Serapis* (celebris Ægyptiorum idoli) eadem vox *Theraphim* habeat, ut inde quoque prima origo & literalis sensus τῶν *Theraphim* ampliùs pateat. *Serapim*, (sive *Serapes* in plur.) rectè censet *Kircherus* (q) idem nomen esse (cum levi mutatione) ac *Theraphim*, & hæc in re ipsa eadem primitùs fuisse simulacra: verùm in vocis (*Serapis*) etymologia, meô (r) quidem judiciô vir magni nominis deceptus est, (r) dum eá ex vocibus *Sor*, (h.e. *cista*,) & *Apis*, (h.e. ut ille neglectâ priori suâ in *Obelisco* per *Por*, (h. e. *Dominus*) interpretatione pariter coactâ, post alios interpretatur, *bos*, quasi esset, *Cista-Bovis*) conflatam esse putavit: quod facilè possem ostendere, (maximè cùm *Apis* ex suo tantùm symbolo, quod erat *bos* aut *taurus*, Memphi nutritus, dictus sit *bos* eo modô, quô & *Mnevis*, à *bove* Heliopolitano; alioquî ex nativa sua significatione, *Patrem* potiùs sonat, quàm *bovem*,) nisi brevitati hîc studerem. Est ergo longè probabilius, & voci ac rei convenientius, ut dicamus, vocem etiam *Serapis* idem tan-

(q) Oedip. *Tom.* 1. Syntagm. *4. c. 3. 258. 259. 260. &* *261.* (r) *Ibid.* Syntag. *3. c. 5. p. 196. & 197.*

tantùm fuiſſe antiquiſſimis Ægyptiis, quod *Serap*, vel *Sarap*, hoc eſt, igne excoctum, ſive *teſtaceum*, id ipſum nempe, quod noſtrum Orientale *Tserep*, ſupra (ʃ) memoratum. Acceſſit autem terminatio *is* in fine, (ut diceretur, *Serapis*,) ſive ab ipſis Ægyptiis poſteriorum temporum, præſertim à Græcorum in Ægypto imperio, ſive potiùs à Scriptoribus Græcis, eodem modô, quô & in aliquot nominibus Regum Ægyptiorum, (v. gr. (ſ) *Amoſis*, *Amenophis*, *Thummoſis*, (ſive *Thmoſis*,) *Rathotis*, *Armais* &c.) factum eſt. In noſtra lingua ſi diceretur cum additione literæ *i*, ſcil. *Tserepi*, idem eſſet quod *ex teſta conſtans*, vel *ad teſtam pertinens*; &, ſi cum ſyllaba *es*, ſcil. *Tserepes*, idem eſſet, quod *teſtam habens*. An etiam apud antiquos *Ægyptios* fuerint ſimilia acceſſoria in fine vocũ, ad formandum ex ſubſtantivo adjectivum; de eo nihil temerè definire volo. Sufficiat hîc ad ſcopum, exemplis aliquot terminationem, *is*, in nominibus *Ægyptiis* me oſtendiſſe. Sic ſanè ſervatâ vocis *Serapis* origine à *Sarap*, vel *Serap*, ut ſignificetur, *fictiles* fuiſſe antiquitùs imagines illo nomine

(ʃ) *S. 72. (collat. 73.) hôc cap. pag. 360. &* 361. (ſ) *Vide hæc ex* Manethone, *apud* Marshamum *Chron. Canon. Lib. 2. pag. (mihi)* 98. *collat.* Joſeph. *Lib. 1. contra Apion. pag.* 1041.

insignitas, non opus erit excurrere ad coactam hanc vel illam & insulsam vocis illius etymologiam ex duobus nominibus conflatam: atque sic eadem longè congruentiùs applicari poterit diversis statuunculis vel statuis *Serapidis* nomine quondam vocatis, quàm si dicatur de iis, quòd fuerint *cista bovis*, vel *cista Domini*. Certè vel soli illi celebri simulacro *Jovis ditis*, (vel juxta quosdam *Æsculapii*, vel etiam *Osiris*, juxta aliquos,) *Sarapis* nomine insignito, quod juxta *Tacitum* (*t*) ex Pontica Urbe *Sinope*, *Ptolomæo* Rege procurante, (scil. circa an. ante nat. Christ. 300.) translatum est in novam tunc Ægypti Urbem *Alexandriam*, nequaquam aptari potest interpretatio illa, *cista bovis*, vel *cista Domini*. Quomodo autem tum huic, tum aliis simulacris *Serapis* dictis congruat nostra interpretatio, statim in sequentibus patebit.

LXXVII. Non enim obest nostræ interpretationi, quòd *Serapes*, seu imagines *Serapidis* nomine celebratæ, è varia materia fuerint in *Ægypto*: hoc enim à primo imaginum ortu non fuit, sed successû temporum evenit, tam apud *Ægyptios*, quàm apud *Syros*, *Chaldæos*, *Israëlitas* & alios; utpote cùm

(*t*) Tacit. *Histor. lib. 4. n. 20.*

cùm conſtet è ſuperioribus, (*u*) priùs extitiſſe inter homines ſtatuunculas è terra *fictas*, quàm ex alia materia fuſas vel ſculptas: quam ſententiam ipſe etiam *Kircherus* (aliud quoq; agens) fulcit, dum ſic de antiquiſſimis *Serapibus* ſcribit: *Notandum eſt, primis Ægyptiis à* Misraim *& ejus ſucceſſoribus inſtructis, ſolennem admodùm fuiſſe quarundam FICTILIUM imaginum cultum.* Quòd verò ibidem de iiſdem ſtatim ſubjungit: *Quas imagines Ægyptiacâ linguâ primi quidem*, Apes, *&* Serapes, *poſteri verò nunc* Canopos, *nunc* Horos, *nunc* Harpocrates *appellabant*; id ſic intelligendum cenſeo; quòd earundem imaginum *fictilium*, quædam nomen ſuum antiquum & commune ab antiquis acceptum retinuerunt, in cujuſcunque honorem fuiſſent erectæ, ut dicerentur tantùm *Serapes*; quædam verò primigeniô & communi ſuô nomine relictô, partim à vetuſtioribus, (ut quæ ſpecialiter *Apidis* nomen gerebant,) partim à poſteris, illorum nomine ſunt vocatæ, in quorum memoriam & cultum fuerant conſecratæ. Alioquî etiam *Apis* (Rex Argivorum) dictus eſt *Sarapis* ab antiquis, (procul dubio poſt mortem, ex ſuo ſymbolo,) ut patet ex *Ariſtea* Argivo

(*u*) S. LXXIII. *hoc cap. pag.* 362. (*v*) Oedip. Ægypt. *Tom.* I. *Synt.* 4. *c.* 3. *pag.* 258.

apud (x) *Eusebium*. Imò ex ipso *Kirchero* id quoque discimus, quòd omnes illæ imagines *fictiles*, non solùm *Apidis*, sed & *Canopi*, aliorumque ab ipso memoratæ, commune nomen *Serapis* de jure habuerunt, tametsi à quibusdam subinde aliter (à rebus nempe significatis) nominarentur. Sic enim post paulò antè dicta, immediatè memoratas *fictiles* imagines describit: (y) *Erant autem hujusmodi SERAPES statuunculæ quædam, ad instar puerorum fasciis involutorum; hujusmodi formâ concinnatæ, vel ad Osiridem aut Apidem cistæ inclusum - - ostendendum, vel ut Horum referrent, Osiridis filium; - - vel, ut Osiridem à Diis enutritum, infantem adhuc inter cœlites translatum monstrarent.* Rectè dicit eas omnes, quantùm ad primam earum originem, *Serapes*; eò quòd vel ipsô fatente *fictiles* antiquitùs erant. De *fictilibus* hujusmodi *Serapibus* meminit ipse alibi etiam, (z) ubi verba facit de *statuunculis*, quæ ex *Ægypti monumentis* erutæ, quotannis *in Europam devehuntur*. Sic jam rectè quantum ad antiquitatem quoque conciliari inter se possunt *Theraphim* & *Serapis*, ut dicatur, quòd re ipsâ idem nomen, & ejusdem generis simulacra fuerunt:

(x) *De Præparat. Evang. lib.* 10. *c.* 12. *pag* (*mihi*) 499. (y) Kircher. *cit. loc. Oedip. Ægypt.* (z) *Oedip. Tom.* 1. *pag.* 261.

runt: at juxta coactam illam compositionem, ex vocibus *Sor* (vel *Soros*) & *Apis*, factam, minimè; cùm *Apis*, (sive pro *Rege* Argivorum, aut Medico-Vate, sive pro *Bove* ejus symbolo acceptus,) recentior sit ætate usû *Theraphim*; ut ex Veneranda (*a*) Antiquitate patet.

LXXVIII. Quòd verò succesſû temporum non tantùm *fictiles* ac terreæ, sed & aliæ quædam imagines ex *metallo*, *lapide*, vel alia materia factæ, dictæ sunt tum in Ægypto *Serapes*, tum alibi apud quosdam *Theraphim*, rationem hanc esse censeo: quia illæ quoque imagines alterius materiæ, factæ fuerant primitùs ad similitudinem & imitationem *τῶν Theraphim* antiquissimorum. Scilicet, parvulæ erant primitùs illæ imagines, nempe *Theraphim*, ferè instar puparum; quod vel ex Labanis *Theraphim* noscere possumus, Gen. 31. v. 19. & 34. quas, si magnæ statuæ fuissent, non solùm non potuisset *Rachel* in sua sessione sub clitellis cameli abscondere, sed neque potuisset clam viro suo *Jacobo* ex Mesopotamia secum auferre. Atque hoc patet ex antiquis etiam *statuunculis*, in Europam ex

(*a*) *Vide* Euseb. *Præpar. Evang. lib.* 10. *c.* 12. *pag.* (*mihi*) 499. *Item* Tatian. *Orat. contr. Gent.* & *S.* Augusti. *lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 4. & 5. *collat. Gen.* 31. *v.* 19.

Ægypto ſubinde advectis; quales fuiſſe etiam veteres *Theraphim* & *Serapes*, rectè cenſet *Kircherus*. Item fuiſſe etiam veteres *Theraphim* & *Serapes* inſtar puerorum *faſciis involutorum*, h. e. quæ re ipsâ manibus à reliquo corpore, & cruribus à ſe invicem diſtinctis caruerunt, ex eiſdem antiquiſſimis *ſtatuunculis* à *Kirchero* memoratis patet. Quod duplici ex ratione eveniſſe cenſeri poteſt: partim ideò, quòd fortè prima ejuſmodi imago *fictilis* ex infantis cujuſpiam, faſciis involuti per ſtatuunculam fictilem expreſſione cœpit; partim & præcipuè ex eo, quia primi ſtatuarum artifices, nondum noverant *manus* & *pedes* hominis diſtinctè ſuâ arte exprimere; quod ex verbis quibuſdam *Diodori* Siculi (*b*) colligere poſſum: qui talem diſtinctionem in ſtatuis *manuum* & *pedum*, (ut & oculorum,) *Dædalo* tribuit. (Sed cave hoc de aliis, quàm de Græcis intelligas: nam apud alias Nationes Orientales dudum ante *Dædalum*, (qui circa an. ante nat. Chriſt. 1217. floruit,) fuiſſe tales artifices, qui diſtinctioné illam in ſtatuis facere poterant, antiquitatum peritis non poteſt eſſe ignotum.) Adde hîc, quòd ut valde probabile eſt, imagines *The-*

(*b*) Diodor. *Bibl. Lib.* 4. *& ex eo* Marsham. *Can.* 2. p. (*mihi*) 292.

Theraphim, (& quibusdam *Serapes* dictæ,) seu *fictiles*, fuerunt primæ, è quibus Spiritus ille fallax sub forma *Angeli* boni responsa cœpit dare suis cultoribus. Sic ergo evenit, ut quæcunque statuæ ex quacunque materia succesſû temporum factæ, vel ipsâ quantitate, (scil. exiguitate,) vel figurâ manuum & pedum haud apparentium, (etiamsi essent prioribus aliquantò majores,) vel usû, tantôque magis, si omnibus his modis essent primis *Theraphim* & *Serapibus* (h. e. *fictilibus* statuunculis) similes, apud Syros, Chaldæos & Hebræos, nomine *Theraphim*, (sed apud priores utrosque terminatione diversâ ac sibi peculiari,) apud Ægyptios autem (& alios etiam, ut probabile est, in Ponto,) nomine *Serapum* venirent. (Ponti tamen incolæ, signanter *Sinopenses*, ut quorum urbs ab *Amazone* quadam *Thracica*, (c) Regis Ponti uxore, fuit juxta quosdam denominata, poterant nomen illud cum levi mutatione dixisse, *Tserep*, sive *Tsarap*, vel *Tzerep*, sive *Tzarap*, cùm in hunc usque diem nostrum *Tserep*, in usu sit etiam in *Sclavonica* lingua, *Thracicæ* cognata, vel etiam ejus matre.) Factum est autem nomen illud (*Theraphim* & *Sera-*

(c) *Vide* Origin. Hungaric. (*ex Scholiaste* Apollon.) *Part.* 2, c. 12. *sub fin.* p. 90. & 91.

Serapis) aliis etiam quibusdam simulacris non fictilibus (cujuscunque materiei essent) commune, eodem modô, quô & alia quædam rebus pari ratione inter se diversis, communia succesŝu temporum facta sunt. Sic generaliter omnis moneta, seu numus æreus, aureus, vel argenteus, dicitur *pecunia*; (ut taceam nunc, quòd vox illa (*d*) apud veteres Juristas latiùs etiam extenditur,) quanquá primitùs illi tantùm numi *ærei* (ab *ære enim* est initium numorum,) hoc nomine (*pecunia*) vocati sunt, qui notâ *pecudis* signati fuerant. Unde etiam venit nomen *pecuniæ*, scil. à *pecore*, vel potiùs *pecu*, (voce, pro *pecore* antiquis usurpata,) à figura *pecoris* vel *pecudis* ei impresѕa. Quæ figura ideò primis numis fuit impressa; (ut notum eruditis;) quia ante inventionem numorum signatorum, *pecudibus* ultò citroq; datis, (& apud quosdam etiam *rudi argento* & *auro*, juxta (*e*) *Pausaniam*) in comparandis rebus quibusdam necessariis utebantur. Vide Gen. 21. v. 28. 29. 30. (Confer etiam Gen. 33. v. 19.) Sic etiam vocabulum (*f*) *Pontifex*, illorum tantùm primitùs erat, qui Romæ *Pon-*

(*d*) *Vide ff. Tit. de* verb. signif. *l.* 221. *collat. ibid. l.* 178.
(*e*) Pausan. *in Lacon.* (*seu lib.* 3.) *pag.* 182. (*f*) *Vide de hoc* Antiqu. Hungar. Relig. *à me edit. p.* 90. *&* 91.

Pontis Sublicii *faciendi* curam habebant; at demùm (ut notum) aliis etiam Sacrorum Antiſtitibus (ad quos nihil attinet *pons* ejuſmodi) commune factum eſt. Id evenit quantum ad uſum & ſignificationem, vocibus etiam *Theraphim* ac *Serapis*.

LXXIX. Unde jam intelligimus, quid ſonet, & quàm latè pateat vox *Theraphim* apud Zachariam, cap. 10. v. 2. *Simulacra* (Hebr. *Theraphim*) *locuta ſunt inutile*, ſeu *vanitatem*. Ubi procul dubio *Theraphim* (quantum ad literalem ſenſum) latiori ſensû omnia illa *ſimulacra* ſignificant, ſive *fictilia* è terra, ſive alterius cujuspiam materiæ, &, ſive minora, ſive majora eſſent, quæ olim arte Diaboli reſponſa ſuis cultoribus dabant. Confer Ezech. 21. v. 21. Huc referenda ſunt etiam magica illa ſimulacra, *Theraphim* in Judæorum ſcriptis (g) dicta, quæ (juxta ipſos) erant *capita* hominum primogenitorum abſciſſa, & in uſum idololatricum (ut ex iis reſponſa acciperentur) *ſale* atque *aromatibus condita*. *Simulacrum* etiam *Michol* (h) hoc latiori ſensû dictum eſt *Theraphim*, ex quacunque materia conſtiterit: & exiſtimo hâc ratione ſic fuiſſe

(g) *Vide de his* Kircherum (*ex Elia Thesb. & Targ. Hieroſ. in Gen.* 31.) Oedip. *Tom.* 1. *p.* 257. (h) 1. *Reg.* (*al.* 1. *Sam.*) 19. *v.* 13. 16.

fuisse dictum; quia est valde probabile, manibus & cruribus distinctis illud caruisse ad instar veterum *Theraphim* ; quod perinde erat ad scopum *Michol*, cùm *simulacrum* illud excepto capite lateret sub operimento. Sic etiam statua Alexandrina *Serapis* dicta, quæ curâ *Theophili* Episcopi, ac jussu Imp. *Theodosii* M. an. D. 389. (al. 391.) fuit destructa, tametsi ex *metallo (i)* constiterit, (sive *Sinopensis* ea fuerit, sive de novo per Alexandrinos fusa,) pariter latiori sensû ex usu in dies invalescente fuit sic vocata; quamvis nomen illud (*Serapis* ut & *Theraphim*) priùs *fictilibus* statuis fuerit impositum.

LXXX. His in rem nostram præmissis, ad textum nostrum ex *Hosea* sumptum rediens dico; *Theraphim* quantùm ad literam in nostro quoque textu latiori sensû accipi, ut potissimùm sculptas & fusas significet (in litera) imagines; de quibus statim dicturus sum; quamvis nec *fictiles* certo quodam sensû infra (*k*) declarando hîc penitùs excludantur. Sunt autem illæ imagines, quæ hîc sub nomine *Theraphim* intelliguntur, (1.) primariò ipsæ imagines τῶν *Cherubim*, tam à Mose, quàm à Salomone

(*i*) *Vide* Socr. *Hist. Eccl. Lib.* 5. c. 16. (*k*) §. 85. & 116. *h. cap.*

ne factæ, utrinque binæ, h. e. in totum quatuor, ac per ipsum Salomonem intra adytum Templi à se ædificati in ipso Sancto Sanctorum collocatæ: (quæ post captivitatem Babylonicam nunquam ampliùs fuerunt apud Judæos.) Nihil enim majestate vel sanctitate Dei indignum eô fit, quòd sacræ quædam & â Deo institutæ imagines, videlicet *Cherubim* voce *Theraphim* in nostro textu indicantur. Nam cùm vox per se sit licita, & innocui usûs, (quod & supra (*l*) monuimus,) atque ipse quoque Apostolus veteres ritus Mosaicos, vocabulô minoris momenti (*m*) *umbras* vocet; nulla subest ratio solida, ob quam *Cherubim* etiam in litera, *imagines* (seu *Theraphim* sensû latiore) non potuissent à Spiritu S. dici. Sic probabile etiam est, quòd per hanc eorum denominationem licitam & innocuam, fallacibus illicitorum *Theraphim* responsis, vera & Divina responsa, quæ (*n*) fiebant è *medio Cherubim*, & falsorum Deorum habitaculis, veri Dei habitacula typica, implicitè (in sugillationem illorum) fuêre opposita. Accedit, quòd cùm jam in superioribus (*o*) monstratum sit, non posse hîc intelligi idololatricas ima-

(*l*) S. LXXI. b. cap. pag. 359. (*m*) Hebr. 10. v. 1. (*n*) Exod. 25. v. 22. (*o*) S. LXVIII. b. cap. pag. 358.

imagines, quà tales sunt, vel fuerunt, easque (in illo respectu) jungi cum rebus sacris; inde sequitur, nihil hîc convenientiùs (primariò nempe) per *Theraphim* (in litera) intelligi, quàm ipsos *Cherubim*. Et sanè, cùm tot alia *typica* hîc recenseat Spiritus Dei; quomodo *Cherubim*, tam celebres, tamque fœcundè symbolicas *figuras* in hac serie omisisset, sub aliqua voce insinuare? Pro hac sententia stat etiam S. *Hieronymus* verbis illis, quibus vocem *Theraphim* in nostro *Hoseæ* textu sic exponit: (*p*) תרפים (Theraphim) *propriè appellantur μορφώματα, id est, figuræ & simulacra; quæ nos possumus in præsenti duntaxat loco, CHERUBIM & Seraphim, sive alia, quæ in Templi ornamenta fieri jussa sunt, dicere.* Quæ de *Seraphim* & *aliis* (præter Cherubim) *Templi ornamentis* hîc subnectit S. Doctor, de iis paulò post (*q*) dicemus. Sufficit ad scopum nostrum, quod disertè habemus apud tantum Doctorem, in *Hosea* per *Theraphim* posse *Cherubim* intelligi.

LXXXI. Quia verò duplices erant *Cherubim* inde à Templo per *Salomonem* ædificato, (hoc est, in totum quatuor, quod & supra (*r*) insinuavimus,) qui alis suis tegebant *arcam fœderis*; ideò operæ pretium est, pro

(*p*) *S. Hieron. Comm. in Hos. c.* 3. *v.* 4. (*q*) *S. 84. hôc cap.* (*r*) *S. 80. h. cap. pag.* 381.

pro feliciùs & pleniùs investigando sensu spirituali, ut aliquid etiam de situ eorum hîc dicamus. Quorum quis situs fuerit, & quæ diversitas in situ, insuper quæ materia eorum, eruditus Lector scire potest ex textibus quibusdam Scripturæ S. inter se collatis; scil. ex Exod. 25. v. 18. 19. 20. & 37. v. 7. 8. 9. item 3. (al. 1.) Reg. 6. v. 23. 24. 25. 26. 27. collat. ibid. c. 8. v. 6. 7. Quorum sensum (Lectoris juvandi causâ) sic *Ribera* (post alios) expressit: *In* (ʃ) *Oraculo erant Cherubim & arca, quæ tegebatur alis eorundem Cherubim. Sed aliter positi erant Cherubim in Tabernaculo, aliter in Templo. Nam arca in Tabernaculo erat in medio Sancti Sanctorum in pavimento, & è Cherubim, qui toti erant aurei, alter erat in latere uno operculi arcæ, (quod Propitiatorium dicitur,) alter in altero mutuò se aspicientes, & alis undique tegentes Propitiatorium. Nam à Meridie & Septentrione tegebant illud crassitudine corporum, ab Oriente autem & Occidente alis expansis; ita ut, dextera ala unius tangeret sinistram alterius, & vice versâ, ut si duo homines se se aspiciant, seque manibus teneant. At ii, quos Salomon fecit, & in medio Oraculi similiter posuit, multò majores erant, videlicet decem cubitorum* † *alti-*

(ʃ) *Ribera* de Templo *Lib. 2. c. 6. p.* 130. & 131. † *In latitudinem autem alis suis extensis unusquisq; illorum* decem, & *ambo junctim* viginti cubitos *occupabant.*

altitudine, ideoque non erant toti aurei, ut priores, sed de lignis olivarum, quòd ei materiæ, nec ,, tempeſtas, nec caries, nec vetuſtas poſ- ,, ſit nocere, (*ut ait Vitruv. Lib.* 1. *c.* 5.) *operti tamen laminis aureis. Nec ſe mutuò aſpiciebant, ſed facies habebant verſas ad Domum exteriorem, ſive ad Orientem, terga ad Occidentem, & alas habebant quinque cubitorum ſingulas, extenſas versùs Meridiem & Septentrionem, ita ut ala exterior unius tangeret parietem Meridianum, altera alterius parietem Septentrionalem, interiores verò alæ amborum ſe ſe attingerent, tegentes arcam cum Propitiatorio, & cum duobus Cherubim aureis, quos fecerat Moſes, & ibi ſimiliter poſiti erant.* (Scilicet ſub *alis* majorum *Cherubim.*) Hæc *Ribera.* Adde his, quòd de quantitate *Cherubinorum* Moſis nulla certa menſura in Codice ſacro eſt poſita, ſecùs quàm de quantitate *Cherubinorum* Salomonis: tametſi ex quantitate *arcæ*, (quæ fuit longa (*s*) *duorum cubitorum* cum *dimidio,* lata *unius cubiti* cum dimidio, & alta juxta menſuram latitudinis,) atque etiam ex menſura *operculi* ejuſdem, (quod longum fuit *duorum* cum *dimidio cubitorum*, latum verò *unius* & *dimidii*) colligi poteſt, tantæ fuiſſe quantitatis *Cherubinos* Moſis cum ſuis alis, ut *arcæ* & *ejus* operculo congrua & decora cum proportione reſponderent.

(*s*) *Exod.* 25. *v.* 10.

LXXXII.

LXXXII. Cujus autem formæ fuerint *Cherubim* tam *Mosis*, quàm *Salomonis*, (qui procul dubio ad exemplar Mosaicorum suos *Cherubim* conformavit,) de eo nunc paucis hoc tantùm dicam. Habuisse illos formam & faciem *humanam*, tum communior Doctorum sententia, tum ipsa decentiæ consideratio tenere suadet. *Alatos* verò fuisse, & *pedibus erectis* stantes, ex ipsa Scriptura S. (t) novimus. Statio quidem erecta, de *Salomonis* tantùm *Cherubim* dicitur expresse; (cit. in margin. † loc.) sed inde per consequentiam inferimus etiam de *Mosaicis*, quòd erectis pedibus steterint, tum ex eo, quòd illi ad horum exemplar videntur fuisse facti, tum etiam ex hoc, quòd descriptio eorum per *Mosen* facta, erectam stationem requirat potiùs, quàm ullum alium situm. Ultra hæc, ad exemplar *Cherubim Ezechielis*, non facilè possumus quicquam definire de dictis Mosis & Salomonis *Cherubim*. Fateor quidem, quòd ex *Cherubinis* per *Ezechielem* (cap. 1. & 10.) visis, non exigua lux affulget *Cherubinis* illis prioribus utrisque, quantum ad mysterium futuri in illis & his reconditum: (consonam enim habent hi & illi inter se signi-

(t) *Exod.* 25. *v.* 20. & 37. *v.* 9. *Item* 1. (*al.* 3.) *Reg.* 6. *v.* 24. 27. & 8. *v.* 7. † 2. *Paral.* 3. *v.* 13.

significationem spiritualem, & in eundem scopum tendentem:) sed quòd ex illis certò colligamus, *Mosis* & *Salomonis* Cherubinos similes formâ *Ezechieliticis* fuisse, ac signanter *quaternas* (*u*) *facies*, (*humanam* nempe à fronte, *leoninam* à dextra, *bovinam* à sinistra, & *aquilinam* à tergo in occipite) ad exemplar *Ezechieliticorum* habuisse, (uti & ego post alios aliquando (*v*) putavi,) ad hoc nulla nobis solida ratio ex textu *Ezechielis* cum descriptione *Mosis* & *Salomonis* Cherubim collato suppetit. Imò potiùs magna inde in forma literali horũ & illorum diversitas elici videtur. Facies certè præter singulas singulorum *Cherubim*, quibus *Mosaici* sese mutuò respiciebant, & quas *Salomonei* versas ad exteriorem Domum (seu ad Orientem) habebant, plures alias illis extitisse, ne minimum quidem vestigium in descriptione eorundem apparet: *alas* verò *binas* habuisse, satis validè elicitur ex descriptione alarum *Cherubim* Salomonis: nec aliud patet etiam de *Cherubim* Mosis. Quod autem dicit Ezechiel (cap. 10. v. 20.) *Et intellexi, quia Cherubim essent*; hoc tantùm verbis illis nobis insinuat, quòd *animalia*

illa

(*u*) *Vide Ezech.* 1. *v.* 10. (*v*) *In Concionib.* Hung. *cum titulo*: Idvösséges Beszélgetések, (*H. e.* Salutares Sermones,) *Tract. VIII. pag.* 242.

illa admiranda, quæ cap. 1. viderat, quæve *animalium* tantùm nomine tunc indigitaverat, in altera demùm eorundem visione (cap. 10.) intellexit, quòd species illorum cœlestes Virtutes ac Spiritus excellentes, *Cherubim* (x) Hebræis dictos (in mysterium futuri) repræsentarent, quorum etiam Mosis & Salomonis *Cherubim* symbola erant. Qui pleniùs de *Cherubim* formis videre vult, consulat *Pradum* & *Willalpandum* in Ezechielem, ac præcipuè *Cornelium à Lapide*, Comm. tum in Exod. cap. 25. tum in Ezech. cap. 1. Fusè agit de his etiam *Spencerus* Lib. 3. de *Legib. Hebr.* Differt. 5. cap. 3. 4. & seq. Quòd porrò *Tostatus* (y) Abulens. & post eum Corn. à *Lapide* putant ex 1. Paral. 28. v. 18, quatuor fuisse *Cherubim* à *Salomone* factos, ut sic (præter mera ornatûs opera) sex *Cherubim* (cum Mosaicis) fuissent in Templo ejusdem *Salomonis*; id (præterquam quòd communissimæ de *quatuor* tantùm *Cherubim* κατ' ἐξοχὴν sic dictorum in Templo *Salomonis* positorum sententiæ contrarium sit,) ex loco illo citato nequaquam colligi potest. Ibi enim non de aliis *Cherubinis*, v. gr. super *altari Thymiamatum* erectis, (ut volunt memorati Au-

(x) *Juxta Gen. 3. v. 24.* (y) Tostat. *in 1. Paral* 28. *Qu. 6. fol.* 332. *Corn. à* Lap. *Comm. in Exo.* 25. *v.* 18.

thores,) ſed de *Cherubinis* majoribus, ad *ſimilitudinem*, ſeu *exemplar* eorundem *Davidi* divinitùs præmonſtratum, & per eum *Salomoni* datum factis, alisque ſuis *arcam fœderis* (juxta 3. Reg. 8. v. 7.) *tegentibus* fit mentio. *Aurô* nempe illô, de quo citatus verſus ſonat, partim *altare incenſi*, partim dicti *Cherubini* majores integrè obducebantur.

LXXXIII. Quòd autem ſuprà (z) in expoſitione *Theraphim* Hoſeæ audivimus jungi à S. Hieronymo *Seraphim* cum *Cherubinis*, quaſi etiam *Seraphim* unà cum *Cherubim* adfuiſſent in ornamentis Templi Salomonis, ratio hæc eſt: Quia veteres quidam S. Eccleſiæ Doctores, *Cherubim* & *Seraphim* pro iiſdem Angelis acceperunt, tanquam diverſos eorundem titulos; ſcilicet *Cherubim* dictos à multitudine ſcientiæ, & *Seraphim* ab ingenti erga Deum ardore. Sic legimus de illis etiam apud *Tertullianum* verba iſta: (a) *Cherubim & Seraphim aurea in arcæ figuratum exemplum, certè ſimplex ornamentum, accommodata ſuggeſtui*.&c. Huc faciunt & illa *Philaſtrii* (circa an. Dom. 380.) Brixienſis Epiſcopi: *Cherubin & Seraphin animalia duo - - voce ſublimi Deum collaudantes.* Item: *Cherubin & Seraphin quadriformia, id eſt, Leonis, Vitu-*

(z) *S. 80. h.c. pag. 382.* (a) *Adverſ.* Marcion *lib. 2. c. 7 21.*

Vituli, Hominis, & Aquilæ, diversa sunt Sanctorum pariter, virtutumque certamina fortiora. Consulat hîc Lector de veterum sententiis etiam *Willalpandum* (b) in Ezech. c. 41. Ita docet post hos etiam Corn. à *Lapide* verbis istis: (c) *Patet Cherubim hîc* (nempe Exod. 25.) *significare non tantùm secundum ordinem Angelorum primæ Hierarchiæ, qui propriè dicuntur* Cherubim; *sed etiam omnes alios Angelorum ordines. Unde Patres subinde hos* Cherubim *vocant* Seraphim; *uti ostendit Willalpando.* Hæc de primario significato literali *Theraphim* Hoseæ, scil. de *Cherubim* arcam fœderis tegentibus.

LXXXIV. (2.) Per *Theraphim* secundariò intelliguntur in nostro textu, quantum ad literam, aliæ quædam *imagines* & *figurationes*, (Græcè *μοϱφώματα*,) quæ fuerunt in ornamentis tum *Templi* Salomonis, tum *Tabernaculi* Mosis: uti erant in *Templo* Salomonis ornamenta quædam, (d) *leones, boves*, & specialiùs *Cherubim* dicta, unà cum *palmis* & *picturis* variis; (erant autem *Cherubim* illi parvi, non solùm in parietibus & tabulatis sculpti atque cælati, auroque

 tecti,

(b) *Tom. 2. Explanat. in Ezech. Part. 2. lib. 4. c, 36. pag. 312. edit. Rom. an. 1604.* (c) *Corn. à Lap. Comm. in Exod. 25.* (d) *3. (al. 1.) Reg. 7. v. 29. 36. collat. ibid. v. 6. 29. 32. 35. Specialiùs de 12.* bobus, *vide 3. Reg. 7. v. 25. & 2. Paral. 3. v. 7. & 4. v. 3.*

tecti, ſed & in ipſo *velo* (*e*) Sancti Sanctorũ *texti* :) addit *Joſephus* (*f*) etiam *aquilas* : ſed fortè ille has, loco *Cherubim* alatorũ poſuit, cùm in illo nulla mentio *Cherubim* in ornamentis parietum aut veli inveniatur, tametſi Scriptura S. diſertè eorum meminit. Talia item erant in *Tabernaculo*, (*g*) in ejus *decem cortinis* & *velo*, ornamenta ſpeciali nomine *Cherubim* dicta in Hebræo & Græco textu. Quid enim vetat, quò minùs per ornamenta illa, parvas quaſdam (*h*) *Cherubim* figuras ipſi materiæ *cortinarum* & *veli* intextas, unà cum floribus quibuſdam intelligamus? Sicut etiam *velo* Templi *Cherubim* ejuſmodi fuerunt intexti, juxta 2. Paral. 3. v. 14. Et ſanè iſtæ figuræ, non minùs poterant *Theraphim* (h.e. imagines) dici, ex latiori vocis illius uſu & ſenſu, quàm *ſimulacrum* (*i*) Michol, (Græcis LXX. dictum in plur. *κενοτάφια*, *cenotaphia*,) undecunque congeſtum vel compoſitum. Atque hîc

(*e*) *Vid.* 2. *Par.* 3. *v.* 14. (*f*) *Antiquit. Lib.* 8. *c.* 2. *edit. Græc. & Lat. p.* (*mihi*) 261, (*g*) *Exod.* 26. *v.* 1. *&* 31. *juxta text. Hebr. & Græc. & cap.* 36. *v.* 8. *&* 35. (*h*) *S.* Hieron. *Epiſt.* 130. *ad Marcell. in locis nunc citatis, per* Cherubim *latiori ſensû intelligit* opus (*plumariæ artis*) varium atque depictum. *Sed nîl obſtat, quò minùs ſub tali* opere *parvorum etiam* Cherubim *figuræ ornatûs causâ facta includantur.* (*i*) 1. *Reg.* (*al.* 1 *Sam*) 19. *v.* 13. 16.

hîc jam locum habent verba illa S. *Hieronymi* in expoſitione *Theraphim* Hoſeæ ſupra memorata : (*k*) *Sive alia* (inquit) *quæ in TEMPLI ORNAMENTA fieri juſſa ſunt.* Intelligit hîc *alia* præter *Cherubim* tegentes arcam fœderis, de quibus ibidem proximè meminerat. Juxta quam ejus expoſitionem, præter recenſitas figuras, h. e. præter *leones*, *boves*, & *parvos Cherubim*, (cælatos aut textos,) *palmæ* etiam & *flores* unà cum aliis ornamentis, ſub dicta voce *Theraphim* latiſſimè intellecta comprehenduntur. Sic etiam alibi hoc latiſſimo ſensû accipit vocem eandem, dum in Epiſt. 130. ad Marcellam, de *Theraphim* Hoſeæ diſertè ſcribit: *In Theraphim, id eſt, figurationibus, vel figuris, varia opera, quæ* Theraphim *vocantur, intelligi.* Cùm autem à LXX. Int. vox *Theraphim* apud Hoſeam voce δήλων, *manifeſtationes* ſignificante, (quâ aliàs ſubinde ab iiſdem Hebr. *Urim* exprimitur,) translata eſt, & à Chaldæo, voce מחוי (*Mechavvi,*) quæ ſonat, *indicantem*, ſcil. futura, vel ſecreta & dubia; exiſtimare licet reſpectum ab iis fuiſſe ad mentem utentium ſuis imaginibus *Theraphim* dictis, ad obſcura vel dubia *manifeſtanda*, ut per hoc (quod & ſupra (*l*) aliâ ratione inſinuavi,) in ſua illa ver-

(*k*) *S. LXXX. h. cap. pag. 382.* (*l*) *Ibid. p. 381.*

sione titulum *manifestationis* (vel *manifestantium* & *indicantium*) fallacibus & idololatricis *Theraphim* implicitè eriperent, & *figuris* ex Dei præscripto factis, (uti erant *Cherubim* cum suo propitiatorio considerati,) adjudicarent. Quod clarius erit *(m)* infra (de aliis etiam, præter *Cherubim*, Templi ornamentis) in mystica ac spirituali *Theraphim* Hoseæ significatione. Nihil obstat, quòd fortè LXX. Pontificis *Urim* tunc in mente habuerint, quando *Theraphim* Hoseæ δήλους (h. e. *manifestos*, pro voce, *manifestationes*) verterunt. (Idemque dicendum de *Aquilæ* versione, qui ibid. vocem illam φωτισμοὺς, h. e. *illuminationes*, transtulit.) Nam in mystico sensu *Urim* & *Cherubim* inter se concurrunt, & conveniunt: uti & hoc infra (*n*) suo loco audiemus.

LXXXV. (3.) Indirectè, & in respectu quodam remotiori, per *Theraphim* in nostro textu intelliguntur etiam *Vituli Jeroboami*; non quà prohibiti cultûs instrumenta & objecta erant, sed quà in illis etiam Israëlitæ *decem tribuum* rem spiritualem, & bonum aliquod insigne symbolicè figurari tenebant, non minùs quàm Hieroso-

(*m*) §. 87. & *seq. usque ad* §. 114. *inclusivè*, *hôc cap. præsertim* §. 93: & *seq.* (*n*) §. CXIII. *hôc cap.*

rosolymitani Judæi in suis *Cherubim*. Nam procul dubio *Jeroboam* quoque per illos *Vitulos aureos* (quorum formam unde acceperit, in aliud tempus nunc (Deo dante) discutiendum relinquo,) *Cherubim* Hierosolymitanorum usum & significationem mysticam æmulatus est per imitationem quandam suis proponere, inculcare & persuadere. Cùm enim textus noster præcipuè ac primariò de *Israëlitis decem tribuum* sonet; (ut supra (*o*) docuimus;) non est ullo modo probabile, quòd Spiritus Dei in ista enumeratione rerum apud Hebræos typicarum, nullam prorsùs rationem habere voluisset symbolorum mysticorum apud *decem tribus* tam celebrium. Imò (ut paucis & hoc insinuem,) sub latissimo sensû *Theraphim*, (cùm aliàs etiam Scripturæ S. (inprimis Propheticæ) sensus sit (*p*) latissimus,) aliæ etiam illicitæ & divinatrices imagines *κατ' ἐξοχὴν Theraphim* dictæ certô quodam respectû hîc subincluduntur, habitâ nempe ratione gubernationis Divinæ, cujus intuitû nihil est in rebus (præsertim in Religionibus populorum) penitùs (*q*) va-

(*o*) *Ad Quæst. 1. S. V. cap. 2. p. 21. & 22.* (*p*) *Vid.* Clav. Prophet. *Class. 2. Regul. 1. pag. 56. 58. & Reg. 2. ibid. pag. 70. 71.* (*q*) *Vide* Origin. Hung. *Præfat. ad Lect. pag. IX. X.*

vanum, nec est tam *falsum* † quippiam, (ut alibi jam (*r*) ex D. *Thoma*, V. *Beda*, & S. *Augustino* docui,) cui latenter aliquid *veri* non sit *intermixtum*; à Diabolo nempe mirè ac dolosè illic tectum & occultatum, à Deo autem suo tempore (in totalem Regni Satanæ eversionem) per suos Servos revelandum. Quid autem *veri* de mystico sensu latuerit in veterum mysticis & idololatricis *Theraphim*, aliquantò (*s*) pòst (Deo dante) audiemus.

LXXXVI. Post explicatum literalem in *Hoseæ* textu τῶν *Theraphim* sensum latè patentem, superest, ut ad *spiritualem* jam eorundem significationem (quantùm cœlitùs datur) exponendam progrediamur.

LXXXVII. Quod *primarium* hîc sensûs literalis punctum attinet, nempe ipsos *Cherubinos* Mosis & Salomonis; tanta est mysterii eorundem profunditas & fœcunditas, ut non nisi generaliter & pauca quædam de iis (utpotè nondum plenè impletis) dicere nunc queamus. Quòd *Cherubim* memorati *Angelorum* tanquam custodum & protectorum veteris populi Dei *symbola* fuerint, id quidem non negamus, imò pro fundamento & lumine quodam ple-

† *Scil. in* Doctrina. (*r*) Clav. Prophet. *Class. 1. pag. 48. 49. 51. 52.* (*s*) *S. 116. h. cap.*

plenioris sensûs spiritualis (*s*) supponimus; at verò in eo tantùm sensu fuisse terminatum scopum Spiritûs S. in figuris dictorum *Cherubim*, prorsus negamus. Nam cùm *Lex* Mosaica (*t*) *umbra* fuerit *futurorum bonorum*; (Apostolo docente, loco jam & antehac (*u*) in nostrum scopum citatô;) inde sequitur, quòd etiam *Cherubim* figuræ, eidem *Legi* Mosaicæ annexæ, *futurorum* Novi Test. *bonorum* fuerunt *umbræ* & figuræ propheticæ. Uno verbo: Nihil fuit in *Tabernaculo* Mosis ex præscripto Divino, nihil etiam in *Templo* Salomonis, quod *umbra* & figura non fuisset *futurorum*. Et ut illa *futura* in dictis *Cherubim* olim latentia rectè cognoscere possimus, oportet, ut etiam Ezechielis (*v*) *Cherubinorum* & Apocalypseos (*x*) *quatuor animalium* mysteria in considerationem hîc sumamus. Omnia enim hæc emblemata in eundem scopum tendunt, tametsi cum quadam diversitate respectuum, temporum & personarum. Scilicet, quæ in *Cherubim Mosis* & *Salomonis* parciùs & simpliciori in forma fuêre præfigurata de futuris S. Ecclesiæ N. Test. rebus, ea-

(*s*) *Vide infra* §. *XCIV. h. cap.* (*t*) *Hebr. 10. v. 1.* (*u*) §. *LXXX.* (*in marg.*) *h. cap. pag. 381.* (*v*) *Ezech. cap. 1. v. 5. & sequ. & cap. 10. v. 14, 15. - - 20. 21.* (*x*) *Apoc. 4. v. 6. 7. 8.*

eadem ipſa in viſione *Ezechielis* in diverſis *quatuor animalium* faciebus, & alia eorundem deſcriptione pleniùs ſunt monſtrata, ad eaſdem eorum, quorum ſunt figuræ propheticæ, virtutes ſignificandas. Quod ſine dubio ideò ſic factum eſt; quia *Sancti* illi, quorum *Cherubim* figuræ propheticæ ſunt ac fuerunt, gradatim ad illa pervenient, quæ in figuris diverſis ac plenioribus monſtrantur; hoc tamen manente, quòd principalitas quædã *Sanctis* illis attribuenda erit, qui (tanquam radices & baſes aliorum) per *Cherubim* Moſis ſpecialiùs præfigurantur. Per Salomonis etiam *Cherubim*, qui ſpecialiùs præ aliis ſignificentur; (nam appparet manifeſta inter hos & illos in materia, in quantitate & ſitu * diverſitas, ſed diverſitas valde concors & conſona ratione ejuſdem ſcopi,) infra † dicetur. S. *Joanni* autem eadem (in re ſaltem præcipua) *animalia* eatenùs monſtrata ſunt, (ſcil. non in conjunctis, ut *Ezechieli*, ſed in disjunctis *quatuor animalium* formis,) quatenùs in quibuſdam eximiis *Sanctis*, hæc vel illa virtus præ aliis virtutibus magis ſe exerit & exeret in Dei gloria promovenda; tametſi omnes illi qui hîc præfigurantur, habe-

* *Vide ſupra* §. 81. *hôc cap. pag.* 383. † §. 102. *hôc cap.*

bebũt virtutes illas junctim, quæ sub *quatuor animalium* faciebus & formis significantur.

LXXXVIII. Antequam pleniùs de mysteriis dictarum figurarum *futura* spectantibus quippiam hîc dicamus; operæ pretium est, ut lucis causâ, in ea quæ dicentur, sequentia præmittamus. Audivimus jam supra (y) ex *Philastrio* Brixiensi, quòd *Cherubim quadriformia, id est, Leonis, Vituli, Hominis, & Aquilæ* formas habentia, *diversa sunt Sanctorũ pariter virtutumq; certamina fortiora*; qui illicò verbis illis ista subjungit: *Præcellendæ eorum variæque dignitatis, Patriarcharum quippe & Prophetarum, Sacerdotum atque Apostolorum, itidem cum Martyribus sociata*, scil. *certamina*, pro fide Christi. Jungit autem in his certaminibus *Patriarchas, Prophetas*, & sanctos *Sacerdotes* Veteris Test. ipsis *Apostolis* & *Martyribus*, non solùm ob fidem eorum in venturum *Messiam*, sed maximè ideò; quia illorum *Spiritus* & *Virtutes* quodam modô revixerunt in *Apostolis* & *Martyribus*. Audiamus hîc etiam S. *Hieronymum* sic paucis de *Cherubim* scribentem: (z) *Matthæus, Marcus, Lucas & Joannes, quadriga Domini, & verum CHERUBIN,* quod

(y) S. *LXXXIII. h. cap. pag.* 388. & 389. (z) *Epist.* 103. *ad* Paulin. *cap.* 7. *Vide proximè in fronte Biblior. Vulg. edit. Confer eundem in Proœm. Comment. in Matth. ad* Euseb. *Cremonens.*

Quod interpretatur, scientiæ multitudo, per totum corpus oculati sunt, scintillæ emicant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos, & in sublime tendentes, terga pennata, & ubique volitantia. Tenent se mutuò, sibique perplexi sunt, & quasi rota in rota volvuntur, & pergunt, quocunque eos flatus Sancti Spiritûs perduxerit. Juxta hæc agnoscimus & fatemur præludium quoddam implementi mysteriorum *Cherubim* fuisse sub initium Novi Test. in sanctis Apostolis, Evangelistis & Martyribus præclaris; sed non esse in illis tantùm terminatam mysteriorum illorum significationem, imò de plenitudine sensûs in ultima tempora tendere, paulò pòst (*a*) patebit. Porrò, dum quatuor Evangelistæ *Cherubim* (hoc est, illorum spirituali significationi respondentes) dicuntur hîc à S. *Hieronymo*, & alibi *quatuor animalia* Apocalyptica, tum ab ipso, tum ab aliis non paucis; minimè putandum est, illâ denominatione & expositione, solas eorum personas insinuari; sed omnes eorum doctrinæ fervidos imitatores, & strenuos ac indefessos ejusdem doctrinæ *Evangelizatores* & disseminatores una cum illis, & eorum mentione intelligi: quod vel ipsa verba S. *Hieronymi* non obscurè nobis indicant. Præsertim verba

(*a*) *S. 93. 94. & 95. hôc cap.*

ba illa diligenter hîc ad ſcopum noſtrum notanda ſunt: *Tenent ſe mutuò, ſibique perplexi* (h. e. arctè connexi) *ſunt.* &c. Quibus arcta & ſancta eorum, quibus deſcriptio illa competit, concordia, & in prædicando harmonica conformitas, ac in labore ſacro ſtrenua unanimitas indicatur. Interpretatio autem illa, quâ vox *Cherubim* exponitur à S. *Hieronymo*, (& aliis SS. Patribus,) quòd ſignificet, *ſcientiæ multitudinem*, eſt accepta ex antiqua Judæorum traditione & interpretatione; ut patet ex *Philone* Judæo; (*b*) qui (circa an. D. 40.) diſertè poſuit illam interpretationem, quòd nomen *Cherubim* ſit (ἐπίγνωσις καὶ ἐπιστήμη πολλή,) *cognitio & ſcientia multa.* Originem † ejus grammaticam hîc inquirere, nec vacat, nec eſt adeò ad ſcopum præſentem neceſſarium. Hoc ſaltem paucis inſinuo; me ſcil. exiſtimare, quòd *Cherab* Syro-Chaldaicum, h. e. *arare*, cognatæ vel ejuſdem ſignificationis fuerit olim cum voce earundem (cum quadam tranſpoſitione) conſonantium, *Chabbir*, h. e. *Potens*, *validus*, (à rad. *Chebar*, vel *Chabar*,) ut ſic *Cherub* de Angelis, tum viribus tum ſcientiâ *potentem, plenum,*

(*b*) *Phil. de vita Moſis Lib. 3. p. 668. edit. Pariſ.* 1640.
† *Fusè & eruditè agit de ea* Spencer. *de Legib. Hebraor. Lib. 3. Diſſert. 5. c. 3. p. 281. - 288.*

num, vel *abundantem*, antiquis Hebræis significaverit.

LXXXIX. Adjungamus superioribus sequentem etiam S. *Augustini* de mysterio *Cherubim* expositionem: (*c*) *Cherubim* (inquit) *sedes Dei est, sicut Scripturæ tradunt.* - - *Si vis, ut sedeat in te Deus, si bonus eris, sedes Dei eris: sic enim scriptum est:* (*d*) Sedes sapientiæ, anima justi. *Nam & ipsum Cherubin interpretati sunt quidam, & dixerunt esse Cherubin,* plenitudinem scientiæ. - - *Sit in te ergo* plenitudo scientiæ, *& eris & tu sedes Dei. Sed fortè dicturus es: Et quando in me erit* plenitudo scientiæ? *Et quis potest ad tantum culmen pervenire, ut sit in illo* plenitudo scientiæ, *ut noverimus, aut quot sint stellæ, aut quot sint grana*, &c.? *Sed alia est* plenitudo scientiæ, *quam voluit hominem nôsse. Ad Legem Dei pertinet scientia, quam te voluit habere. Et quis potest, fortè dicas mihi, perfectè nôsse Legem, ut habeat in se* plenitudinem scientiæ Legis, *& possit esse sedes Dei? Noli turbari, breviter tibi dicitur quid habeas, si vis habere* plenitudinem scientiæ, *& esse sedes Dei: ait enim Apostolus;* (*e*) Plenitudo autem Le-„gis CHARITAS. -- *Interroga cor tuum, vide utrùm habeat charitatem. Si est ibi* charitas, *est*

(*c*) *S. August. Enarr. in Psal. 98. v. 1.* (*d*) *De hoc dicto vide quadam loca notata in* Clavi *mea* Prophetic. *pag.* 330. *in margin.* (*e*) *Rom.* 13. *v.* 10.

est ibi plenitudo Legis : *jam in te habitat Deus, sedes Dei factus es. - - Cœlum Dei animæ sanctæ sunt. - - Ergo si obscurum tibi erat, quia dictum est,* „ Qui sedet super Cherubin, *nesciebas, quid est* Cherubin ; - - *dictum est tibi, quia* Cherubin plenitudo scientiæ *est*, *& dictum est, quia* plenitudo *non cujuslibet* scientiæ, *sed* plenitudo scientiæ Legis *utilis est homini : & ne desperares, breviter tibi dictum est:* „ Plenitudo Legis est charitas. *Habeto ergo CHARITATEM in Deum & in proximum, & ERIS SEDES DEI, pertinebis ad CHERUBIN.* Alibi etiam pariter sic docet : (*f*) *Licet intelligamus* (inquit) *Cherubin esse sublimes cœlorum Potestates atque Virtutes, tamen si vis, eris Cherubin. Si enim* Cherubin *sedes est Dei, audi quid dicat Scriptura :* (*ff*) Anima justi sedes est Sapientiæ. *Quomodo, inquis, ero* plenitudo scientiæ ? *Quis hoc implet ? Habes unde impleas* ; Plenitudo Legis charitas. - - *Sit in te CHARITAS, & necesse est PLENITUDO SCIENTIÆ consequatur. Quid enim nescit, qui Charitatem scit ? quandoquidem dictum est :* (*g*) *DEUS CHARITAS est.* Ex his patet, quanta *charitas* (Angelicæ nempe comparanda) requiratur in iis, & per consequens quanta **scientia Le-*

(*f*) *Enarr. in Psal. 79. v. 2.* (*ff*) *Vide de hoc suprà pag. 400. in margin.* (*g*) *1. Joan. 4. v. 16.* * *Est hæc* mirabilium Legis *scientia, juxta Psal. 118. (al. 119.) v. 18.* Revela oculos meos, *&c.*

Legis Divinæ, (ut & universæ doctrinæ Scripturariæ,) in quibus plenè implenda sunt mysteria *Cherubim*. Imò & hoc discimus hinc, quòd ut *plenitudinem scientiæ* in genere, sic specialiùs etiam *plenam veritatis Fidei* cognitionem nemo consequi potest sine vera *charitate*. Unde discant & illi, qui cùm procul adhuc sint à *charitate* per Apostolum † laudata, attamen dum ad sanctam modestiam & ad Christianæ ac fraternæ *pacis* & *unionis* studium vocantur, solent illicò sic præscribere; quòd *Pacis* & *Unionis* Ecclesiasticæ *fundamentum* debet esse *Veritas*; discant inquam, tunc hoc aliis præscribere, quando ipsi pro acquirenda solida *Veritatis* cognitione, ipsam *charitatem* ab Apostolo laudatam sibi pro fundamento posuerint, eamque intra se senserint.

XC. Quia verò diximus (*h*) in eundem scopum tendere, hos *Cherubim*, & *quatuor animalia* Apocalyptica, sibique invicem valde cognata esse; idcircò ne omittamus hîc etiam ea, quæ noster *Pannonius* de *quatuor* illis *animalibus*, (ut & de *Ezechieliticis*) eruditè consignavit his verbis: (*i*) *Cæterùm figurant non illepidè hæc quatuor animalia ipsum Dominum nostrum JEsum Christum, qui natus est ut homo,*

† 1. *Cor.* 13. *v.* 1; 2. & *seq.* (*h*) *S.* 87. *hôc cap. pag.* 295.
(*i*) Pannon. *Collectan. in Apoc.* 4. *v.* 7. *pag.* (*mihi*) 117.

mo, passus ut vitulus, surrexit ut leo, ascendit ut aquila. At verò mox illicò propiùs ad scopum sic pergit: (k) *Designantur præterea per hæc eadem animalia omnes Sancti, id est, fideles. Neque enim aut solis quatuor Evangelistis, aut aliis quibusvis tam propria esse possunt, quæ de ipsis animalibus hîc & in Ezechiele dicuntur, ut non cæteris quoque conveniant. Qui ergo per hæc animalia figurantur, veri ac constantes & intrepidi veritatis assertores sunt, per quatuor mundi partes, id est, in universo Orbe divisi. Omnis namque Dei Servus, seu unusquisque electus, in quantùm rationabiliter secundùm voluntatem Dei vivit,* homo *est; quia* homo *est rationale animal. In quantum verò adversa istius sæculi æquanimiter & fortiter tolerat,* leo. *Scriptum est enim:* (l) „ Justus „ quasi leo confidens, absque terrore erit. *Denique in quantum se mortificat cum vitiis & concupiscentiis,* vitulus. *In quantum per mentis contemplationem petit cœlestia,* aquila. *Ex hinc collige, quali argumento filii Ecclesiæ, filii electionis & gratiæ cognoscantur.* Vide ibidem pleniùs horum cognitionem, & à filiis *Synagogæ Satanæ* distinctionem. Et paulò post sic in ulteriori eorum descriptione procedit: *Denique* pleni oculis antè & retrò *sunt, dum COGNITIONIBUS ABUNDANT. - - Pluralitas oculorum cognitionum copia est. Veritatis siqui-*

(o) c[illegible] *p. 118.* (l) *Prov. 28. v. 1.*

ſignificationem ſpiritualem, & in eundem ſcopum tendentem:) ſed quòd ex illis certò colligamus, *Moſis* & *Salomonis* Cherubinos ſimiles formâ *Ezechieliticis* fuiſſe, ac ſignanter *quaternas* (u) *facies*, (*humanam* nempe à fronte, *leoninam* à dextra, *bovinam* à ſiniſtra, & *aquilinam* à tergo in occipite) ad exemplar *Ezechieliticorum* habuiſſe, (uti & ego poſt alios aliquando (v) putavi,) ad hoc nulla nobis ſolida ratio ex textu *Ezechielis* cum deſcriptione *Moſis* & *Salomonis* Cherubim collato ſuppetit. Imò potiùs magna inde in forma literali horũ & illorum diverſitas elici videtur. Facies certè præter ſingulas ſingulorum *Cherubim*, quibus *Moſaici* ſeſe mutuò reſpiciebant, & quas *Salomonei* verſas ad exteriorem Domum (ſeu ad Orientem) habebant, plures alias illis extitiſſe, ne minimum quidem veſtigium in deſcriptione eorundem apparet: *alas* verò *binas* habuiſſe, ſatis validè elicitur ex deſcriptione alarum *Cherubim* Salomonis: nec aliud patet etiam de *Cherubim* Moſis. Quod autem dicit Ezechiel (cap. 10. v. 20.) *Et intellexi, quia Cherubim eſſent*; hoc tantùm verbis illis nobis inſinuat, quòd *animalia* illa

(u) *Vide Ezech.* 1. & 10. (v) *In Concionib.* Hung. *cum titulo*: Idvöſſéges Beſzélgetéſek, (*H. e.* Salutares Sermones,) *Tract. VIII. pag.* 242.

illa admiranda, quæ cap. 1. viderat, quæve *animalium* tantùm nomine tunc indigitaverat, in altera demùm eorundem visione (cap. 10.) intellexit, quòd species illorum cœlestes Virtutes ac Spiritus excellentes, *Cherubim* (x) Hebræis dictos (in mysterium futuri) repræsentarent, quorum etiam Mosis & Salomonis *Cherubim* symbola erant. Qui pleniùs de *Cherubim* formis videre vult, consulat *Pradum* & *Willalpandum* in Ezechielem, ac præcipuè *Cornelium* à *Lapide*, Comm. tum in Exod. cap. 25. tum in Ezech. cap. 1. Fusè agit de his etiam *Spencerus* Lib. 3. de *Legib. Hebr.* Differt. 5. cap. 3. 4. & seq. Quòd porrò *Tostatus* (y) Abulens. & post eum Corn. à *Lapide* putant ex 1. Paral. 28. v. 18. quatuor fuisse *Cherubim* à *Salomone* factos, ut sic (præter mera ornatûs opera) sex *Cherubim* (cum Mosaicis) fuissent in Templo ejusdem *Salomonis*; id (præterquam quòd communissimæ de *quatuor* tantùm *Cherubim* κατ' ἐξοχὴν sic dictorum in Templo *Salomonis* positorum sententiæ contrarium sit,) ex loco illo citato nequaquam colligi potest. Ibi enim non de aliis *Cherubinis*, v. gr. super *altari Thymiamatum* erectis, (ut volunt memorati Au-

(x) *Juxta Gen.* 3. *v.* 24. (y) Tostat. *in* 1. *Paral.* 28. *Qu.* 6. *fol.* 332. *Corn. à* Lap. *Comm. in Exo.* 25. *v.* 18.

thores,) ſed de *Cherubinis* majoribus, ad *ſimilitudinem*, ſeu *exemplar* eorundem *Davidi* divinitùs præmonſtratum, & per eum *Salomoni* datum factis, aliisque ſuis *arcam fœderis* (juxta 3. Reg. 8. v. 7.) *tegentibus* fit mentio. *Aurô* nempe illô, de quo citatus verſus ſonat, partim *altare incenſi*, partim dicti *Cherubini* majores integrè obducebantur.

LXXXIII. Quòd autem ſuprà (z) in expoſitione *Theraphim* Hoſeæ audivimus jungi à S. Hieronymo *Seraphim* cum *Cherubinis*, quaſi etiam *Seraphim* unà cum *Cherubim* adfuiſſent in ornamentis Templi Salomonis, ratio hæc eſt: Quia veteres quidam S. Eccleſiæ Doctores, *Cherubim* & *Seraphim* pro iiſdem Angelis acceperunt, tanquam diverſos eorundem titulos; ſcilicet *Cherubim* dictos à multitudine ſcientiæ, & *Seraphim* ab ingenti erga Deum ardore. Sic legimus de illis etiam apud *Tertullianum* verba iſta: (a) *Cherubim & Seraphim aurea in arcæ figuratum exemplum, certè ſimplex ornamentum, accommodata ſuggeſtui*, &c. Huc faciunt & illa *Philaſtrii* (circa an. Dom. 380.) Brixienſis Epiſcopi: *Cherubin & Seraphin animalia duo - - voce ſublimi Deum collaudantes*. Item: *Cherubin & Seraphin quadriformia, id eſt, Leonis, Vitu-*

(z) S. 80. h.c. pag. 382. (a) *Adverſ.* Marcion *lib. 2. c. 22.*

Vituli, Hominis, & Aquilæ, diversa sunt Sanctorum pariter, virtutumque certamina fortiora. Consulat hîc Lector de veterum sententiis etiam *Willalpandum* (*b*) in Ezech. c. 41. Ita docet post hos etiam Corn. à *Lapide* verbis istis: (*c*) *Patet Cherubim hîc* (nempe Exod. 25.) *significare non tantùm secundum ordinem Angelorum primæ Hierarchiæ, qui propriè dicuntur* Cherubim; *sed etiam omnes alios Angelorum ordines. Unde Patres subinde hos* Cherubim *vocant* Seraphim; *uti ostendit Willalpando.* Hæc de primario significato literali *Theraphim* Hoseæ, scil. de *Cherubim* arcam fœderis tegentibus.

LXXXIV. (2.) Per *Theraphim* secundariò intelliguntur in nostro textu, quantum ad literam, aliæ quædam *imagines* & *figurationes*, (Græcè μορφώματα,) quæ fuerunt in ornamentis tum *Templi* Salomonis, tum *Tabernaculi* Mosis: uti erant in *Templo* Salomonis ornamenta quædam, (*d*) *leones*, *boves*, & specialiùs *Cherubim* dicta, unà cum *palmis* & *picturis* variis; (erant autem *Cherubim* illi parvi, non solùm in parietibus & tabulatis sculpti atque cælati, auroque

(*b*) *Tom. 2. Explanat. in Ezech. Part. 2. lib. 4. c. 36. pag. 312. edit. Rom. an. 1604.* (*c*) *Corn. à Lap. Comm. in Exod. 25.* (*d*) *3. (al. 1.) Reg. 7. v. 29. 36. collat. ibid. c. 6. 29. 32. 35. Specialiùs de 12.* bobus, *vide 3. Reg. 7. v. 25. & 2. Paral. 3. v. 7. & 4. v. 3.*

tecti, sed & in ipso *velo* (*e*) Sancti Sanctorū *texti* :) addit *Josephus* (*f*) etiam *aquilas* : sed fortè ille has, loco *Cherubim* alatorū posuit, cùm in illo nulla mentio *Cherubim* in ornamentis parietum aut veli inveniatur, tametsi Scriptura S. disertè eorum meminit. Talia item erant in *Tabernaculo*, (*g*) in ejus *decem cortinis* & *velo*, ornamenta speciali nomine *Cherubim* dicta in Hebræo & Græco textu. Quid enim vetat, quò minùs per ornamenta illa, parvas quasdam (*h*) *Cherubim* figuras ipsi materiæ *cortinarum* & *veli* intextas, unà cum floribus quibusdam intelligamus? Sicut etiam *velo* Templi *Cherubim* ejusmodi fuerunt intexti, juxta 2. Paral. 3. v. 14. Et sanè istæ figuræ, non minùs poterant *Theraphim* (h.e. imagines) dici, ex latiori vocis illius usu & sensu, quàm *simulacrum* (*i*) Michol, (Græcis LXX. dictum in plur. *κενοτάφια*, *cenotaphia*,) undecunque congestum vel compositum. Atque hîc

(*e*) *Vid.* 2. *Par.* 3. *v.* 14. (*f*) *Antiquit. Lib.* 8. *c.* 2. *edit. Græc. & Lat. p.* (*mihi*) 261, (*g*) *Exod.* 26. *v.* 1. *&* 31. *juxta text. Hebr. & Græc. & cap.* 36. *v.* 8. *&* 35. (*h*) S. Hieron. *Epist.* 130. *ad Marcell. in locis nunc citatis*, *per* Cherubim *latiori sensû intelligit* opus (*plumariæ artis*) varium atque depictum. *Sed nîl obstat*, *quò minùs sub tali* opere *parvorum etiam* Cherubim *figuræ ornatûs causâ factæ includantur.* (*i*) 1. *Reg.* (*al.* 1 *Sam*) 19. *v.* 13. 16.

hîc jam locum habent verba illa S. *Hieronymi* in expoſitione *Theraphim* Hoſeæ ſupra memorata : (*k*) *Sive alia* (inquit) *quæ in TEMPLI ORNAMENTA fieri juſſa ſunt.* Intelligit hîc *alia* præter *Cherubim* tegentes arcam fœderis, de quibus ibidem proximè meminerat. Juxta quam ejus expoſitionem, præter recenſitas figuras, h. e. præter *leones, boves,* & *parvos Cherubim,* (cælatos aut textos,) *palmæ* etiam & *flores* unà cum aliis ornamentis, ſub dicta voce *Theraphim* latiſſimè intellecta comprehenduntur. Sic etiam alibi hoc latiſſimo ſensû accipit vocem eandem, dum in Epiſt. 130. ad Marcellam, de *Theraphim* Hoſeæ diſertè ſcribit: *In Theraphim, id eſt, figurationibus, vel figuris, varia opera, quæ* Theraphim *vocantur, intelligi.* Cùm autem à LXX. Int. vox *Theraphim* apud Hoſeam voce δήλων, *manifeſtationes* ſignificante, (quâ aliàs ſubinde ab iiſdem Hebr. *Urim* exprimitur,) translata eſt, & à Chaldæo, voce מחוי (*Mechavvi,*) quæ ſonat, *indicantem*, ſcil. futura, vel ſecreta & dubia; exiſtimare licet reſpectum ab iis fuiſſe ad mentem utentium ſuis imaginibus *Theraphim* dictis, ad obſcura vel dubia *manifeſtanda*, ut per hoc (quod & ſupra (*l*) aliâ ratione inſinuavi,) in ſua illa ver-

(*k*) *S. LXXX. b. cap. pag.* 382. (*l*) *Ibid. p.* 381.

ſione titulum *manifeſtationis* (vel *manifeſtantium* & *indicantium*) fallacibus & idololatricis *Theraphim* implicitè eriperent, & *figuris* ex Dei præſcripto factis, (uti erant *Cherubim* cum ſuo propitiatorio conſiderati,) adjudicarent. Quod clarius erit *(m)* infra (de aliis etiam, præter *Cherubim*, Templi ornamentis) in myſtica ac ſpirituali *Theraphim* Hoſeæ ſignificatione. Nihil obſtat, quòd fortè LXX. Pontificis *Urim* tunc in mente habuerint, quando *Theraphim* Hoſeæ δήλυς (h. e. *manifeſtos*, pro voce, *manifeſtationes*) verterunt. (Idemque dicendum de *Aquilæ* verſione, qui ibid. vocem illam φωτισμὺς, h. e. *illuminationes*, tranſtulit.) Nam in myſtico ſenſu *Urim* & *Cherubim* inter ſe concurrunt, & conveniunt: uti & hoc infra (*n*) ſuo loco audiemus.

LXXXV. (3.) Indirectè, & in reſpectu quodam remotiori, per *Theraphim* in noſtro textu intelliguntur etiam *Vituli Jeroboami*; non quà prohibiti cultûs inſtrumenta & objecta erant, ſed quà in illis etiam Iſraëlitæ *decem tribuum* rem ſpiritualem, & bonum aliquod inſigne ſymbolicè figurari tenebant, non minùs quàm Hieroſo-

(m) *§. 87. & ſeq. uſque ad §. 114. incluſivè, hôc cap. præſertim §. 93: & ſeq.* *(n)* *§. CXIII. hôc cap.*

rosolymitani Judæi in suis *Cherubim*. Nam procul dubio *Jeroboam* quoque per illos *Vitulos aureos* (quorum formam unde acceperit, in aliud tempus nunc (Deo dante) discutiendum relinquo,) *Cherubim* Hierosolymitanorum usum & significationem mysticam æmulatus est per imitationem quandam suis proponere, inculcare & persuadere. Cùm enim textus noster præcipuè ac primariò de *Israëlitis decem tribuum* sonet; (ut supra (o) docuimus;) non est ullo modo probabile, quòd Spiritus Dei in ista enumeratione rerum apud Hebræos typicarum, nullam prorsùs rationem habere voluisset symbolorum mysticorum apud *decem tribus* tam celebrium. Imò (ut paucis & hoc insinuem,) sub latissimo sensû *Theraphim*, (cùm aliàs etiam Scripturæ S. (inprimis Propheticæ) sensus sit (p) latissimus,) aliæ etiam illicitæ & divinatrices imagines *κατ᾽ ἐξοχὴν Theraphim* dictæ certô quodam respectû hîc subincluduntur, habitâ nempe ratione gubernationis Divinæ, cujus intuitû nihil est in rebus (præsertim in Religionibus populorum) penitùs (q)

(o) *Ad Quæst. I. S. V. cap. 2. p. 21. &* 22. (p) *Vid.* Clav. Prophet. *Class. 2. Regul. 1. pag. 56. 58. & Reg. 2. ibid. pag. 70. 71.* (q) *Vide* Origin. Hung. *Præfat. ad Lect. pag. IX. X.*

vanum, nec eſt tam *falſum* † quippiam, (ut alibi jam (r) ex D. *Thoma*, V. *Beda*, & S. *Auguſtino* docui,) cui latenter aliquid *veri* non ſit *intermixtum*; à Diabolo nempe mirè ac dolosè illic tectum & occultatum, à Deo autem ſuo tempore (in totalem Regni Satanæ everſionem) per ſuos Servos revelandum. Quid autem *veri* de myſtico ſenſu latuerit in veterum myſticis & idololatricis *Theraphim*, aliquantò (ſ) pòſt (Deo dante) audiemus.

LXXXVI. Poſt explicatum literalem in *Hoſeæ* textu τῶν *Theraphim* ſenſum latè patentem, ſupereſt, ut ad *ſpiritualem* jam eorundem ſignificationem (quantùm cœlitùs datur) exponendam progrediamur.

LXXXVII. Quod *primarium* hîc ſensûs literalis punctum attinet, nempe ipſos *Cherubinos* Moſis & Salomonis; tanta eſt myſterii eorundem profunditas & fœcunditas, ut non niſi generaliter & pauca quædam de iis (utpotè nondum plenè impletis) dicere nunc queamus. Quòd *Cherubim* memorati *Angelorum* tanquam cuſtodum & protectorum veteris populi Dei *ſymbola* fuerint, id quidem non negamus, imò pro fundamento & lumine quodam ple-

† *Scil. in* Doctrina. (r) Clav. Prophet. *Claſſ. 1. pag. 48. 49. 51. 52.* (ſ) *S. 116. h. cap.*

plenioris ſensûs ſpiritualis (*s*) ſupponimus; at verò in eo tantùm ſenſu fuiſſe terminatum ſcopum Spiritûs S. in figuris dictorum *Cherubim*, prorsus negamus. Nam cùm *Lex* Moſaica (*t*) *umbra* fuerit *futurorum bonorum*; (Apoſtolo docente, loco jam & antehac (*u*) in noſtrum ſcopum citatô;) inde ſequitur, quòd etiam *Cherubim* figuræ, eidem *Legi* Moſaicæ annexæ, *futurorum* Novi Teſt. *bonorum* fuerunt *umbræ* & figuræ propheticæ. Uno verbo: Nihil fuit in *Tabernaculo* Moſis ex præſcripto Divino, nihil etiam in *Templo* Salomonis, quod *umbra* & figura non fuiſſet *futurorum*. Et ut illa *futura* in dictis *Cherubim* olim latentia rectè cognoſcere poſſimus, oportet, ut etiam Ezechielis (*v*) *Cherubinorum* & Apocalypſeos (*x*) *quatuor animalium* myſteria in conſiderationem hîc ſumamus. Omnia enim hæc emblemata in eundem ſcopum tendunt, tametſi cum quadam diverſitate reſpectuum, temporum & perſonarum. Scilicet, quæ in *Cherubim Moſis* & *Salomonis* parciùs & ſimpliciori in forma fuêre præfigurata de futuris S. Eccleſiæ N. Teſt. rebus,

ea-

(*s*) *Vide infra* §. *XCIV. h. cap.* (*t*) *Hebr.* 10. *v.* 1. (*u*) §. *LXXX* (*in marg.*) *h. cap. pag.* 381. (*v*) *Ezech. cap.* 1. *v.* 5. *&* *ſequ.* *&* *cap.* 10. *v.* 14, 15. - - 20. 21. (*x*) *Apoc.* 4. *v.* 6. 7. 8.

eadem ipsa in visione *Ezechielis* in diversis *quatuor animalium* faciebus, & alia eorundem descriptione pleniùs sunt monstrata, ad easdem eorum, quorum sunt figuræ propheticæ, virtutes significandas. Quod sine dubio ideò sic factum est; quia *Sancti* illi, quorum *Cherubim* figuræ propheticæ sunt ac fuerunt, gradatim ad illa pervenient, quæ in figuris diversis ac plenioribus monstrantur; hoc tamen manente, quòd principalitas quædã *Sanctis* illis attribuenda erit, qui (tanquam radices & bases aliorum) per *Cherubim* Mosis specialiùs præfigurantur. Per Salomonis etiam *Cherubim*, qui specialiùs præ aliis significentur; (nam appparet manifesta inter hos & illos in materia, in quantitate & situ * diversitas, sed diversitas valde concors & consona ratione ejusdem scopi,) infra † dicetur. S. *Joanni* autem eadem (in re saltem præcipua) *animalia* eatenùs monstrata sunt, (scil. non in conjunctis, ut *Ezechieli*, sed in disjunctis *quatuor animalium* formis,) quatenùs in quibusdam eximiis *Sanctis*, hæc vel illa virtus præ aliis virtutibus magis se exerit & exeret in Dei gloria promovenda; tametsi omnes illi qui hîc præfigurantur, habe-

* *Vide supra* §. 81. *hôc cap. pag.* 383. † §. 102. *hôc cap.*

bebūt virtutes illas junctim, quæ sub *quatuor animalium* faciebus & formis significantur.

LXXXVIII. Antequam pleniùs de mysteriis dictarum figurarum *futura* spectantibus quippiam hîc dicamus; operæ pretium est, ut lucis causâ, in ea quæ dicentur, sequentia præmittamus. Audivimus jam supra (*y*) ex *Philastrio* Brixiensi, quòd *Cherubim quadriformia, id est, Leonis, Vituli, Hominis, & Aquilæ* formas habentia, *diversa sunt Sanctorū pariter virtutumq; certamina fortiora*; qui illicò verbis illis ista subjungit: *Præcellendæ eorum variæque dignitatis, Patriarcharum quippe & Prophetarum, Sacerdotum atque Apostolorum, itidem cum Martyribus sociata*, scil. *certamina*, pro fide Christi. Jungit autem in his certaminibus *Patriarchas, Prophetas*, & sanctos *Sacerdotes* Veteris Test. ipsis *Apostolis* & *Martyribus*, non solùm ob fidem eorum in venturum *Messiam*, sed maximè ideò; quia illorum *Spiritus* & *Virtutes* quodam modô revixerunt in *Apostolis* & *Martyribus*. Audiamus hîc etiam S. *Hieronymum* sic paucis de *Cherubim* scribentem: (*z*) *Matthæus, Marcus, Lucas & Joannes, quadriga Domini, & verum CHERUBIN, quod*

(*y*) S. *LXXXIII. h. cap. pag.* 388. & 389. (*z*) *Epist.* 103. *ad* Paulin. *cap.* 7. *Vide proximè in fronte Biblior. Vulg. edit. Confer eundem in Proœm. Comment. in Matth. ad* Euseb. *Cremonens.*

quod interpretatur, scientiæ multitudo, per totum corpus oculati sunt, scintillæ emicant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos, & in sublime tendentes, terga pennata, & ubique volitantia. Tenent se mutuò, sibique perplexi sunt, & quasi rota in rota volvuntur, & pergunt, quocunque eos flatus Sancti Spiritûs perduxerit. Juxta hæc agnoscimus & fatemur præludium quoddam implementi mysteriorum *Cherubim* fuisse sub initium Novi Test. in sanctis Apostolis, Evangelistis & Martyribus præclaris; sed non esse in illis tantùm terminatam mysteriorum illorum significationem, imò de plenitudine sensûs in ultima tempora tendere, paulò pòst (a) patebit. Porrò, dum quatuor Evangelistæ *Cherubim* (hoc est, illorum spirituali significationi respondentes) dicuntur hîc à S. *Hieronymo*, & alibi *quatuor animalia* Apocalyptica, tum ab ipso, tum ab aliis non paucis; minimè putandum est, illâ denominatione & expositione, solas eorum personas insinuari; sed omnes eorum doctrinæ fervidos imitatores, & strenuos ac indefessos ejusdem doctrinæ *Evangelizatores* & disseminatores una cum illis, & eorum mentione intelligi: quod vel ipsa verba S. *Hieronymi* non obscurè nobis indicant. Præsertim verba

(a) S. 93. 94. & 95. hôc cap.

ba illa diligenter hîc ad ſcopum noſtrum notanda ſunt: *Tenent ſe mutuò, ſibique perplexi* (h. e. arctè connexi) *ſunt.* &c. Quibus arcta & ſancta eorum, quibus deſcriptio illa competit, concordia, & in prædicando harmonica conformitas, ac in labore ſacro ſtrenua unanimitas indicatur. Interpretatio autem illa, quâ vox *Cherubim* exponitur à S. *Hieronymo*, (& aliis SS. Patribus,) quòd ſignificet, *ſcientiæ multitudinem*, eſt accepta ex antiqua Judæorum traditione & interpretatione; ut patet ex *Philone* Judæo; (*b*) qui (circa an. D. 40.) diſertè poſuit illam interpretationem, quòd nomen *Cherubim* ſit (ἐπίγνωσις καὶ ἐπιστήμη πολλὴ,) *cognitio & ſcientia multa.* Originem † ejus grammaticam hîc inquirere, nec vacat, nec eſt adeò ad ſcopum præſentem neceſſarium. Hoc ſaltem paucis inſinuo; me ſcil. exiſtimare, quòd *Cherab* Syro-Chaldaicum, h. e. *arare*, cognatæ vel ejuſdem ſignificationis fuerit olim cum voce earundem (cum quadam tranſpoſitione) conſonantium, *Chabbir*, h. e. *Potens*, *validus*, (à rad. *Chebar*, vel *Chabar*,) ut ſic *Cherub* de Angelis, tum viribus tum ſcientiâ *potentem*, *plenum*,

(*b*) *Phil. de vita Moſis Lib.* 3. *p.* 668. *edit. Pariſ.* 1640.
† *Fusè & eruditè agit de ea* Spencer. *de Legib. Hebræor. Lib.* 3. *Diſſert.* 5. *c.* 3. *p.* 231. - 233.

num, vel *abundantem*, antiquis Hebræis significaverit.

LXXXIX. Adjungamus superioribus sequentem etiam S. *Augustini* de mysterio *Cherubim* expositionem: (*c*) *Cherubim* (inquit) *sedes Dei est, sicut Scripturæ tradunt.* - - *Si vis, ut sedeat in te Deus, si bonus eris, sedes Dei eris: sic enim scriptum est*: (*d*) Sedes sapientiæ, anima justi. *Nam & ipsum Cherubin interpretati sunt quidam, & dixerunt esse Cherubin*, plenitudinem scientiæ. - - *Sit in te ergo* plenitudo scientiæ, *& eris & tu sedes Dei. Sed fortè dicturus es: Et quando in me erit* plenitudo scientiæ? *Et quis potest ad tantum culmen pervenire, ut sit in illo* plenitudo scientiæ, *ut noverimus, aut quot sint stellæ, aut quot sint grana*, &c.? *Sed alia est* plenitudo scientiæ, *quam voluit hominem nôsse. Ad Legem Dei pertinet scientia, quam te voluit habere. Et quis potest, fortè dicas mihi, perfectè nôsse Legem, ut habeat in se* plenitudinem scientiæ Legis, *& possit esse sedes Dei? Noli turbari, breviter tibi dicitur quid habeas, si vis habere* plenitudinem scientiæ, *& esse sedes Dei: ait enim Apostolus*; (*e*) Plenitudo autem Le„gis CHARITAS. -- *Interroga cor tuum, vide utrùm habeat charitatem. Si est ibi* charitas, *est*

(*c*) *S. August. Enarr. in Psal. 98. v. 1.* (*d*) *De hoc dicto vide quadam loca notata in* Clavi *mea* Prophetic. *pag. 810. in margin.* (*e*) *Rom. 13. v. 10.*

est ibi plenitudo Legis : *jam in te habitat Deus, sedes Dei factus es. - - Cœlum Dei animæ sanctæ sunt. - - Ergo si obscurum tibi erat, quia dictum est,* „ Qui sedet super Cherubin, *nesciebas, quid est* Cherubin ; - - *dictum est tibi, quia* Cherubin plenitudo scientiæ *est, & dictum est, quia* plenitudo *non cujuslibet* scientiæ, *sed* plenitudo scientiæ Legis *utilis est homini : & ne desperares, breviter tibi dictum est:* „ Plenitudo Legis est charitas. *Habeto ergo CHARITATEM in Deum & in proximum, & ERIS SEDES DEI, pertinebis ad CHERUBIN.* Alibi etiam pariter sic docet : (*f*) *Licet intelligamus* (inquit) *Cherubin esse sublimes cœlorum Potestates atque Virtutes, tamen si vis, eris Cherubin. Si enim* Cherubin *sedes est Dei, audi quid dicat Scriptura :* (*ff*) Anima justi sedes est Sapientiæ. *Quomodo, inquis, ero* plenitudo scientiæ ? *Quis hoc implet ? Habes unde impleas* ; Plenitudo Legis charitas. - - *Sit in te CHARITAS, & necesse est PLENITUDO SCIENTIÆ consequatur. Quid enim nescit, qui Charitatem scit ? quandoquidem dictum est :* (*g*) *DEUS CHARITAS est.* Ex his patet, quanta *charitas* (Angelicæ nempe comparanda) requiratur in iis, & per consequens quanta **scientia Le-*

(*f*) *Enarr. in Psal.* 79. *v.* 2. (*ff*) *Vide de hoc suprà pag.* 400. *in margin.* (*g*) 1. *Joan.* 4. *v.* 16. * *Est hæc* mirabilium Legis *scientia, juxta Psal.* 118. (*al.* 119.) *v.* 18. Revela oculos meos, *&c.*

Legis Divinæ, (ut & universæ doctrinæ Scripturariæ,) in quibus plenè implenda sunt mysteria *Cherubim*. Imò & hoc discimus hinc, quòd ut *plenitudinem scientiæ* in genere, sic specialiùs etiam *plenam veritatis Fidei* cognitionem nemo consequi potest sine vera *charitate*. Unde discant & illi, qui cùm procul adhuc sint à *charitate* per Apostolum † laudata, attamen dum ad sanctam modestiam & ad Christianæ ac fraternæ *pacis* & *unionis* studium vocantur, solent illicò sic præscribere; quòd *Pacis* & *Unionis* Ecclesiasticæ *fundamentum* debet esse *Veritas*; discant inquam, tunc hoc aliis præscribere, quando ipsi pro acquirenda solida *Veritatis* cognitione, ipsam *charitatem* ab Apostolo laudatam sibi pro fundamento posuerint, eamque intra se senserint.

XC. Quia verò diximus (*h*) in eundem scopum tendere, hos *Cherubim*, & *quatuor animalia* Apocalyptica, sibique invicem valde cognata esse; idcircò ne omittamus hîc etiam ea, quæ noster *Pannonius* de *quatuor* illis *animalibus*, (ut & de *Ezechieliticis*) eruditè consignavit his verbis: (*i*) *Cæterùm figurant non illepidè hæc quatuor animalia ipsum Dominum nostrum JEsum Christum, qui natus est ut homo,*

† *1. Cor. 13. v. 1. 2. & seq.* (*h*) *S. 87. hôc cap. pag. 395.*
(*i*) Pannon. *Collectan. in Apoc. 4. v. 7. pag.* (*mihi*) 117.

mo, passus ut vitulus, surrexit ut leo, ascendit ut aquila. At verò mox illicò propiùs ad scopum sic pergit: (k) *Designantur præterea per hæc eadem animalia omnes Sancti, id est, fideles. Neque enim aut solis quatuor Evangelistis, aut aliis quibusvis tam propria esse possunt, quæ de ipsis animalibus hîc & in Ezechiele dicuntur, ut non cæteris quoqne conveniant. Qui ergo per hæc animalia figurantur, veri ac constantes & intrepidi veritatis assertores sunt, per quatuor mundi partes, id est, in universo Orbe divisi. Omnis namque Dei Servus, seu unusquisque electus, in quantùm rationabiliter secundùm voluntatem Dei vivit,* homo *est; quia* homo *est rationale animal. In quantum verò adversa istius sæculi æquanimiter & fortiter tolerat,* leo. *Scriptum est enim:* (l) „ Justus „ quasi leo confidens, absque terrore erit. *Denique in quantum se mortificat cum vitiis & concupiscentiis,* vitulus. *In quantum per mentis contemplationem petit cœlestia,* aquila. *Ex hinc collige, quali argumento filii Ecclesiæ, filii electionis & gratiæ cognoscantur.* Vide ibidem pleniùs horum cognitionem, & à filiis *Synagogæ Satanæ* distinctionem. Et paulò post sic in ulteriori eorum descriptione procedit: *Denique* pleni oculis antè & retrò *sunt, dum COGNITIONIBUS ABUNDANT. - - Pluralitas oculorum cognitionum copia est. Veritatis*

 siqui-

(k) p. 118. (l) *Prov.* 28. *v.* 1.

*siquidem professores, si integri sunt, multa cognoscunt, multa vident ante & retrò, id est, undique: circumspecti enim sunt & oculati. - - Spirituales quippe facti, & idcircò omnia * dijudicant, sicut & omnia nôrunt. - - Ipsi verò à nemine judicantur; eò quòd bene sibi prospiciant, nihil ab integro declinantes.* Quòd *alis* instructa visa sunt *animalia* illa, rationem mysticam hanc dat: (*m*) *Quia veritatis fortissimi assertores spirituales esse debent, & volucres ad contemplationis sublimitatem, quatenùs longè ampliùs cœlestia illis cordi sint, quàm terrestria.*

XCI. Excerpamus hîc quædam etiam ex *Cornelio* à *Lapide*; qui postquam dixisset, (*n*) quòd *Cherub repræsentat multifariam sapientiam Christi*, mox paulò pòst sic propiùs ad scopum mysteria *Cherubim* doctè exponit: *Rursùm Cherubim sunt Prælati, (ait Bernard. Tract. de Modo bene vivendi ad sororem suam,* 18.) *& Sacerdotes, maximè Præcones. Hi debent esse PLENI COELESTI SAPIENTIA, esseque* homines, *id est, humani;* & leones, *id est, pro justitia & disciplina fortes;* & vituli, *id est, mortificati & strenui pro bono communi;* & aquilæ, *id est, contemplativi ac orationi dediti. Habent* ungulam bovis; *quia LABORIOSI † sunt in aran-*

* 1. *Cor.* 2. *v.* 15. (*m*) *Cit. pag.* 118. *col.* 2. (*n*) *Comm. in Ezech. c.* 1. *v.* 26. 27. 28. *Qu.* 3. *p.* 958. † *Intellis hîc quoque ex mente ejus, quòd* esse debent, *juxta sun*

arando & excolendo agro Domini, puta in prædicando, docendo, exhortando. Unde iis ait Isaias, *c.* 32. (v. 20.) *Beati, qui seminatis super omnes „ aquas, immittentes pedem bovis & asini.* Et mox subjungit in eundem sensum muniendum, verba etiam S. *Gregorii* Magni ibidem. Lucem nobis hîc pro ulteriori expositione subministrant etiam illa, quæ idem *Cornelius* paulò ante citatum suum textum habet his verbis: (*o*) *Tropologicè hæ quatuor facies sunt quatuor stemmata Ecclesiæ. Illi enim quasi Regno suo Christus Rex sua stemmata communicavit.* Aquila *enim significat Prophetas, Apostolos, Evangelistas*, (& per consequens eos, qui habent illorum Spiritum, in sublimibus ac cœlestibus assiduè volantem;) Homo, *Rectores, Pastores, Episcopos*; Vitulus *victimas, scilicet Martyres*; Leo, *Principes Ecclesiæ Defensores; uti fuit Constantinus, Carolus, Ludovicus. Hi Cherubim agunt Dei currum & rotas. Rota est prædicatio Evangelii, & circulatio per totum Orbem.* Porrò quòd docet idem inter alia, (ut (*p*) audivimus,) *Cherub repræsentare multifariam sapientiam Christi*; hoc non obstat, quò minùs de *Prælatis*, de verbi Divini *Præconibus*, deque *Principibus* & *Defensoribus* Ecclesiæ possimus ac debeamus mysteria τῶν *Cherubim* exponere. (Quod idem dicendum

(*o*) *Cit. loc.* (*p*) *Hôc* §.

est (congruô sensû) de illa etiam sententia, quâ aliqui *quatuor animalia* Apocalyptica, de eodem *Christo* Domino exponunt.) *Christus* enim habitat (& habitabit) in illis, ejusque *sapientia* communicatur eisdem, (illô sensû, quô ait *Cornel.* à Lap. *Stemmata* Christi, *communicari Ecclesiæ*, vel quô S. *Basilius* (q) docet, quòd Dominus *JEsus suas dignitates largitur aliis*,) communicatur, inquam, quibuscunque mysteria *Cherubim* rectè & apprimè applicari possunt. Ita etiam, dum tradit & hoc idem *Cornelius*, (r) quòd *quatuor animalium facies quatuor primarum Dei virtutum sunt symbola*; scil. leo *est symbolum maximæ ejus fortitudinis*; vitulus *summæ beneficentiæ*; homo *rationis & æquitatis*; aquila *altissimæ sapientiæ*; illô sensû ista expositio hîc locum habet, quatenùs dictæ *virtutes* non solùm Angelis, sed & hominibus Sanctis à Deo communicantur. (Quà enim virtutes Dei in ipso Deo manent, sic eas ipse nec per *Cherubim*, nec per alia hujusmodi signa typica fecit nobis figurari.) Jam juxta hanc declarationem & limitationem illud quoq; *Philonis*, (non spectatô, quid ipse privatim senserit, sed quid luminis ipse Deus ex ejus quoq; verbis nobis de futuris monstrare vo-

(q) *Homil. 29. de Pœnit.* (r) *Cit. loc. in Ezech. 1. pag. 957.*

voluerit,) de myſtica ſignificatione *Cherubim* Moſis certô quodam ſensû huc referri poteſt, dum ſic ſcribit: (*ſ*) Ἐγὼ δ' ἂν εἴποιμι δηλοῦσθαι δι' ὑπονοιῶν τὰς πρεσβυτάτας καὶ ἀνωτάτω δύο τοῦ ὄντος δυνάμεις, τήν τε ποιητικὴν καὶ βασιλικὴν. &c. H. e. *Ego autem dicerem indicari per figuras* Cherubim *duas antiquiſſimas ſupremasque ejus, Qui Eſt,* (h. e. ipſius Summi Entis, Dei) *potentias; alteram Conditricem, Regiam* (*ſeu rectricem*) *alteram.* Hæ duæ *potentiæ* hoc ſanô ſensû magnis & *ſanctis* Dei Servis tribui poſſunt, quatenùs ipſe Deus dignatur illos inhabitare, virtute ſublimi ad opera magna peragenda inſtruere, atque ſic eorum operâ & miniſterio uti, tum in creando ſibi *novo* Orbe ſpirituali, h. e. in regenerandis & ſanctificandis hominibus; unde regenerati(*s*) *nova creatura* vocantur; tum etiam in dirigendo *novo* illo Orbe, ejusque membris: imò etiam in impiorum Mundo, *Regiâ* quâdam auctoritate, dirigendo, compeſcendo, refrenando & puniendo, pleniſſimè utetur eorundem operâ ultimo tempore. De priori potentia (*creatrice* nempe in ſpiritualibus) loquitur Apoſtolus, dum ait *Corinthiis*: (*t*) *In*

(*ſ*) Philo *Lib. 3. de Vit. Moſis, p. 668. & 669. edit. Pariſ. 1640.* (*s*) *2. Cor. 5. v. 17. Gal. 6. v. 15. collat. Epheſ. 2. v. 10. Iſa. 65. v. 17, 18.* (*t*) *1. Cor. 4. v. 15.*

Christo JEsu per Evangelium EGO vos GENUI. Et, juxta textum Græcum: (u) Θεοῦ ἐσμεν συνεργοί: H. e. *Dei COOPERARII sumus.* Altera (nempe *Regia*) patet ex omnibus illis locis, quibus *judicium* super *Mundo*, & regimen excellens ac planè *Regium* tribuitur *Sanctis* Dei Servis. Vide 1. Cor. 6. v. 2. *An nescitis, quia Sancti Mundum judicabunt?* collat. Matth. 19. v. 28. Item Apoc. 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro Regnum,* (seu, *Reges,*) *& Sacerdotes, & REGNABIMUS super terram.* Conf. ibid. c. 1. v. 6. & cap. 20. v. 6. & Psal. 48. (al. 49.) v. 15. col. 2. & Psal. 36. (al. 37.) v. 11. 22. 29. 34. Sap. 3. v. 7. 8. & Dan. 7. v. 18. 22. 27. Hæc occasione expositionis *Cornelii* à *Lapide*, ad verba *Philonis* allata, lucis causâ hîc insinuanda erant.

XCII. Habet & Blas. *Viegas* in sua de *duobus Testibus* expositione, ad nostrum scopum multùm facientia: qui dum explicaret, quare illi *olivæ* appellentur, hæc sub *sexta* ratione scribit: (v) *Sancti omnes misericordiæ operibus student, eaque potissimùm illo tempore* (scil. dominii Antichristi) *Enoch & Helias exercebunt. Quam ob causam meritò credi potest FIGURATOS eos fuisse in DUOBUS illis CHERUBIM, quos Rex Salomon fecit in Oraculo* de

(u) 1. Cor. 3. v. 9. (v) Vieg. *Comm. in Apoc. cap. XI. Sect. 8. pag. 450.*

de lignis olivarum , decem cubitorum altitudinis, texitque auro , 3. Reg. 6. (*x*) *Enimverò Cherubim significant Viros DOCTRINA ac MORIBUS EXCELLENTES.* (Quasi diceret ; excellenter eruditos , sapientes & Sanctos.) *Qui de* lignis olivarum *efformati describuntur ; hoc est , ex misericordiæ & charitatis operibus quodam modô confecti* : decem cubitorum altitudinis , *propter decem præceptorum non vulgarem , sed perfectam observationem : erant enim tecti* auro : *quia misericordia ut perfecta sit , debet CHARITATE fulgere.* Et postquam dixisset,(*y*) quòd *etiam duo ostiola Sancti Sanctorum de lignis* (*z*) *olivarum* facta *eosdem* duos Testes *adumbrârunt* , mox de mysteriis figurarum *ostiis* illis insculptarum sic scribit : *Illud non prætereundum ; in ejusmodi ostiis fuisse picturas* Cherubim , *& palmarum species , & anaglypha valde prominentia ; significaturque, in Sanctis reperiri* Cherubim , *id est , rerum divinarum scientiam ; sculpturas* palmarum,*id est , victorias de spiritualibus hostibus reportatas* ; anaglypha *etiam prominentia , id est , VIRTUTES PERFECTISSIMAS , & se se foris ostentantes , fundentesque in alios , per exemplum , potissimùmque per misericordiæ opera.*

XCIII. His in scopum meum præmissis,

(*x*) *Verf. 23. & seq.* (*y*) *Cit. loc.* (*z*) *Vid. 3.* (*al. 1.*) *Reg. 6. v. 31. 32.*

jam de mysteriis *Cherubim* sub nomine *Theraphim* per *Hoseam* insinuatorum, propiùs ad rem hoc dico; quòd tametsi in præludiis vel initiis quibusdam mysteria eorum in Apostolis & Evangelistis, & in aliis quoque Sanctis, qui ab illorum tempore, vicibus diversis vixerunt, præmonstrata sunt; attamen ex principali Spiritûs S. scopo, plenarium eorundem implementum, juxta quod punctatim omnia de dictis *Cherubim* & eorum partibus, vel annexis & cognatis in cumulo exactè clarescent, ultimis temporibus reservatum est, illis nempe, quibus excellentes illi *Sancti* aderunt, qui cum *Antichristo* magno glorioso certamine decertaturi sunt, & in quibus omnes illæ *virtutes* perfectissimè invenientur, quæ juxta expositiones Doctorum supra (*a*) memoratas, latent in mysteriis *Cherubim*, (in quibus inprimis sancta illa *charitas*, quæ jam dudum *refrixit* in Christianis, ardentissimè reviviscet,) quibusve competit illud Danielis: (*b*) *Regnum autem & potestas, & magnitudo Regni, quæ est subter omne cælum, dabitur populo Sanctorum Altissimi, cujus regnum sempiternum est.* &c.

XCIV. Hoc probatur (1.) ex ipsa altissima

(*a*) *S. 88. 89. 91. hôc cap. pag.* 397. 398. 400. 404. 405. *ac seq.* (*b*) *Dan.* 7. *v.* 27.

ſima, obſcuriſſima & fœcundiſſima profunditate myſteriorum, quæ latent in & ſub figuris *Cherubim* Moſis & Salomonis, (ut & figuris annexæ *arcæ fœderis* ac *propitiatorii*,) & per conſequens, in viſione *quatuor animalium* Ezechielis, & pariter *quatuor* Apocalypticorum, ſignificatione & ſcopo illis cognatorum. Ipſa Scriptura S. nos docet, talium profundiſſimorum myſteriorum plenum & exactum implementum in ultima tempora (in *ſeptimæ tubæ* clangorem) eſſe reſervatum. Vide & excute benè Apoc. 10. v. 7. collat. Jerem. 23. v. 20. & 30. v. ult. & Dan. 12. v. 4. Atque hinc (2.) ulterior ratio reſultat iſta: Quia nullus hactenùs repertus eſt, qui nobis ſuâ expoſitione monſtrâſſet aliqua exempla, in quibus plenè & exactè omnia myſteria *Cherubim* & eis cognatorum *animalium* jam eſſent impleta. Unde eſt, quòd *Viegas* etiam non videns illa hactenùs eſſe impleta, ad tempus *duorum Teſtium*, hoc eſt, ad ultimum tempus retulit myſteriorum *Cherubim* Salomonis implementum; ut ſupra (c) vidimus. Cujus de dictis *Cherubim* expoſitio id nobis monſtrat, ut etiam *Cherubim Moſis* myſteria ad idem tempus referre debeamus. *Ribera* verò adeò non vidit in his ter-

(c) §. XCII. hôc cap. pag. 408. 409.

terris in aliquibus Sanctis mysteria illa impleta jam esse, (*d*) ut, quemadmodùm *arcam fœderis* de cœlitibus sanctis ac *beatis* hominibus, (& quidem quà *corpora immortalia* recepturi sunt) exposuit, sic (*e*) *Cherubim* de *Angelicis Spiritibus* intellexerit. Cujus sententia de *Cherubim* nostræ mox dandæ (& ex parte jam (*f*) datæ) expositioni eatenùs est cognata, quatenùs *Sancti* illi, quibus nos mysteria *Cherubim* in pleno sensu applicamus, planè *Angelicum* Spiritum, & *Angelicam* Sanctitatem in his terris habebunt. Erunt nempe iidem, magni illi *Sancti* Prædicatores & Servi Dei, quos ipse Christus Dominus *Angelos* vocat, dum ait: (*g*) *In consummatione seculi, mittet Filius hominis ANGELOS suos, & colligent de Regno suo omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem.* Et alibi: (*h*) *Mittet Angelos suos cum tuba & voce magna; & congregabunt electos ejus à quatuor ventis.* &c. (De quibus *Angelis*, vide (ex S. *Hieronymo* & *Augustino*,) *Clavem* meam *Prophetic.* pag. 161. 180. & 343.)

XCV. (3.) Ipsa quoque justa & verbo Dei illuminata ratio suadet, ut *Cherubim* illorum (*Mosis* quidem in solidum aureorum, *Salo-*

(*d*) Rib. *de Templo*, *Lib.* 2. *c.* 3. *p.* 123. (*e*) *Ibid. cap.* 7. *p.* 134. (*f*) S. 93. *hôc cap. pag.* 410. (*g*) *Matth.* 13. *v.* 40. 41. (*h*) *Matth.* 24. *v.* 31.

Salomonis autem deauratorum) mysteria tam profunda, & electis jucundissima, in illud tempus referamus plenè implenda, quô *Sanctitas* juxta oracula Prophetarum in pleno suo vigore florebit, & uberrimos progressus faciet in Ecclesia, ipsaque Ecclesia (præsertim post eversionem regni *Antichristi*) insigni quâdam felicitate (ei promissâ) in his terris gaudebit. Hoc autem est ipsum *ultimum tempus*, de quo loquimur. Vide inter alia multa loca huc facientia,& excute,Isa. 60. v. 21. 22. (collat. ibid. versibus anteced.) & 65. v. 23. 25. & Psal. 36. (al.37.) v. 9. 11. 22. 29. 34. & Jerem. 32. v. 39. 40. 41. Ezech. 36. v. 26. 27. 33. 34. 35. 36. Dan. 7. v. 22. 27. Joël. 3. v. 18. 19. 20. Soph. 3. v: 13. 14. 15. 16. 17. 19. 20. Zach. 14. v. 8. 9. 16. Apoc. 7. v. 15. 16. 17. Tunc patebit etiam plenissimè, (quod pariter nostram sententiam fulcit,) quid mysterii in futurum lateat in verbis illis Domini ad Mosen datis: *Inde præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, è medio DUORUM CHERUBIM, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israël.* Exod. 25. v. 22. Item, quid etiam propheticè subsit in phrasi illa, quâ Deus juxta textum Hebræum, dicitur *Insidens Cherubinis*, vel potiùs *inhabitans Cherubinos*, (יושב הכרבים :

Joschеb

Joſcheb haccherubim,) Pſal. 80. (al. 79.) v. 2. & 99. (al. 98.) v. 1. & 4. Reg. 19. v. 15. collat. Iſa. 37. v. 16. & 1. Reg. (al. 1. Sam.) 4. v. 4. & 1. Paral. 13. v. 6. Certò enim tenendum eſt, non terminari ſenſum & ſcopum principalem verborum illorum, & hujus phraſeos, tantùm in typicis ac literalibus illis Veteris Teſt. *Cherubim* & typica eorundem *inhabitatione* Divina, ſed ſimul inſignem & amplam in iis eſſe prophetiam de futura ultimis temporibus Dei *habitatione* valde ſpeciali & glorioſa inter homines in Eccleſia, juxta Lev. 26. v. 11. 12. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtrî*, &c. collat. Ezech. 37. v. 27. Zach. 2. v. 10. 11. 12. & Apoc. 21. v. 3. ita ut, tunc adfutura ſit celebratiſſima illa שְׁכִינָה, (*Schechina*,) *habitatio*, ſeu *Majeſtas* Dei inter homines in terra, (olim juxta Exod. 29. v. 45. præfigurata,) quam *Judæi* toties ore & calamo deprædicant & expectant; nequaquam tamen vel centies milleſimâ ſuî parte poſſunt eam ita concipere, uti futura eſt. Nimirum erit *Schechina* illa, gratioſa & ſpecialis illa Dei præſentia atque majeſtas in *Eccleſia*, juxta quam ipſe *Chriſtus* Dominus ſuos *Sanctos* jucundiſſimâ ſuâ inhabitatione & præſentiâ totos implebit, totoſque pro ſuî ſede ſibi occupabit, & uberrimâ Spiri-

tûs

tûs sui virtute ad ea, quæ ipsis incumbent, potentissimos reddet, ita ut, *Sancti* se mutuò, suaque opera cernentes, manifestè & cum jucundo experimento sentiant, Deum ut Patrem benignissimum ipsis adesse, eumque (ut talem) in se se invicem mente cernere. Tunc in pleno sensu implebitur illud in electis Dei, quod habetur, Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, &c. ad eum veniemus, & MANSIONEM APUD EUM faciemus.* E medio ergò talium *Sanctorum* loquetur Deus ultimo tempore ad *Mosis* personam in Ecclesia gerentes, hôc sensû, quatenùs erunt inter illos præcipui quidam, (de quibus statim (*i*) dicemus,) qui ex uberrima & infallibili verbi Dei intelligentia, tum futura (ex eodem Dei verbo) prænuntiabunt, tum etiam saluberrimô consiliô Ecclesiæ in ejus necessitatibus aderunt. Et quia hæc nomine & instinctû Christi in ipsis habitaturi facient, idem est in re, quòd Deus in ipsis & per ipsos loquetur. Ex his satis jam patet, quòd plenum mysteriorum *Cherubim* implementum, ultimis temporibus est reservatum.

XCVI. Nunc (Deo favente) videamus, quid distinctiùs etiam de *Cherubim* significatis dicere possimus. Duplices enim fuisse

(*i*) *§. XCVII. hôc cap.*

fuisse *Cherubim*, utpote *Mosis* & *Salomonis*, eosque inter se, materiâ, quantitate & sitû distinctos, disertè Scriptura tradit; (ut & supra (*k*) est insinuatum;) atque insuper res ipsa monstrat, (quod etiam (*l*) insinuavimus;) cognata illis esse *quatuor animalia* Ezechielis, imò & Apocalyptica. Unde patet, quòd etiam inter *Sanctos* per *Cherubim* significatos, distinctio aliqua debet haberi. Sic igitur hîc ad scopum præsentem dicimus.

XCVII. Gratiam Spiritûs S. cum diversitate graduum conferri fidelibus, ipse Apostolus (*m*) docet, atque etiam experientia certissimè monstrat gradû donorum & gratiarũ electos ab invicem differre; (ipsô quoque ordine, qui est *anima rerum*, id suadente;) ex eo pariter judicandum est de *Sanctis* etiam ultimi temporis, quòd inter illos quoque (uti jam (*n*) insinuavimus) erunt quidam præ aliis excellentiores, & aliqui planè excellentissimi, scil. *duo Testes* venturi: idcircò convenientissimè per *duos Cherubim* Mosis (utpote in solidum *aureos*) existimo præfiguratos fuisse eosdem *duos*

(*k*) §. *LXXXI. h. cap. pag.* 383. (*l*) §. 87. *&* 90. *hôc cap. pag.* 395. *&* 402. (*m*) 1. *Cor.* 12. *v.* 4. *& seq. usque ad v. ult. collat. Rom.* 12. *v.* 3. 6. (*n*) §. 61. *&* 64. *hôc cap. pag.* 341. *&* 348.

duos Testes, cum proximis & primis suis sequacibus, tanquam principium & radicem reliquorum *Sanctorum*, qui ipsorum doctrinam & exemplum successû temporum vicibus diversis sequentur. (Quomodo hæc sententia conciliari debeat cum significatione & scopo *Cherubim* Salomonis, infra suo loco (*o*) intelligemus.) Sic sentire suadet non solùm numerus binarius *Cherubim* Mosis, sed & ipsa materia & excellentia eorundem. Absque alterius materiæ immixtione in solidum ex *auro* illi fuerunt: quô præfigurata est illustris & excellens planè futura perfectio *Testium* illorum, tum in *sapientia cœlesti*, tum in *sanctitate*: quibus prærogativis aliis præeminebunt, uti & munus eorum id requiret. Opere *productili* (frequentibus nempe malleorum ictibus) erant facti *Cherubim* ex auro: quod significat, per varias tribulationes & flagellationes (quasi totidem concussiones) oportere illos, de quibus hîc loquimur, pervenire ad illum statum, ut sint perfecti in *sapientia* & *sanctitate*. Alioquî etiam ipsa materia *Cherubinorum*, nempe *aurum*, varias personarum præfiguratarum tribulationes præviè futuras monstrat. *Aurum* enim *igne* solet excoqui, ut purius fiat; ejusque

(*o*) §. CII. & *sequ. hôc cap.*

frustula *igne* liquantur & funduntur, ut arctè sibi cohæreant. *Alæ Cherubim*, non solùm summam ad obsequia Divina promptitudinem & *strenuitatem* designant, sed insuper & hoc præfigurant, quòd *duo* illi *Testes* (dum jam solenne contra *Antichristum* certamen inierint) habituri sunt juxta se alias quoque eximiæ sapientiæ & sanctitatis personas ex utroque statu, (Ecclesiastico nempe & Seculari,) quibus quasi *alis* evehantur & promoveantur in suo munere feliciter peragendo. Expandunt *Cherubim* suas *alas* super *Propitiatorium*: quia *duo* illi *Testes* unà cum suis coadjutoribus, totos se Christi (ut nostræ apud Deum *propitiationis*) honori & gloriæ propugnandæ consecraturi sunt. *Se se mutuò respiciunt*: quô magna & constans inter *duos* illos *Testes* charitas præfiguratur: quâ aliis etiam exemplum sese exhibebunt, ut se invicem sincerè & constanter diligant. In hos quadrat illud, quod olim in figura dictum est de *Josua* Pontifice, & *Zorobabele* Principe: (Zach. 6. v. 13. col. ult.) *Consilium PACIS erit inter illos DUOS*. Dum se *mutuò respiciunt*, simul etiam ita vultus suos componunt, & quadantenùs deorsum inflectunt, ut *vultus* habeant *in Propitiatorium versos*: quô significatur, omnem horum *Testium* intentionem,

nem, omneque desiderium fore, ut mysteria *propitiationis* ac redemptionis per Christum factæ, imò & incarnationis ejusdem, atque etiam mysteria *Legis* (reconditæ olim sub *Propitiatorio* in *arca*,) in Dei gloriam & animarum salutem in dies pleniùs ac pleniùs intelligere, & se se ac suos eisdem conformare possint.

XCVIII. Porrò, ut situm *Cherubim* (in extremitatibus nempe *Propitiatorii*, & super *Arcam fœderis*) ac etiam rationem productionis eorum ex ipso *auro Propitiatorii*, feliciùs (in mysterio) intelligamus; operæ pretium est, ut hìc non solùm de *Propitiatorii*, sed & de *Arcæ fœderis* mysterio aliquid dicamus. *Arca fœderis* juxta communiorem Doctorum sententiam, *Christi* incarnationem, hoc est, ipsum *Christum* Dominum, quà pro nobis est incarnatus, præfiguravit. *Lignum* nempe arcæ imputribile, (h. e. lignum *Sittim*, seu *Sethim*,) ejus corpus, seu potiùs ejus humanitatem, quæ nullâ unquam vel minimâ putredine sive corruptione peccati fuit infecta, significavit; *aurum* verò purum ejus Divinitatem & Spiritum æternum. *Lex* Dei in *Arca* illa recondita, *thesauros sapientiæ* Divinæ, in eodem Christo Domino, ut incarnato reconditos præfiguravit, juxta illud S. *Gregorii*

Magni: (p) *Arca Testamenti ipse nobis factus est*, *de quo scriptum esse novimus* : † *In quo sunt omnes* „*thesauri sapientiæ absconditi*. Pleniùs hæc sententia inter alios videri potest apud Vener. (q) *Bedam*, & S. (r) *Cyrillum* Alexandrinum. Ante hos autem dudum S. *Irenæus* sic eam paucis expressit: (ſ) *Sicut Arca* (Testamenti) *inaurata intùs & foris auro puro erat*; *ita & Christi corpus purum erat ac splendidum*; (ἔσωθεν μὲν τῷ λόγῳ κοσμέμενον, ἔξωθεν δὲ τῷ πνεύματι φρερέμενον.) *intùs quidem Verbo ornatum*, *foris autem Spiritû communitum*. (Per *Spiritum* hîc *Spiritûs* Divini virtutem in miraculis, & in prædicando externè se exerentem intelligit.) *Propitiatorium* etiam eundem Christum Dominum, quà pro nostris peccatis factus est *propitiatio*, (ἱλαστήριον, ut (s) Apostolus loquitur, vocabulô nempe illô, quô LXX. Int. (t) *Propitiatorium* arcæ expresserunt,) & quà nunc quoque virtute meritorum suorum Patrem cœlestem erga nos actû ipsô *propitium* reddit, præsignificavit. Hæc de principali significato *Arcæ* & *Propitiatorii*. XCIX.

(p) Greg. *Lib. 2. in Ezech. Homil. 22.* † *Col. 2. v. 3.* (q) Beda *de* Tabernaculo *&c. cap. 4. Op. Tom. 4. col. 843.* (r) Cyrill. *de Adorat. in Spirit. & Verit. Oper. Tom. 2. Part. 2. 2. pag. 293. edit. Parif. an. 1638. & Comm. in Joan. Lib. 4. Tom. 4. p. 387. 388.* (ſ) *Vide hæc in Fragm.* S. Irenæi *per* Feuardent. *edit. in fin.* (s) *Rom. 3. v. 25.* (t) *Exod. 25. v. 17. 20. 21. 22.*

XCIX. At quemadmodùm aliæ præfigurationes hujusmodi, principaliter quidem in *Christum*, ut finem Legis tendentes, propter electos Dei præmissæ sunt, (quod & supra † insinuavimus,) ut nempe excellentia per illas significata, à Christo Sanctis quoque ejus in Novo Test. communicaretur; sic etiam *Arca fœderis* & ei per (*u*) *cardines aureos* junctum *Propitiatorium*, ita præfigurârunt *Christum*, ut tamen eximios etiam quosdam *Sanctos, Christô* præ aliis insigniter plenos, propter eundem *Christum*, præfiguraverint. Hinc S. *Hieronymus*, non dubitavit Virginibus sanctis & Deum verè timentibus, (titulo *Sponsæ Christi* insignitis) mysterium *Arcæ* fœderis applicare, dum sic ad *Eustochium* scripsit: (*v*) *Sponsa Christi ARCA est Testamenti, intrinsecùs & extrinsecùs deaurata, custos Legis Domini. Sicut in illa nihil aliud fuit, nisi tabulæ Testamenti; ita & in te nullus sit extrinsecus cogitatus. Super hoc Propitiatorium, quasi super Cherubim, sedere vult Dominus. Mittit discipulos suos, ut in te, sicut in pullo asinæ sedeat.* Huc facit vel maximè expositio S. *Gregorii* Papæ; qui tametsi quodam in loco *Christum* (uti rei veritas

Dd 3 est,)

† *S XLII. h. c. p.* 301. & 302. (*u*) *Ita* Joseph. *Antiq. Lib.* 3. *cap.* 6. (*v*) *Epist.* 22. *ad* Eustoch. *de custod. Virginit. c.* 10.

eſt) docet eſſe *Arcam* Teſtamenti ; (ut jam ſupra (*x*) audivimus ;) attamen alibi rectè ipſam quoque S. *Eccleſiam* (propter *Chriſtum* in ea habitantem) docet præfiguratam fuiſſe per eandem *Arcam*, his verbis: (*y*) *Moyſi Dominus de portanda* Arca *præcepit dicens* : (*z*) „Facies quatuor circulos aureos, &c. *Quid per ARCAM, niſi SANCTA ECCLESIA FIGURATUR? Cui* quatuor circuli aurei per quatuor angulos *jubentur adjungi: quia in eo, quòd per quatuor Mundi partes dilatata tenditur, procul dubio quatuor ſancti Evangelii libris accincta prædicatur. Vectesque de lignis* Sethim *fiunt, qui eiſdem ad portandum circulis inſeruntur : quia fortes perſeverantesque Doctores velut imputribilia ligna quærendi ſunt, qui inſtructioni ſacrorum voluminum ſemper inhærentes, ſanctæ Eccleſiæ unitatem denuncient, & quaſi intromiſſis circulis* arcam *portent. Vectibus quippe* arcam *portare, eſt, bonis Doctoribus S. Eccleſiam ad rudes fidelium mentes prædicando deducere.* Quibus in verbis, dum per *Arcam*, ſanctam *figurari Eccleſiam* docet, nequaquam debemus *Eccleſiam* in tota ſuî latitudine pro omnibus ejus membris collectivè accipere, ſed tantùm pro quibuſdam eximiis & principalibus

(*x*) *S. XCVIII. h. cap. pag.* 419. & 420. (*y*) *Greg.* Paſtoralis Cur. *Part.* 2. *cap.* 11. *Tom.* 3. (*z*) *Exod.* 25. *v.* 12. 13. 14. 15.

bus membris, à potiori hîc factâ *Ecclesiæ* denominatione; eôdem modô, quô & supra de mystico *Altari* (*a*) diximus, & quô hodie quoque Concilium *Ecclesia* dicitur, eò quòd totam *Ecclesiam* repræsentat. (Confer hîc Matth. 18. v. 17. *Dic Ecclesiæ.*) Ipsius *Arcæ* fœderis materia, forma splendida, quantitas † exigua, & locus, seu comparatio cum Tabernaculo & Templo, (figuris *Ecclesiæ* visibilis,) tam restrictam *Ecclesiæ* (pro præcipuis quibusdam ejus membris) acceptionem hîc requirit. Alibi etiam idem S. Doctor sic nobis lucem de mysterio hujus *Arcæ* subministrat: (*b*) *Quid est Sacerdotale cor, nisi ARCA Testamenti? in qua, quia spiritalis doctrina VIGET, procul dubio tabulæ LEGIS jacent.* (Id est, fixè ibi hærent, & custodiuntur.) Non qualiumcunque, sed verè piorum & sanctorum *Sacerdotum* ac Doctorum Ecclesiæ *cor* hîc intelligit S. *Gregorius*; in quorum nempe pectore, (ut descriptio docet,) *spiritualis doctrina viget*, & qui *Legis* Divinæ sunt fidi custodes & observatores. Sic ergo per *Arcam* hanc, post Christum & propter Christum, pauci quidam illi *Sancti* intelliguntur, qui ultimo

Dd 4 tem-

(*a*) *S.* 20. & 21. *hôc cap. pag.* 252. & 253. † *Vide supra S. LXXXI. h. cap. pag.* 384. (*b*) Greg. *Regist. Epist. Lib.* 7. *Ind.* 1. *Epist.* 30. *ad Eulog. Alex.*

tempore quasi Seminarium quoddam erunt aliorum *Sanctorum* dinceps secuturorum. Rectè autem illi per totam *Arcam* hanc præfigurantur; quia ut *Arca* illa ex ligno imputribili constabat, & insuper *aurô purô* intrinsecùs & extrinsecùs obducta erat; sic *Sancti* illi, quoniam in occursum Domini parabuntur, in dies animâ & corpore in statum integritatis (*c*) restituentur, ut sic puri & inculpati ac (*d*) sine *macula* & *ruga* in adventu Domini inveniantur. Atque in his ipsò experimentô jucundô evidens erit mysterium incarnationis Domini, eò quòd hi corpore & animâ tenùs, gradatim in imaginem Dei amissam plenè in his terris reformabuntur, usque dum hujus boni fructû plenissimè in supernâ beatitudine fruantur. Hoc mysterium incarnationis Domini sic S. *Cyprianus* expressit: (*e*) *Quod homo est, esse Christus voluit, ut & HOMO POSSIT ESSE, quod CHRISTUS est.* Item; (*f*) *Quod est Christus*, (*g*) *erimus Christiani, si Christum fuerimus imitati.* Confer hîc ea, qùæ habet de eadem re S. *Irenæus*, Lib. 5. advers. Hæres. c. 36. sub fin. p. 506. edit.

(*c*) *Vide hanc in rem* Clavis *mea* Prophet. *Class.* 2. *cap.* 9. *pag.* 256. *& sequ. & specialiter* S. Cyrilli *verba ibid. p.* 299. (*d*) *Ephes.* 5. *v.* 27. *collat. ibid. cap.* 4. *v.* 13. *&* 1. *Thess.* 5. *v.* 23. (*e*) Cyprian. *de* Idolor. vanitat. *n.* 6. (*f*) *Ibid.* (*g*) *Vid. Rom.* 8. *v.* 29. *&* 1. *Joan.* 3. *v.* 2.

edit. Parif. an. 1675. Quòd in *Arca* Tabulæ *Legis* Divinæ fuerunt; fatis & ejus rei figura patet in modò dictis *Sanctis*: eò quòd illi, tum Divinæ *Legis* cuftodes erunt fidiffimi & zelofiffimi, tum etiam uberrimâ myfteriorum *Legis* fcientiâ inftructi. Quàm fit hæc fententia cognata illi, juxta quam nonnulli, (*h*) per *Arcam fœderis* cœlites *beatos* (homines) fignificatos fuiffe exponunt, ultrò patet; tum quòd *Sancti* illi, de quibus hîc loquor, proximi erunt fupernæ ac cœlefti beatitudini, tum quòd *Spiritus* & *virtus* cœlitum *beatorum* aderit in iifdem *Sanctis*.

C. Ultrò jam ex his fequitur, quòd etiam *Propitiatorium*, illos poft *Chriftum* & in *Chrifto* præfiguravit, qui fingulari præ aliis (*i*) *Spiritû precum* præditi, hanc à Deo gratiam in Chrifto & per Chriftum habent atque habebunt, ut ipfe Deus ad eorum preces (intuitû *Chrifti* in eis habitantis) Populo fuo *propitietur*, atque à tot feculorum tribulationibus & variis jactationibus tandem fuos electos liberet, & optatiffimâ pace beet. Effe enim, ac etiam dehinc fore tales quofdam inter multos orantes,

 qui

(*h*) Ribera *de Templ. Lib.* 2. *c.* 3. *p.* 123. & *Corn. à Lapid. Comm. in Exod. c.* 25. *v.* 10. (*i*) *Phrafim vide Zach.* 12. *v.* 10.

qui ardentiùs & efficaciùs præ aliis orant & orabunt; præter experientiam, patet exemplis *Mosis* & *Samuelis*; qui ab orationum suarum (pro aliis fusarum) efficacia, non obscurè nobis commendantur. De *Mose* vide Psal. 105. (al. 106.) v. 23. collat. Exod. 32. v. 11. 12. 13. 14. 30. 31. 32. & 34. v. 8. 9. & Num. 14. v. 18. 19. Deut. 9. v. 26. 27. 28. 29. De *Samuele* patet, 1. Reg. (al. 1. Sam.) 7. v. 9. & 8. v. 6. Psal. 98. (al. 99.) v. 6. collat. Eccli, 46. v. 19. 20. 21. De utroque implicitè insinuatur Jerem. 15. v. 1. His annumerandi sunt, *Abraham, Aaron, David, Elias, Jeremias, Daniel, Esdras & Nehemias*. Horum omnium *Spiritus* orandi aderit in illis *Sanctis*, quos per *Propitiatorium* specialiùs præfiguratos fuisse dicimus: non quòd in aliis etiam eximiis ultimi temporis *Sanctis* non foret ille *Spiritus*; sed quòd in illis, de quibus proximè loquimur, in pleniori mensura erit, & cum frequentiori exercitio, majorique effectu, quàm in aliis inferioris ordinis Sanctis. Varia enim & tunc erunt dona Spiritûs S. (quod & antehac (*k*) insinuavimus,) & diversæ inde *Sanctorum* occupationes. Materia *Propitiatorii*, solidum nempe & *purum aurum*,

(*k*) *§. XCVII. pag. 416. collat. §. LXI. & LXIV. h. cap. pag. 341. & 348.*

aurum, (absque alterius materiæ conjunctione) significat gradum excellentiorem, statumque perfectiorem futurum *Sanctorum* qui per id præfigurantur, in comparatione facta ad eos (quà tales,) quos *Arca* præfiguravit; quanquam & hi in suo genere insigniter perfecti & excellentes erunt; ut supra (*l*) audivimus. Uti autem de *Cherubim* mysterio (*m*) diximus, sic etiam de personis per *Propitiatorium*, imò & per *Arcam* significatis dicimus, quòd per magnas tribulationes præcedentes debent consequi statum illum, ut præfigurationibus suis exactè respondeant. Nam & in *Propitiatorii* extensione, & in *Arcæ auri* in laminas extenuatione, inque suum usum applicatione, crebræ malleationes requirebantur. Imò & in *lignis* in *arcam* exstruendis; ictus, asciationes, dolationes & cælaturæ adhibebantur. Unde demùm decora partium structuræ *unitas* prodiit, præsertim cùm & ipsum (*n*) *Propitiatorium* (ut operculum) per *cardines aureos* fuerit *arcæ* conjunctum. Qua in re etiam insigne est mysterium futuræ *unitatis* arctissimæ electorum Dei, sed præviis in eandem magnis pressuris & præparamentis (*o*) mundatoriis, & emendatoriis. CI.

(*l*) *§. 99. h. cap. pag. 421.* (*m*) *§. 97. h. cap. pag. 417.* (*n*) Joseph *cit. Lib. 3. Antiq. c. 6.* (*o*) *Vide Dan. 12. v. 10.*

CI. Jam ex his perſpicuè patet, quid in productione (opere continenti) *Cherubim* ex ipſo auro *Propitiatorii*, quidve in *ſitu* eorum in duabus ejuſdem *Propitiatorii* (*Arcam* tegentis) extremitatibus præfiguratum fuerit. Ex ſorte nempe & ordine *Sanctorum* illorum, quos *Propitiatorium* præfiguravit, ſublimabuntur *duo Teſtes* in gratia cœleſti (unà cum primis & proximis ſuis adjutoribus) in illum gradum excellentiorem, ut planè *Cherubim* figuris in rei veritate reſponſuri ſint: unde etiam in ardore & frequentia orationum, (ut & in aliis pietatis operibus,) quibus ira Dei flagrans, erga Populum Chriſtianum ultimo tempore placabitur, primarii erunt inter alios Sanctos per *Propitiatorium* ſignificatos. Illi etiam erunt, non ſolùm zeloſiſſimi inter alios, cuſtodes ac vindices *Legis* Divinæ in *Arca* ſuæ protectioni ſubdita reconditæ, ſed & feliciſſimi (unà cum ſuis Sociis) myſteriorum omnium ejuſdem *Legis* detectores & explanatores. Id enim ſignificatur per hoc, quòd *Cherubim* ſteterunt in extremitatibus operculi (ſeu propitiatorii) *Arcæ*, obumbrantes *alis* ſuis ipſum operculum, & eo mediante, ipſam quoque *Arcam* tegentes. Intelligo hîc per *Legem*, non ſolùm *Decalogum*, ſed & univerſam *Legem*

Mo-

Mosaicam. Nam & totus *Liber Legis Mosaicæ*, in latere *Arcæ* erat repositus, ac per hoc in arcta custodia unà cum *arca* asservatus; ut patet Deut. 31. v. 26. Quando hi *duo Testes* & custodes *Legis* Divinæ cum apertione secretorum ejusdem *Legis* aderunt, ac insuper gloriosum contra *Antichristum* certamen decertabunt, tunc patebit ipso implementô quid sit illud, Apoc. 11. v. 19. *Et apertum est Templum Dei in cælo, & visa est ARCA Testamenti ejus in Templo ejus.* Quia nimirùm tunc patebunt omnia mysteria *Tabernaculi* & *Templi* veteris ad S. Ecclesiam Novi Test. spectantia, atque etiem mysteria *Arcæ Testamenti*, & ei indivulsè annexorum *Cherubim* ac *Propitiatorii.* Hæc de *Cherubim Mosis* hâc vice satis.

CII. Nunc è re nostra est, ut etiam de *Cherubim Salomonis* mysterio aliquid dicamus. Hactenùs dictis conformiter dicere volentes, de *Salomonis Cherubim* non videmus quid rectiùs & congruentiùs dicere queamus, quàm quòd per illos præfigurati fuerunt magni quidam *duo Principes* & Patroni Ecclesiæ Dei, sapientiâ & sanctitate, ut & curâ pacis Ecclesiasticæ promovendæ illustres cum tempore futuri, qui planè Spiritum prædictorum *duorum Testium* habebunt, tanquam fidissimi eorum disci-

discipuli & imitatores; unde meritò etiam (ob hanc notabilem cum illis conformitatem) *Testium* Domini nomen sortientur: eô modô, quô olim *Constantinus* M. ob præclaram suam assistentiam *Episcopis* Ecclesiarum in opere Domini strenuè præstitam, nominavit se ipsum quoque (*p*) *Episcopum*, *in iis* nempe, *quæ extra gerebantur*; atque etiam ab *Eusebio* (*q*) ob eximiam *Ecclesiarum* Dei *curam*, sic fuit nominatus. Audivimus jam supra ex *Viega*, (*r*) quæ nostræ huic sententiæ fulciendæ multùm inserviunt. Si enim juxta illum, duo *Cherubim Salomonis* præfigurârunt *duos Testes* Apocalypticos; (quos ille ad literam *Enochum* & *Eliam* intelligit, ego verò ità spiritualem præcipuè sensum in illis spectandum & tenendum censeo, ut tamen etiam literalem quodam modô cum spirituali sensu de iisdem conciliaverim in *Clavi* mea (*s*) *Prophetica*,) multò convenientiùs dicere possumus, quòd eosdem *duos Testes* primariò & immediatè *Mosis Cherubim* præfigurârint. Ratio enim in contrarium nulla hîc prorsùs dari potest. Unde per consequens, *Salo-*

(*p*) *Apud* Euseb. *in Vit. Constant. Lib.* 4. *cap.* 24. *edit. Vales.* (*q*) *Ibid. Lib.* 1. *cap.* 44. (*r*) *S. XCII. h. cap. pag.* 408. & 409. (*s*) *Class.* 2. *cap.* 4. *S.* 27. *usque ad* 32. *pag.* 119. & *seq.*

Salomonis Cherubim eatenùs tantùm *duos* illos *Testes* præfigurârunt, quatenùs eorundem *duorum Testium* (ut jam (*s*) insinuavimus,) Spiritus & industria sancta aderit in *duobus* quibusdam magnis Patronis & Propugnatoribus doctrinæ per *duos Testes* prædicandæ. *Duos* ergò illos *Testes*, non immediatè, sed mediatè, hoc est, in magnis quibusdam & potentibus suis imitatoribus, *Principibus* & Patronis Ecclesiæ consideratos, præfigurârunt *duo Cherubim Salomonis*. Quod idem est clariùs dicere, quòd proximè & immediatè *duos* illos *Principes* futuros præfigurârunt: quos lucis & distinctionis causâ possumus vocare *Testes* Domini *Secundarios*, alios autem in *Mosaicis* præfiguratos, *Testes Primarios*. (Cùm autem *duos* hîc *Principes* memoro, subintelligo convenientem etiam eis affore comitatum multorum ex utroque sexu. Et existimo, hos *duos Principes* significari juxta textum Hebræum, Hab. 3. v. 4. per *duo cornua* (in Duali, *Karnaim*,) verbis illis: *Duo cornua in manibus* ejus, nempe Dei.)

CIII. Situs etiam *Cherubim* in Templo Salomonis, nostram firmat sententiam. Minores enim *Cherubim*, scil. *Mosis*, (quorum tamen præstantiam solidum *aurum* com-

(*s*) *Hôc Paragr.*

commendat,) unà cum *arca* individuè eis juncta, *sub alas* majorum *Cherubim* (scil. Salomonis) fuerunt positi. 3. (al. 1.) Reg 8. v. 6. 7. & 2. Paral. 5. v. 7. 8. Qui situs evidenter protectionem quandam à majoribus & potentioribus accipiendam præfigurat. Quam in rem considerari etiam debet, quantoperè excesserint magnitudine externâ tam corporum quàm alarum, *Cherubim* Salomonis *Cherubinos* Mosis. Reponi minora *Cherubim* corpora, sub *alis* aliorum (*t*) *Cherubim* tam vastæ magnitudinis, (cubitorum nempe *decem* altitudinis, & pariter *decem* extensionis binarum uniuscujusque *alarum* latitudinis,) cui non monstrat protectionem hîc quandam præfigurari? Phrases de protectione *sub alis*, vide & excute, Ruth 2. v. 12. Psal. 16. (al. 17.) v. 8. & 35. (al. 36.) v. 8. & 56. (al. 57.) v. 2. & 60. (al. 61.) v. 5. & 62. (al. 63.) v. 8. & 91. (al. 90.) v. 4. collat. Matth. 23. v. 37. Pro nobis & hoc facit, quòd *Cherubim* Salomonis ambo suas *facies* ad exterius Templum habebant versas, secùs quàm *Cherubim Mosis*; (ut jam supra (*u*) retulimus;) quô etiam significatum est, *Cherubinos* Salomonis, *Principes* tales

(*t*) *Vide* 3. (*al.* 1.) *Reg.* 6. *v.* 23. *collat. supra* S. 81. *pag.* 384. (*u*) *Cit.* S. 81. *h. cap.*

les tamque potentes præfigurare, qui etiam totam Ecclesiam Catholicam per Templum præfiguratam, vigilanti suâ curâ & inspectione exhilarabunt. Porrò ratione plagarum Mundi, quis fuerit situs *Cherubim Mosis* in Templo Salomonis; an nempe unus eorum dorsum habuerit versùs Occasum, & alter versùs Ortum, (ut sentit (v) *Tostatus*;) vel eô modô, quô & in Tabernaculo, unus ad Septentrionem, alter ad Meridiem tergum habuerit; id nunc brevitatis studiô pluribus inquirere & decidere omitto; præsertim cùm in præsentis Libri scopum sufficiant ea, quæ sine illa decisione hîc dicuntur. Hoc potiùs de *Cherubim Salomonis* hîc adhuc subjungo; quòd eorum materia, (*olivæ* nempe *lignum* & *aurum*, quô lignum fuit obductum,) eruditis non obscurè monstrat, quales futuri sunt *Principes* illi duo, seu secundarii *Testes* Domini, per *Cherubim Salomonis* præfigurati. *Oliva* enim significat futurum in illis jucundum & suavem illum Spiritum charitatis & studii sanctæ *pacis*; (*oliva* enim (x) est signum *pacis*;) *aurum* verò cœlestis *sapientiæ* lucem & ubertatem. Item, *alæ* eorum tam latè extensæ, ut

Ee utrum-

(v) Tostat. *Abulens. in 3. Reg. cap. 6. Quæst.* 18. *de* Situ Cherubim. (x) *Vide Gen. 8. v. 11.*

utrumque hinc inde parietem Sancti Sanctorum attingerent, præfigurant sine dubio magnam eorum futuram potentiam ac jurisdictionem ad protegendos S. Ecclesiæ filios filiasque, præsertim sanctiores, quos interior pars Templi præfigurabat. *Alarum extensionem* pro potentia significanda, vide Isa. 8. v. 8. Jerem. 48. v. 40. & 49. v. 22. collat. Ezech. 17. v. 7. Dan. 7. v. 4. ac præsertim in scopum præsentem Apoc. 12. v. 14. *Et datæ sunt mulieri alæ duæ* &c.

CIV. Sciendum autem est, quòd ad hanc potentiam hi *Principes* non more mundanô evehentur, sed speciali quâdam ratione divinitùs instruendi, vocandi & mittendi: nil obstante, quòd hominum etiam consensus accedet in eorum sublimationem. Non enim aliter, sed jussû & ex præscripto Divino facti sunt *Cherubim Salomonis*, uti & *Cherubim Mosis*, hâc solùm distinctione; quòd *Moses* immediatè accepit mandatum & instructionem à Deo de iis & tota sacra structura; *Salomon* autem (y) mediante Patre suo: nec aliâ viâ, quàm per tribulationes prævias eam consequentur. Structura enim *Cherubinorum* ex *oliva* & *auri laminis*, tribulationes illas præfigurat, eodem modô, quô supra

(z) de

(y) 1. *Paral*. 28. v. 11. 12. 18. 19.

(z) de significatis *Arcæ, Propitiatorii* & *Cherubim* *Mosis* diximus. Et hoc vel maximè, cum eorum vocatione & sanctitate junctum, commendabilem Deo & hominibus piis reddet eorundem potentiam. Accedit & hoc ad magnam eorum commendationem, quòd planè per *Cherubim*, h. e. per Angelorum nomen & symbola præfigurantur. Unde patet, quòd hi *Principes* ita utentur suâ potentiâ ad protegendum pios Doctores & S. Ecclesiam, ut tamen ipsi quoque quadantenùs Doctoribus *Angelicis* ultimi temporis sint annumerandi. Habebunt nempe isti, Spiritum S. *Davidis*, *Salomonis*, *Josiæ* & *Ezechiæ*. Fuerunt jam & hactenùs in Novo Test. Reges *Apostolico munere* functi; (a) *Reccaredus* nimirùm in *Hispania* (declinante seculo sexto,) in adducendis ad FidemCatholicam ab HæresiAriana *Gothis*, & præsertim noster S. *Stephanus*, (primus ab an. Dom. 1000. *Hungariæ* Rex Christianus,) in convertendis nationaliter ex Paganismo ad Fidem Christianam *Hungaris*: (de quo, proximè videri potest *Antiqua Hungarorum Religio* à me edi-

(z) *S. XCVII. & C. pag. 417 & 427.* (a) *Vide de hoc S.* Gregor. *Pap. Regist. Lib. 7. Ind. 2. Ep. 128. & Concil. Toletan. 3. an. D. 589. celebr. & ex hoc*, Inchof. *Annal. Eccl. Hung. pag. 261.*

ta; p. 58. 59. 60. 86. 87. 128.) quantò magis futuri sunt ultimo tempore tales Reges & Principes, (cum Reginis & Principissis,) qui non solùm in temporalibus & & externis, sed & in spiritualibus atque internis modô quodam *Nutricii* erunt Ecclesiæ Dei, ut sic vaticinium illud Isaiæ: *(b) Et erunt Reges Nutricii tui, & Reginæ Nutrices tuæ*, in pleno verborum sensu de illis & in illis impleatur? Quòd *alas* ab una parte sibi invicem jungunt dicti *Cherubim* Salomonis; figura est sanctæ dilectionis & *pacis* inter præfiguratos hîc *Principes* futuræ. Hæc de mysteriis *Cherubim* Salomonis.

CV. Cum utrisque *Cherubim*, tam *Mosis* quàm *Salomonis*, (c) *quatuor animalia* (seu Cherubim) *Ezechielis* sic conciliamus. In significatis *quatuor facierum* & *quatuor alarum* dictorum *animalium*, nihil prorsùs erit virtutis spiritualis, quod non futurum esset etiam in significatis *Cherubinorum Mosis* & *Salomonis*. Quod ex jam dictis & adhuc (d) dicendis inter se collatis, unusquisq; eruditus perspicere potest. Sed *Cherubinos Mosis* & *Salomonis* ad diversitatem virtutum notandam cum *faciebus* diversis proponere, vel di-

(b) *Isa.* 49. v. 23. *Confer ibid. cap.* 60. v. 10. 11. 16. & *Psal.* 101. (*al.* 102.) v. 16. 23. & 137. (*al.* 138.) v. 4. (c) *Ezech.* 1. v. 5. 6. & *sequ.* (d) *Infra* §. 108. *b. cap.*

diverſitatem illam *facierum* nobis de illis conſignare, non erat ita neceſſe, ſicut à parte *animalium Ezechielis.* Ratio hæc eſt: Quia *Cherubim* illi utrique, *Moſis* ſcil. & *Salomonis*, tales Eccleſiæ Dei Duces, Nutricios & Protectores (cum ſuis primis & proximis ſequacibus) præfigurant, qui proximè & immediatè ex bene excultis, piis & manſuefactis Chriſtianis fient. Ipſa enim figurarum illarum materia, ut & forma nihil horridi vel monſtroſi in ſe continens, id oſtendit. At verò illi, qui per *animalia* ſeu *Cherubim Ezechielis* præfigurantur, ante ſuum illum ſtatum, in quo ſuis figuris, quà *Cherubim* glorioſi ſunt, apprimè reſpondeant, non omnes ex bonis Chriſtianis proximè ſtatum eundem conſequentur; ſed multi eorum ex illis, qui vitâ, vel etiam doctrinâ Chriſti doctrinæ adverſantur, hoc eſt, ex nominalibus tantùm Chriſtianis, vel fortè à Fide Chriſti adhuc alienis, mediante operâ *duorum Teſtium* & eorundem Sociorum, (per præcedentes *Cherubim* præfiguratorum,) convertentur & aſſumentur â Deo in illum ſtatum, in quo planè *Cherubinis* Angelis in opere Domini aſſimilari queant. Atque tales ſunt illi, quos de præcedenti ſuo ſtatu figurant *facies* brutorum, ſcil. *facies leonis*, *facies bo-*

vis, & *facies aquilæ*. Quamvis verò omnes illæ affectiones vel proprietates, quæ sub diversis illis *faciebus* hîc figurantur, in uno eodemque subjecto (nempe in uno aliquo homine) inveniri possint; attamen ab affectione & proprietate prædominante facit hîc Spiritus Dei diversarum illarum *facierum* denominationem. Unde in quibus *humanæ* (vel *hominem* decentes) proprietates prædominantur, illi sub *humana*, in quibus *leoninæ*, illi sub *leonina*, in quibus *bovinæ*, illi sub *bovina*, in quibus *aquilinæ*, illi sub *aquilina facie* hîc figurantur. Diversi ergo homines sub diversis *faciebus* hîc nobis considerandi veniunt. Per *Leonis* faciem inprimi statûs eorum consideratione significantur illi, qui ante suam veram & salutarem conversionem, *crudeles*, *feri*, *iracundi & violenti* sunt, cum quadam sui sub specie generositatis elatione supra alios. Per *Bovis faciem*, significantur populi valde *stupidi*, *barbari*, tardique in rebus suis, ac jugo Superiorum fortiter ferendo assueti. Per *Aquilæ faciem* figurantur homines *prædæ* (inprimis prædæ animarum) *avidissimi*, inque ea rapienda *celerrimi*, ingeniô autem *subtiles*, & in *altissimis* rebus humanæ gloriæ causâ occupatissimi. Ex talibus Deus ad vivam Christi fidem, veramque pietatem con-

convertendis formabit sibi *animalia* illa mystica, seu *quadrigas*, sive *Cherubos* Ezechielis, in sui nominis gloriam celebrandam. Atque hôc jam respectû, non nisi de virtutibus, symbola illa brutorum *animalium* veniunt hîc explicanda; ut infra pleniùs (*e*) dicetur. Alioquî, quæ ratio solida exigebat hæc tam laboriosè in tam monstrosa forma proponere, si defectibus prioris statûs omissis, tantummodò virtutes eorum voluisset Spiritûs Dei in tam diversis brutorum *faciebus*, cum *facie humana* mixtis significare? At verò ratio à me assignata apprimè consonat aliis, etiam Scripturæ locis propheticis. Ut v. gr. cùm dicit Isaias: (*f*) *Vitulus & Leo, & Ovis simul morabuntur.* Item: (*g*) *Leo quasi bos comedet paleas.* Mysticum horum sensum nôrunt eruditi. De *Aquila* etiam sensû mystico & propheticô habemus Job 39. v. 27. 28. 29. 30. Prov. 30. v. 17. 19. Matth. 24. v. 28. & Apoc. 12. v. 14. Quid verò *humana facies* (quæ primô locô per Ezechielem ponitur) hîc denotet, ultrò jam ex dictis patere potest eruditis: at specialiter etiam de ea paulò pòst (*h*) dicemus.

CVI. Ut autem Lector veritatis amans,

 tan-

(*e*) *Cit. S. CVIII. b. cap.* (*f*) *Isa. 11. v. 6.* (*g*) *Ibid. v. 7. & Isa. 65. v. ult.* (*h*) *Cit. S. CVIII. b. cap.*

tantò faciliùs sibi persuadeat tales hîc per brutorum *facies* de antecedenti suo statu præfigurari, quales jam diximus, lumen sibi ad hoc accipiat ex veterum SS. Doctorum super hac *animalium* visione tam admiranda & difficili, expositionibus. Sic Author *Quæstionum* & *Resp.* sub nomine S. *Justini* ad *Orthodoxos* explicans hanc visionem de mansuefacto Regno, sub quo Judæi in *Babylone* detinebantur, & de subsecuta eorum libertate, hoc modô mentem suam proponit: (*i*) *Ex hujusmodi visione consolatio quædam allata est Israëlitis, ad firmam admodùm & potentem Babyloniorum dominationem respicientibus, & de liberatione tam duræ captivitatis, quasi illa eis contingere jam non posset, animos per desperationem despondentibus. Itaque ut Deus Israëlitas ab ejusmodi dimoveret desperatione, & ad potentiam suam respiciendam excitaret*, (δείκνυσι τῷ Προφήτῃ ἡμέρου τε καὶ ἀνημέρου ζώου τὴν σύζευξιν, καὶ βαρυσώμου καὶ πετεινοῦ τὴν σύμπεξιν,) *ostendit Prophetæ CICURIS & FERI animantis* (hoc est, hominis & leonis) *CONJUNCTIONEM*, *atque PONDEROSI CORPORIS & VOLUCRIS* (hoc est, bovis (seu vituli,) & aquilæ) *COAGMENTATIONEM. Mite namque & mansuetum animal est* homo, *ferus autem & immanis* leo; *&* vitulus

(*i*) *Quæst. 44. pag.* (*mihi*) *417. & 418.*

lus *gravius habet corpus*, aquila *verò levis est & volatilis animans. In illis ergo demonstrat Regnum ex ATROCI in LENE & humanum versum, in his verò GRAVEM servitutem, in LIBERTATEM mutatum iri. Subjugalis namque vitulus est, à jugo ferendo libera prorsùs aquila.* Si his ille (quæ certè non nisi tenuem quandam in præludio umbram faciunt veri & exacti (dictæ visionis) implementi,) tam profundam Visionem propheticam applicavit; quare nos Populorum diversos mores & genios habentium futuræ ultimo tempore ad Dominum conversioni & mutationi in melius, non possimus majori jure eandem applicare?

CVII. Lumen & ea nobis hîc præbere possunt, quæ scribit S. *Hieronymus* de hac visione; (*k*) quòd nempe *plerique* illô ævô, per *hominem* hoc locô, *rationale animæ*, seu ipsam *rationem, cognitionem, & consilium atque sapientiam* intellexerunt; per *leonem, feritatem, iracundiam atque violentiam*; per *vitulum, qui terræ operibus inhæret, libidinem, luxuriam, & omnium voluptatum cupidinem in jecore*; per *aquilam, scintillam conscientiæ*, (quam tamen etiam (ait idem) *cernimus præcipitari apud quosdam*) significari exposuerunt. Et aliquantò pòst subjicit: *Hanc igitur quadrigam*

(*k*) *S.* Hieron. *Comm. in Ezech. 1.*

in aurigæ modum Deus regit, & incompositis currentem gradibus refrenat, docilemque facit, & suo parere cogit imperio. Deinde paulò post ista scribit: *Legi & cujusdam Catinæ* (Syri *acuti & ingeniosi*) *brevem Disputatiunculam, putantis castrorum ordinem* (*l*) *duodecim Tribuum describi in solitudine, ad Orientem, & Occidentem, Septentrionem & Meridiem; quæ sibi invicem & charitate & consanguinitate socientur, & hoc esse rotam in rota; quæ ducantur à* Spiritu, *& nube protegantur in eremo, & columnâ illuminentur in nocte, nec revertantur in Ægyptum, sed SEMPER ad TERRAM REPROMISSIONIS ire festinent.* (Mysticè hæc eruditus Lector in præsentem scopum accipiat.) *Electri autem in medio similitudinem, interpretatur* (idem Syrus) *Sancta Sanctorum; faciemque* hominis *refert ad totum Israël;* leonis, *ad Regale sceptrum Judæ;* vituli, *ad Sacerdotalem & Leviticam tribum; extra quæ sit* aquilæ, *vindicta & ultio Dei de cœlo cuncta prospiciens, & quæ parata sit laniare peccantem,* (scil. impœnitentem, aut pœnitentiam differentem,) *de qua & in Osee dicatur:* (*m*) ,, *Sicut Aquila* ,, *super Domum Dei.* Et paulò post: *Hoc autem, inquit, Populo dicitur, qui in Babylone versatur,* quòd

(*l*) *Vide Num. 2. v. 3. & seq. Ubi* Judæorum *Doctores tradunt, in Juda vexillo fuisse depictum* Leonem; *in Rubenis*, hominem; *in Ephraimi*, bovem; *in Danis*, aquilam. *Quæ etiam Traditio hîc lumen aliquod subministrat.* (*m*) *Hos. 8. v. 1.*

quòd si colla Deo subjecerit, ipsiusque paruerit retinaculis, rursùm ejus mereatur auxilium, & terram quam amiserat, recipiat. Si antiquus Dei Populus in veteri *Babylone* poterat ex dicta visione tali solamine in spem se erigere, (sub conditione nimirùm resipiscentiæ;) quantò magis Populus Dei in Novo Test. inter tot adversitates, tot perniciosa ingeniorum dissidia, totque rerum confusiones, in appropinquatione implementi magnarum in ultima tempora spectantium promissionum, poterit ex eadem illô modô, quô jam supra (*n*) dicere cœpi, se fulcire & consolari? Ne omittamus hîc & ea, quæ *Theodoretus* super dicta *visione* habet; (*o*) qui postquam dixisset, per *Leonem* hîc *Regnum*, *per Vitulum*, *Sacerdotium*, & *per Aquilam*, *Prophetiam declarari*, deinde subjungit: *Docet igitur iis quæ dicta sunt, omnem humanam naturam, unà cum propriis Ducibus, omnium Regi, omniumque Auctori subjectam esse, qui tot donis humanum genus instruxerit.*

CVIII. His præmissis tantò securiùs jam cœptam expositionem nostram continuabimus. Quid vel qui hîc per *faciem Leonis*, *Bovis*, & *Aquilæ*, respectû prioris & corruptioris hîc præfiguratorum statûs, intelligantur,

(*n*) *S. CVI. h. cap. pag. 440. & 441.* (*o*) Theodor. Cyri *Episc. Comm. in Ezech. c. 1. v. 10.*

gantur, jam ſupra (*p*) diximus. Per *Hominis* autem *faciem*, reſpectû ejuſdem prioris ſtatûs intelliguntur illi ex Chriſtianis, qui comparatè ad alios ſunt *modeſti, manſueti, dociles*, ratione ſuâ, quantùm in tanta naturæ depravatæ miſeria mentisque caligine fieri poteſt, rectè utentes, & in dies magis atque magis ſtudentes demonſtrare, ſe ſe veros eſſe Chriſtianos, tametſi adhuc ingenti cum dolore animi, cum variis infirmitatibus ſuis vehementer luctantur, ſentientes & ipſi in ſe adhuc brutalem quandam naturam; unde ſibi ipſis quoque eapropter multùm diſplicent. Hi ſanè *homines* meritò dici poſſunt in comparatione eorum, quos ſub brutorum *faciebus* ſignificari diximus. Reſpectû verò melioris horum ſtatûs, (hoc eſt, dum jam *quatuor* illa *animalia quaternas facies* habentia, ſibi invicem jungentur, ut nempe ſub uno unius ejuſdemque Spiritûs ductu, eidem Domino Deo ſerviant,) per *Hominis faciem* ſignificantur illi, qui ex priori ſuo ſtatu inchoativè & quadantenùs jàm bono, in longè meliùs proficient, & ſanctiores reddentur, atque contra ſuas corruptelas, Satanæque infeſtationes, in dies evidentem reportabunt victoriam. Per *Leonis* (ut partis

(*p*) *S. CV. b. cap. pag.* 438.

tis Cherubim) *faciem* (respectu posterioris & melioris statûs) illi, qui per veram ad Dominum *conversionem*, leoninâ *feritate, iracundiâ*, omni affectû veræ charitati contrariô, & virulentis in alios odiis ac contentionibus depositis, omnem suam *severitatem, iram, audaciam, generositatem* & *fortitudinem*, contra *peccata* & *errores*, regnumque *Satanæ* vertent. Per *Bovis faciem* (in dicto respectu) illi figurantur, qui *stupiditate, barbarie, segnitie*, nec non *voracitate*, ventris nimiâ curâ, indeque proveniente *luxû* à se expulsis, ac omni obsequiô culpabili in melius mutatô, cultiores fiunt, & omnem suum *laborem*, omneque erga alios obsequium in Regni Christi promotionem, suarumque animarum salutem convertent, atque hoc modô se ipsos (q) *hostiam vivam & sanctam* Deo exhibebunt. Per *Aquilæ faciem* (in eodem secundo respectu) illi designantur, qui *rapacitate* (quâ aliena rapiebant, vel in ea inhiabant,) item, effrenatâ *ingenii libertate*, ac vanâ & præsumptuosâ ejusdem in *altissimis* rebus volitatione coërcitis, omnem suam in rapiendo strenuitatem, ad *rapiendum* (r) sanctè Christi *Regnum*, omneque sui ingenii *acumen* ad cœlestem veritatem è Scripturis sacris, & SS. Patribus

(q) *Rom.* 12. *v.* 1. (r) *Juxta Matth.* 11. *v.* 12.

bus in freno Divini timoris, & sanctæ (ſ) moderationis, humiliter & juxta mensuram capacitatis suæ investigandam, atque ad Divinorum (in prophetiis & typis) promissorum sensum pari moderatione scrutandum convertent. Atque sic fiet, ut quicquid in istis hominibus per brutales *facies* significatis erat *homine* indignum & culpabile, id omne tollatur, & eâ saltem parte *faciebus* illis respondeant, quâ virtuosè respondere possunt & debent. Unde est, quòd & in visione *animalium* ipsa figura hominis prædominatur; ut patet tum ex *erectis* animalium (s) *pedibus*, tum ex situ (t) *faciei humanæ*, in principali, anteriori & suo loco, tum ex disertis illis verbis, statim in prima *quatuor animalium* mentione præmissis: (u) *Similitudo hominis in eis.* Hæc de *faciebus* animalium diversis, & earum significatis.

CIX. Operæ pretium est, ut jam illud quoque videamus, quid præfiguret *quatuor* harum *facierum* in unoquoque *animali* (v) conjunctio, & quid item, *quatuor animalium* totidem *facies* habentium arcta inter se sub ductu *Spiritûs* (x) consensio? Quod primum

(ſ) *Juxta Eccli.* 3. v. 22. *collat. Prov.* 25. v. 27. (s) *Ezech.* 1. v. 7. (t) *Ibid.* v. 10. (u) *Ibid.* v. 5. (v) *Ibid.* v. 10. (x) *Ibid.* v. 14. 19. 20.

mum attinet: Per *animal* unumquodque, certum aliquod corpus hominum inter ſe *Religione* ſociatorum, at vitâ, geniô, affectionibus & moribus (juxta præmiſſam (y) *quatuor facierum* expoſitionem) diverſorum hîc figurari, nemini rationabiliter dubium eſſe poteſt. Quod plurium inter ſe ſociatorũ *corpus* hîc per *animal* ſignificetur; ipſæ *facies* diverſæ ex ſua ſignificatione oſtendunt. Alioquî poſſem hoc probare etiam ex ſimili & eadem voce Chaldaica, ſcil. *Chevan* (in plural.) in viſione *Danielis* poſita, cap. 7. v. 3. idem ſignificante cum voce Hebr. *Chajjoth*, (pariter plurali,) quæ in viſione *Ezechielis*, *animalia* ſignificat. Sed ſufficiat hoc eruditis nunc currenter tantùm indicâſſe. Quod autem *Religione* (ſeu Fide) ſociatorum *Corpus* hîc figuretur, ex eo patet: quia directa & principalis Spiritûs S. intentio in hac viſione, (ſcil. in figuris *Cherubim*) eſt, res *Religionis* & S. Eccleſiæ deſcribere & præmonſtrare: quibus cognitis, cognoſcetur etiam Politicum talium corporum regimen.

CX. Quod alterum ſpectat punctum: Ultrò jam ex dictis colligitur, per *quatuor animalium* Ezechielis arctam inter ſe ſub ductu *Spiritûs* Dei conſenſionem ſignificari hoc,

(y) *ſ. CV. h. cap. pag. 438. & 439.*

hoc, quòd erunt *quatuor* quædam Corpora ſeu Partes *Chriſtianitatis*, quæ tametſi priùs ab invicem dividebantur, & non niſi cum membris ſuæ ſocietatis habebant conſenſum; attamen Deo corda hominum excitante, illuminante & dirigente, ſibi mutuò ſanctâ *Unione* jungentur, ut juxta *Sophoniæ* prophetiam, (*z*) *uno humero Domino* Deo *ſerviant*, tolerantes ſe ſe benignè in minùs-principalibus Religionis punctis, donec Deo in dies obſcuriora etiam (*a*) *revelante*, ad pleniſſimam demùm *omnes* perveniant (*b*) *Fidei unitatem*. Quamprimùm hoc modô Partes illæ *quatuor* Chriſtianitatis, in timore Domini, & ſincerô ejuſdem cultûs amore ſe ſe *unient*, ex eo ſtatim incipient dictis quatuor *Cherubæis* animalibus ut ſuis figuris in rei veritate reſpondere. Atque exinde in dies ſemper majores & feliciores ſibi progreſſus in bono, contra quælibet adverſa polliceri & expectare poterunt. Superat quidem omnem ſpem humanam, (ob tam atrocia hinc inde ingeniorum diſſidia,) quòd talis *Unio Chriſtianorum* futura eſſet; at inde non ſequitur, non eſſe futuram: tametſi ea à pauciſſimis eſt inchoanda, & lentô gradû (viâque ac ratione

(*z*) *Soph.* 3. *v.* 9. (*a*) *Juxta Philipp.* 3. *v.* 15. (*b*) *Ephes.* 4. *v.* 13.

tione merè carnalibus ignotâ) ad ulteriorem perfectionem deducenda. Vincet nimirum pauciorum sub *humana facie* designatorum modestia, mansuetudo, docilitas & tractabilitas, aliorum multorum affectus indomitos, truculentos ac virulentos, odium in alios implacabile, & genium contentiosissimum, pacis inimicum, & (humanitùs) planè intractabilem. *Facilius* enim (c) *est cælum & terram præterire*, quàm de verbo Dei (d) *unitatem* Christianorum futuram largè promittente, vel minimum *cadere*. (Per *quatuor* autem *Partes* Christianitatis supra memoratas, quò collimemus, nôrunt eruditi; qui non ignorant, *quatuor* esse nunc *Partes* Christianitatis † præ aliis celebriores, multùm inter se dissidentes, tametsi omnes illæ dogma de SS. *Trinitate* profiteantur.) Si cui hæc de illis *animalibus Cherubæis* expositio non placeret, videat an ipse unquam aliam meliorem monstrare queat, quæ huic tam profundæ, tamque obscuræ, nec adhuc adæquatum suum

Ff im-

(c) *Luc.* 16. *v.* 17. *collat. Matth.* 24. *v.* 35. (d) *Isa.* 27. *v.* 12. & 56. *v.* 8. *Psal.* 101. (*al.* 102.) *v.* 23. & 146. (*al.* 147.) *v.* 2. *Jer.* 31. *v.* 10. *Ezech.* 34. *v.* 12. 13. & 37. *v.* 16. 17. *usque ad v.* 24. *Soph.* 3. *v.* 9. *Joan.* 10. *v.* 16. *Ephes.* 4. *v.* 13. † *Partes illæ sunt*; Romano-Catholicorum, Græcorum & duarum *Sectarum* Protestantium, *ex* Lutheri & Calvini *nominibus celebrium.*

implementum ſortitæ viſioni, magis quadraret. Ego cœleſti gratiâ fretus, nîl dubito, (ut jam paulò antè * aliis verbis inſinuavi) quin *Unio* talis inter memoratas *Chriſtianorum* Partes cum tempore futura ſit, quæ huic viſioni exactè reſpondebit. Nec obſtabit noſtræ expoſitioni, ſi interea aliqui ex non credentibus (*Muhammedanis*, vel aliis) ad Fidem Chriſti accedant. Nam & illi mediantibus antiquioribus *Chriſtianis* pervenient ad ulteriorem in ſpiritualibus perfectionem. Quid porrò ſint *quatuor alæ* & *quatuor manus* horum *animalium*, quid item alia in viſione eis adjuncta; ad ea pro requiſito rei explicanda integer alius Tractatus requireretur. Sufficiunt ea in præſentem ſcopum, quæ de iis hactenùs dixi. Ex iis enim noſci jam ſatis poteſt cognatio horum *animalium* cum præmiſſis *Cherubinis Moſis* & *Salomonis*. Doctrinam enim & vitam eorum, qui per modò dictos *Cherubim* præfigurati ſunt, ſequentur etiam myſtica Ezechielis *animalia* ſibi invicem juncta, & eoſdem pro ſuis Doctoribus ac Ducibus agnoſcent.

CXI. Quam etiam cognationem habeant dicta *Ezechielis animalia* cum *quatuor* Apocalypticis *animalibus*, ex ante-dictis non erit

* *Hôc Paragr. pag. 448.*

erit difficile invenire. Sic autem existimo; quòd *animalia* (e) Apocalyptica, (ex principali & ultimato scopo Spiritûs S.) præclaros aliquos *quatuor* Duces & Antesignanos Spirituales significant, proximè è medio eorum exstituros, quos quatuor *Ezechielis animalia* juncta præfigurant. Hæc nempe designant *unienda* quatuor Corpora seu Societates; illa verò personas publicas ex eisdem corporibus futuras: quæ simul excellentiori etiam in gradu præ aliis suis proximis commembris, Spiritum & industriam *quatuor Evangelistarum*, in opere Domini exhibebunt. Quòd *Leo* ibi (f) præcedit, & *humana facies* (post *bovem*) tertiô locô sequitur; reor in eo ad ordinem sublimationis eorum in suis dignitatibus respici. Sed præstat ulteriorem de iis rerum eventum præstolari, quàm intempestivè de ordinis illius ratione (ut & de singulis singulorum *faciebus*) aliquid definire. Sufficit nunc scire in genere, quòd cognationem magnam hæc & illa *animalia* inter se habeant.

CXII. Hæc cuncta de *quaternis* his & illis *animalibus*, occasione *Cherubim* Mosis & Salomonis dicenda hîc mihi erant. *Cherubinos* autem illos occasione *Theraphim* Ho-

(e) *Apoc.* 4. v. 6. (f) *Ibid.* v. 7.

ſeæ, (quos ſub his primariò inſinuari (*g*) docui,) ad explicandum hîc ſumere debui, juxta requiſitum eorum, quæ ſupra (*h*) dicta ſunt.

CXIII. Atque ſic jam juxta datam *Cherubim* ſub *Theraphim* Hoſeæ inſinuatorum expoſitionem, rectè cum principali hoc in loco ſignificato *Theraphim*, id eſt, cum *Cherubim*, conciliari poſſunt, tum Paraphraſtes *Chaldæus*, qui (ut jam (*i*) indicavimus) in textu Hoſeæ *Theraphim*, per τὸ מְחַוֵּי, *Mechavvi*, (h. e. *Indicans*, ſcil. futura, vel obſcura & dubia,) vertit; tum LXX. *Interpretes*, qui habent* δήλȣς, h. e. *manifeſtos*, vel potiùs juxta ſenſum, (ut *Hieronymus* habet,) *manifeſtationes*; tum etiam *Aquila*, qui φωτισμȣ̀ς, h. e. *illuminationes*, tranſtulit; dummodò attendantur ea, & diligenter inter ſe conferantur, quæ nos hîc de myſteriis *Theraphim*, (*k*) quà *Cherubim* ſignificant, diximus. Non ignoro S. *Hieronymum* (*l*) ex LXX. Int. verſione inclinare in illam ſententiam, quòd per *Theraphim* in Hoſea, (uti

(*g*) *§. LXXX. h. cap. pag.* 380. (*h*) *§. 81. 87. & ſequ. h. cap. pag.* 383. 395. *& ſeq.* (*i*) *Supra §. LXXXIV. h. cap. pag.* 391. * *Scil. in genitivo plur.* ȣ̓δὲ δήλων, ſine manifeſtis, *vel* ſine manifeſtationibus. (*k*) *Supra §. 86. 87. & ſequ. h. cap. pag.* 394. 395. *& ſeq.* (*l*) Hieron. *Comm. in Hoſ. 3. v. 4.*

(uti vox ea (per δήλυς) à LXX. vertitur,) duo illa, quæ in *Rationali* Pontificis fuerunt, scil. *Veritas atque doctrina*, (Hebræis *Thummim* * & *Urim*,) significentur; atque inde non minùs *Theraphim* in dicto Hosea, quàm *Ephod*, *instrumenta Sacerdotalis habitûs* (m) fuisse dicit: nec diffiteor, quòd etiam S. *Cyrillus* Alexandr. adhuc expressiùs, (m) per τὺς δήλυς, in Græco *Hos.* textu, h. e. per *manifestos*, (quasi *nitentes, eminentes*, & *apparentes*,) seu, per *manifestationes*, intelligit ipsos *lapides* pretiosos, in *pectore* Pontificis olim gestatos; qui insuper præter *duodecim*, censet alios etiam *duos lapides*, (quos juxta textum Græc. *Manifestationem* & *Veritatem* vocat,) Pectorali Pontificis fuisse insertos: & insinuat implicitè, vel maximè hos *duos*, vocari in Scriptura S. (juxta LXX.) δήλυς, h. e. *manifestos*, vel *manifestationes*. Verùm cùm ex ipso quoque *Hieronymo* jam (o) audiverimus, posse hîc per *Theraphim* intelligi *Cherubim*; imò & res ipsa postulet, ne *Cherubim* consideratio hinc prorsùs excludatur; (ut & supra (p) insinuavimus;) ex-

Ff 3 clu-

* *Invertit nempe ille ibi voces Græcas & Latinas, ideò hîc & nos Hebræas invertimus.* (m) *Cit. loc. in Hos. Conf. eundem etiam in Epist. 130. ad Marcell.* (n) Cyrillus *in Comm. in Hos. cap. 3. Op. Tom. 3. p. 62. edit. Paris. 1638.* (o) *Supra §. LXXX. h. cap. pag. 382.* (p) *Cit. §. LXXX. & cit. pag.*

cluderetur autem, nisi voce *Theraphim* indicaretur; idcircò in talibus SS. Doctorum expositionibus non id spectandum est, quid ipsi privatim in iis senserint, sed quid Spiritus Sanctus per eorum verba nos docere voluerit: Hoc nempe in isto loco; quòd mysteria *Theraphim*, quà *Theraphim* significant *Cherubim*, concurrunt (ut & supra (q) monui,) cum mysteriis *Urim* & *Thummim*, (sive juxta Vulg. *Doctrinæ* & *Veritatis*; vel ex Græco, *Manifestationis* & *Veritatis*;) ita ut, unius horum symbolorum intelligentia, alterius intelligentiam mirè juvet. Utraque enim suô mysteriô in eadem objecta tendunt, cum certa diversitate respectuum; quæ diversitas in eo præcipuè sita est, quòd *Cherubim Mosis* & *Salomonis* junctim considerati, latiùs in sensu mystico extenduntur, quàm *Urim* & *Thummim*; ut ex iis, quæ supra (r) de his & illis dicta sunt, inter se collatis patet. Insuper, id quoque huc valde quadrat, quod scribit *Theodoretus* in nostrum textum. (ſ) Δήλυς, *divinas* (inquit) *PRÆDICTIONES nominavit.* (Scil. Interpres Græcus.) Et illicò subjungit; quòd *Summus* etiam *Sacerdos*, *per* quaſ-

(q) *S. 69. h. cap. pag. 355.* (r) *S. 64. 87.* 96. 97. *& seq. h. cap. pag.* 346. 395. 496. *& sequ.* (ſ) Theodoret. *in Ose, c.* 3.

quasdam significationes in Rationali *factas futura prædixerit*. Mens ejus eò tendit, quòd vox Græca, Hebræorum *Theraphim* in Hosea exprimens, *prophetiæ* Spiritum (in symbolicis figuris) significat. Atqui ille *prophetiæ* Spiritus revivifcet in illis, quos supra (s), tam per *Urim* & *Thummim*, quàm per *Cherubim* Mosis significari docuimus. Quam in rem plenioris lucis causâ conferat Lector ea, quæ de *duobus Testibus* dicta sunt à me in *Clavi Prophetica*, inprimis p. 117. 118. 127. 129. 131. Hactenùs de *primario Theraphim* Hoseæ significato, h. e. de *Cherubim* dicta sufficiant.

CXIV. *Secundariò* per *Theraphim* in litera significari diximus (t) supra, ornamenta quædam Templi, v. gr. figuras *Leonum*, *Boum*, *Cherubinorum* parvorum, unà cum *palmis* & aliis *picturis* variis; (scil. *floribus* eminentibus;) adjunximus (u) ex *Josepho*, etiam figuras *aquilarum*; atque insinuavimus, (v) quod & in Tabernaculo fuerunt textæ in *cortinis* & *velo* figuræ *Cherubinorum*. Hæc ornamenta minoris gradûs, (ut paucis tantùm de iis dicam,) præfigurant in ipsis quoque tenerioris ætatis, vel vilioris conditionis personis utriusque sexûs, ma-

 gnam

(s) Cit. §§. 64. 87. 96. 97. & sequ. (t) §. LXXXIV. h. cap. pag. 389. & 390. (u) Ibid. (v) Ibid.

gnam fore ubertatem diverſorum Spiritûs S. donorum & gratiarum in Eccleſia ultimi temporis; ut quocunque vertantur tunc fidelium mentis oculi in S. Eccleſia, nonniſi donorum & gratiarum ornatum ſpiritualem poſſint videre in membris ejuſdem Eccleſiæ. Hinc illud Iſaiæ: (x) *Omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Jeruſalem, SANCTUS vocabitur.* &c. Item: (y) *Populus tuus OMNES JUSTI.* Confer hîc de donorum ſpiritualium incremento ultimis temporibus futuro, Joël. c. 2. v. 28. Iſa. 11. v. 9. Iſa. 54. v. 13. Jerem. 31. v. 34. & de Eccleſiæ decore ſpirituali, Pſal. 44. (al. 45.) v. 10. & 92. (al. 93.) v. ult. col. ult. Ne omitte excutere de *floribus* Eccleſiæ, Cant. 2. v. 5. 12. & 7. v. 12. Quicquid verò ampliùs hîc de myſteriis ſculptorum *Leonum*, *Boum*, parvorum *Cherubim*, ſive ſculptorum, ſive textorum, aliorumque hujus generis ornamentorum *Templi* vel *Tabernaculi* deſideraretur, facilè ſciri poteſt ex myſtica majorum *Cherubim* atque etiam *Ephod* & *Rationalis* expoſitione jam data: (quibus lux affulget ex iis etiam, quæ ſupra (z) de iiſdem ornamentis ex *Viega* in medium adduximus:) ideò non eſt operæ

(x) *Iſa. 4. v. 3. collat. v. 4. ibid.* (y) *Iſa. c. 60. v. 21. Conf. Zach. 14. v. 21.* (z) *S. XCII. h. cap. pag. 409.*

ræ pretium, ut minoribus illis diutiùs hîc immoremur.

CXV. Diximus & hoc in superioribus, (*a*) quòd *tertio* in ordine, indirectè, & in respectu quodam remotiori, per *Theraphim* Hoseæ, *vituli* etiam *Jeroboami* intelliguntur. Mysterium autem etiam eorum idem voluit esse *Jeroboam* cum suis sequacibus, quod fuit *Cherubinorum* Hierosolymitanorum. His enim ille suos *vitulos aureos* (ut jam supra quoque (*b*) insinuavi,) per æmulationem quandam opposuerat; generaliter id intendens, ut quicquid boni esset illud, quod figuræ *Cherubim* Hierosolymitanorum significarent, (v. gr. tum *Angelorum* pro illo tempore in Populo Dei præsentiam & custodiam, tum etiam aliud *boni* in futurum, Messiæ temporibus adducendum,) id omne etiam *Vituli* ejus designarent. Probabile enim est, ipsum ita edoctum fuisse, quòd & *boum* figuræ in Templo Hierosolymitano ideò factæ & adhibitæ fuissent, quia etiam figuræ illæ ex parte aliqua (ob vires fortè insignes & ministerium in hominum usum) *Cherubinorum* symbola Hebræis exstitissent. (Quæ enim alia ratio talis figuræ in populo Dei convenientior dari poterat?) Movere autem

 ipsum

(*a*) *S. 85. h. cap. pag. 392.* (*b*) *Cit. S. 85. p. 393.*

ipſum poterat, ſignatè ad *bovis* junioris, h. e. *vituli* (& non alterius animalis) figuras in ſymbolum rerum ſpiritualium erigendas, quòd & in *Ægypto*, (c) ubi exul aliquamdiu commoratus fuit, didicerat ſymbola ejusmodi in veneratione eſſe. Vide in hanc rem de *Jeroboami* facto S. *Hieronymum*, Comm. in Hoſ. c. 4. v. 15. Hîc autem vel maximè Divinum conſilium ſpectandum eſt. Deus enim juxta gratioſas ſuas promiſſiones Patribus Hebræorum olim factas, perinde participes voluit eſſe *decem tribuum* poſteros ad ipſum ultimo tempore verè convertendos *bonorum* illorum, quæ per *Cherubim* & alia ſymbola à *Moſe* & *Salomone* facta præfigurabantur, ac quidem *Judæ*, *Benjamin* & *Levi* poſteros. Inſinuatur ergo hîc etiam ipſis *decem tribuum Iſraëlitis*, quòd quicquid *boni* vel ipſi per ſuas figuras exſpectarent, vel (quod majus) quicquid ipſe Deus in genere populo ſuo *Iſraëlitico* per figuras *Cherubinorum* Hieroſolymitanorum, & aliorum Templi ac Tabernaculi ornamentorum per *Theraphim* apud Hoſeam inſinuatorum præſignificavit, omni eô carebunt *multis diebus*; uſque ſcil. ad tempus veræ *converſionis* eorum.

CXVI. Adjunxeram & hoc ibidem ſub dicto

(c) 1. (*al.* 1.) *Reg.* 11. *v.* 40. & 2. *Paral.* 10. *v.* 20.

dicto nempe *tertio* ordine, (*d*) quòd etiam aliæ illicitæ, & per excellentiam ac frequentiori usû *Theraphim* dictæ imagines *Israëlitarum* hîc sub latissimo sensu ejusdem vocis *Theraphim* includuntur; non quà colebantur illicitè, sed quà in illis quoque ex *Diaboli* fraude ac malitia, *bona* quædam Populo illi aliquando juxta Dei consilium eventura occultabantur. Dei enim fuit *Simia* Diabolus in omnibus suis apud idololatras symbolis & figurationibus. Notum est eruditis, sua etiam *Diabolum* apud Ethnicos (ac per consequens apud alios quoque suos cultores) habuisse mysteria, eaque à vulgo studiosè occultata. (Quanquam nec Sacerdotibus suis ipse omne id aperuit, quod nimis obscurè, confusè & generaliter saltem, in suorum idolorum mysteriis adumbravit.) Scilicet, id prætendebat *Diabolus* se agere per figuras apud suos, quod *Deus* in suo populo; (quanquam omnia fallaciter & dolosè egit;) ut nempe, quemadmodum *imagines* & *figuræ* jussû vel instinctû Dei olim factæ, rerum spiritualium (ac signanter etiam futurarum) erant significativæ; sic etiam suæ *imagines* & *statuæ* tales essent. Unde facilè perspicimus, *Diabolum* id mysterii in

(*d*) *Cit. S. 85. pag. 393. & 394.*

in usu *Theraphim* illicito occultâsse, quod prævidit (*e*) in genere & confusè hominem, primâ suî origine *fictilem*, hoc est, è *terra* formatum, (uti & *Theraphim* (*f*) primitùs tales erant,) excellenter sublimatum iri à Deo, inprimis quosdam ex hominibus in his etiam terris tam excellentes futuros, ut ipse Deus plenè eos demùm inhabitaturus sit, & per eosdem aliis responsa daturus in omnibus eorum necessitatibus. Sic ergo ea quoque in parte indicatur *Israëlitis* implicitè, quòd ipsorum quidem *felicitatem* aliquando (scilicet temporibus *Messiæ*) futuram, etiam *Diabolus* præsagit, eamque utcunque adumbrat in suis idolis; sed eam non priùs consequentur, quàm ubi verè & plenè ad Deum *convertentur*. Si cui fortè hæc de *Theraphim* illicitis ac divinatricibus, non planè ad placitum essent, is fruatur illis hoc in argumento, quæ supra (*g*) de *Cherubim* Mosis & Salomonis, & de *Vitulis* (*h*) Jeroboami diximus: usque dum Domino Deo placuerit, ut cum tempore pleniùs etiam aliquo in opere demonstrem, *Diabolum* magnum fuis-

(*e*) Diabolum *posse prævidere aliqua futura*, *vide* Clavem *meam* Prophet. *pag. 49. 50. 51. 52.* (*f*) *Vide supra §. LXXIII. & LXXIV. hoc cap. pag. 361. & 364.* (*g*) *§. 87. & seq. h. cap. p. 395.* (*h*) *§. 115. h. c. p. 457.*

fuisse Prophetam, (tametsi fallacissimum & dolosissimum, mirèque tegentem ipsam veritatem) in omnibus suis apud veteres idololatras idolis & figmentis; aut saltem ea pluribus illustrem, quæ jam alibi (*i*) de eodem argumento, verbis paulò aliis, sed in eundem sensum scripsi.

CXVII. Ex hactenùs ad *Quæstionem quartam* dictis, facilè jam responderi potest ad illam *Spenceri* objectionem, quâ ex *Ephod* & *Theraphim*, imò & *Regis* ac *Principis* mentione in nostro textu per Hoseam facta, vult inferre, prophetiam ejusdem textûs, non pertinere ad *decem* Israëlis *tribus*, sed tantùm ad *duas*, & consequenter ad eos, qui *duabus* illis religione fuerant juncti. Quod ille hoc fine agit, ut probare possit, per *Theraphim* Hoseæ, non aliud quàm *Urim* Judæorum intelligi. Verba ejus hæc sunt: (*k*) *Decem tribus* Ephode *cum* Theraphim *privari non nisi impropriè admodùm dici poterant; iis enim nunquam forsan adfuit* Ephod *Pontificium, & vix unquam defuit cultus* Theraphim, *cùm non minùs in mores, quàm familias Ethnicorum, post aliquot annorum circulos immigrâ-*

(*i*) *In* Clavi Prophet. *Class.* 1. *pag.* 51. *ss. & in* Præfation. *ejusdem pag. VI. & VII. collat.* Orig. Hung. *Præfat. pag. X.* (*k*) Spenc. *de Legib. Hebræor. Lib. 3. Dissert. 7. pag.* (*mihi*) 334. *edit. Hagens.*

grârint; *& illæ vix unquam fuerint sine* Rege *&* Principe *suo*, *cùm in sanguinem & censum Gentium*, *infinitis commixtæ matrimoniis transierint*. *Hæc itaque Prophetæ verba in solis duabus Tribubus complementum habere potuerunt*. Et paulò pòst: *Si itaque* (inquit) *Prophetam hîc duarum Tribuum statum futurum depinxisse statuamus*, *nullus supererit dubio locus*, *quin* Theraphim *de re licita*, Urim *nempe*, *interpretari debeamus*. Hæc, ut jam insinuavimus, facilè ex antè-dictis dilui possunt: unde etiam conclusio ejus pariter ruet. Nam, ut taceam de *Ephod*, quòd *Ephode* quoque ad literam non simpliciter caruerunt etiam Israëlitæ *decem tribuum*; (uti in sequentibus statim (*l*) patebit;) nos nequaquam in cortice harum vocum terminamus scopum Spiritûs S. sed ad *mysteria* earum ascendimus, eaque potissimùm hîc spectari contendimus; uti jam supra (*m*) docuimus, atque etiam *mysteria* illa de singulis (quantum fieri potuit) ostendimus. Atqui *mysteria* illa, sub memoratis vocibus hîc inclusa, ob Dei promissionem tum Patribus olim factas, tum per Prophetas frequenter annuntiatas, æquè pertinent (ut non ita pridem (*n*) insinuavimus) ad electas reli-

(*l*) *Hôc S.* (*m*) *S. 11. h. cap. pag.* 219. *&* 220. (*n*) *S. CXV. hôc cap. pag.* 458.

reliquias *decem tribuum*, ac ad *duas Tribus*. Ideoque miseræ illæ *decem Tribus*, in sua etiam à Domo Davidis defectione, dum jam non possent veris & legitimis *sacrificiis*, *Ephod* & aliis *vestibus* sacris, nec non figuris *Cherubim* & aliis Templi Hierosolymitani ornamentis uti ac frui, hæc tamen omnia (præeunte ipsis *Jeroboamô*) modô quodam per falsam imitationem, & defectuosè sibi effinxerunt. Habuerunt enim & ipsæ sua *sacrificia*, suos *Sacerdotes*; (adde & suos *Reges* ac *Principes*, qui punitivè saltem à Deo erant ut Judice, loco pœnarum adversùs *Judam*;) habuerunt etiam vestimenta sacra à se excogitata, & procul dubio specialiùs etiam *Ephod* qualecunque: (si enim vel solus *Micha* (o) non præsumpsit constituere sibi *Sacerdotem* sine qualicunque *Ephod*, quantò magis id dicendum est de *Jeroboamo*, & tanta multitudine eum sequente, Legemque *Mosis* in ore habente?) item, habuerunt locô *Cherubim*, *Vitulos aureos*, (qui sensû etiam idololatricô *Theraphim* poterant dici,) & pro his sua *Templa*, (p) pro uno in *Bethel*, & pro altero in *Dan*. Atque sic, velut somniantes, etiam figmentis suis ea *bona* quôdam modô (h. e. appeten-

(o) *Judic.* 17. v. 5. 7. 10. (p) 3. *Reg.* 12. v. 29. *collat.* Joseph. *Antiqu. Jud. Lib.* 8. c. 3. p. 276.

tenter quantum ad ſe, at ratione Dei cuncta in ſuos fines ſapienter gubernantis, occultè & ignoranter) adumbrabant, (uti & ſupra (q) ex parte jam inſinuavimus,) quæ per veros *Reges* Domûs Davidis, per *Principes* ad eandem domum ſpectantes, per *ſacrificia* legitima, per *altare* (aut aliud *monumentum*, quod ſub *Matztzebah* includi hîc poteſt,) perque legitima *veſtimenta* Sacerdotalia, & ſymbola *Cherubim*, aliaq; Templi ornamenta, à Spiritu S. erant adumbrata, eorum demùm poſteris, poſt longum ſeculorum decurſum re ipsâ exhibenda.

CXVIII. Porrò quòd ait Spencerus, *vix unquam cultum Theraphim* Iſraëlitis *decem tribuum* inter *Ethnicos*, in quorum *mores* & *familiam immigrârunt*, *defuiſſe*; &, ſi ulteriùs quiſpiam pro eo urgeat verba versûs tertii textum noſtrum præcedentis, ad Populum *Iſraël* ſub typo *mulieris* ab Hoſea diligi juſſæ data: *Non fornicaberis* &c. cùm conſtet dictos *Iſraëlitas* Ethnicis immixtos cum idolis eorum *fornicatos* fuiſſe, vel etiam nunc multos illorum *fornicari*; atque inde inferat, textum *Hoſeæ* cap. 3., non ad illos *Iſraëlitas* pertinere, ſed ad ſolas *duas Tribus*, ut hinc & illud inferat; fruſtra myſteria vocum in textu noſtro extantium, in illos quo-

(q) *S. CXV. h. cap. pag. 457.*

quoque applicata esse: ad hoc respondeo, negando illas *Theraphim* imagines, de quibus noster textus sonat, & quô sensû Spiritus Dei de iisdem hîc loquitur, *Israëlitis* memoratis inter *Ethnicos* unquam adfuisse. *Theraphim* quà *Cherubinos*, vel etiam quà *Vitulos* Jeroboami hîc designant, illis inter *Ethnicos* nunquam adfuisse, nulli erudito est dubium. Multò minùs adfuerunt eorum significata spiritualia, de quibus supra (r) diximus. Quà etiam ipsas frequentiori usû & sensû illicitas imagines *Theraphim*, vox eadem significat, sic etiam nullô argumento ostendi potest, adfuisse unquam *Israëlitis* in *Ethnicorum mores* & *familias* transmutatis, illas prorsùs imagines *Theraphim*, quæ ipsis *Israëlitis* in sua patria fuêre propriæ & peculiares; quæ solæ fuerunt ita optatæ & ita in deliciis apud Hebræos *Theraphim* cultui addictos, ut iis (non verò alienis) caruisse, fuerit eisdem (juxta scopum textûs *Hoseæ*) pœna. Scilicet, *Israëlitæ* quanquam à gentibus alienis acceperant olim cultum *Theraphim*; suæ tamen Religioni eum conformârunt, ac suis dogmatibus inservire voluerunt, ut nempe eorum ille quoque cultus in Deum

(r) *§. 86. 87. h. cap. pag. 394. & seq. & præcipuè §. 96. 97. & sequ. pag. 416. 417. & seq.*

Hebræorum, (qui Patribus promiſſa dedit,) aliquâ ratione redundaret. Hoc ex facto *Michæ* & *Danitarum*, qui in cultu Dei, uſum etiam & cultum *Theraphim* imaginum (ſpecialiter ipſi *Ephod* junctarum) adhibuerunt, judicioſo Lectori ſatis patet: Jud. 17. v. 5. 13. & cap. 18. v. 2. 3. 4. 5. 6. 14. 17. 18. 20. (Quanquam hoc eos nequaquam excuſat ab idololatria.) Si enim vel ipſi *Cuthæi*, & alii Ethnici per *Aſſyrios* in terra *decem tribuum* abductarum (ut coloni) collocati, volentes ſe ſe utcunque Religioni *Iſraëlitarum* memoratorum conformare, Deum quoque verum ex parte *colebant* unà cum ſuis idolis ; (ut patet 4. Reg. 17. v. 32. 33.) quantò magis *Iſraëlitæ* illi id ipſum fecerunt? tantòque plùs hi erga Deum præſtiterunt, quantò propinquiores erant ipſi Deo, & plùs de ipſo ejusque rebus ſciebant, quàm *Cuthæi*, vel alii ſimiles. Et de ipſo quoque *Jeroboamo* diſertè tradit *Joſephus*, quòd in *vitulorum* (quos ille (*f*) *vitulas* vocat) erectione, ſic *decem tribus* (inter alia) allocutus fuerit ; ut ad eos in *Bethel* & *Dan proficiſcentes*, *Deum illic adorarent*. Unde, cùm Gentes aliæ, ſuis *Theraphim* qualemcunque Spiritum in genere adeſſe crederent, probabile eſt, quòd *Iſraë-*

(*f*) *Antiq. Lib. 8. c. 3. p. (mihi) 276.*

Iſraëlitæ illi claudicantes, ſpecialiter ſanctos Dei *Angelos* ſuis *Theraphim* præſentes fuiſſe, & reſponſa ex iis dediſſe prætenderint. *Theraphim* ergo Ethnicorum illorum, quibus *Iſraëlitæ* in exilio immixti ſunt, nequaquam includuntur in noſtro textu, (quà tales,) utpote quæ conjunctæ erant cum excluſione totali à fœdere Dei *Iſraëlis*, & cum ignoratione ejuſdem Dei, cumque plena abdicatione Legis *Moſaicæ*, quales *Theraphim* (ſic deſcriptas) *Iſraëlitæ* in ſua patria haud optârunt habere; (textus autem noſter, (ut jam (*s*) inſinuavimus,) de optatis & conſuetis eorum *Theraphim* ſonat;) ſed demùm pœnæ loco, juſto Dei judiciô eis evenit, in ſuî cum aliis † gentibus permixtione, illas (unà cum aliis idolis Gentium) habere; juxta Deut. 4. v. 27. 28. & cap. 28. v. 36. 64. Sic itaq; ex *Theraphim* apud *Ethnicos* & cum *Ethnica* Religione demùm habitis, nihil contra noſtram expoſitionem concludi poteſt. Porrò & hîc tenendum eſt, quòd jam ſupra (*t*) docuimus, *principalem* Spiritûs S. in vocibus noſtræ *Quæſtionis quartæ* intentionem eſſe, *my-*

(*s*) *Hôc §. pag. 465.* † *Intellige hoc de illis* gentibus, *quæ* Theraphim *uſum habuerunt: nam aliquæ gentes, nec* Theraphim, *nec aliorum* ſimulacrorum *humanorum uſum habuerunt, uti* Perſæ, *qui* Solem & Ignem *olim coluerunt.* (*t*) *§. II. h. cap. pag. 219.*

ſticum ac *ſpiritualem* ſenſum nobis inſinuare: qui quomodo in illicitis etiam *Theraphim* latuerit, jam (*u*) diximus.

CXIX. Ad verba autem Hoſeæ, (*v*) *Non fornicaberis*, (quaſi & illa ad *duas* tantùm *Tribus* pertinerent,) ſic reſpondeo & dico; quòd tametſi verba illa imperativè potiùs quàm propheticè ſunt intelligenda, uti etiam S. *Cyrillus* (*x*) exponit; attamen certô quodam ſenſû etiam propheticè vera ſunt, & eventus quoque ſic vera eſſe docuit. At ille eventus nîl noſtræ obeſt expoſitioni. Nimirùm, *fornicatio* ſpiritualis (uti & corporalis) eſt duplex: una in libertate hominis, & cum ejus prævia intentione, ſingulariq; delectatione & voluptate juncta: altera in captivitate ejuſdem ac ſub alienà poteſtate, & non ſine quadam animi interna diſplicentia, dum ſuam ſentit captivitatem & ſervitutem. (Sunt enim aliqui tam excœcati, ut nec in captivitate ſentiant verè ſe eſſe captivos.) In verbis allatis Spiritus Dei loquitur tantùm de *fornicatione* primi generis, quantùm ad proheticum ſenſum; quà nempe *Iſraëlitæ* ſub fœdere & paterna Dei providentia adhuc liberi in ſua patria exiſtentes, cum alienis gen-

(*u*) *S. CXVI. collat. CXV. b. cap, pag. 459. & 457.* (*v*) *Oſe. cap. 3. v. 3.* (*x*) *Comm. in Hoſ. 3. v 3.*

gentibus, cum *Sidoniis* (*y*) nimirùm, at præcipuè cum (*z*) *Assyriis* & *Ægyptiis* spiritualiter *fornicati* sunt, non solùm in quibusdam eorum idolis suæ religioni immixtis & cultis, sed & in moribus, luxu, fastu & potentia eorundem mundanâ concupitis & acceptatis. Vide loca in margine citata. De tali *fornicatione* loqui Spiritum Dei in verbis allegatis propheticè, patet ex proximè præcedenti capite 2. nostri *Hoseæ*, v. 5. 7. 8. 12. 13. 17. Illâ enim *fornicatione* nunc descriptâ, nequaquam deinceps potuit populus ille *fornicari* in sua captivitate, suoque exilio, quà Populus *Israëliticus* ab aliis distinctus, suîq; statûs conscius erat. At *fornicatione* illâ spirituali, quæ pœnæ loco ei evenit, omninò fornicatus est etiam in suo exilio; (ut & paulò antè (*a*) insinuavi;) quia & ipse talem pœnam meruit, ut justô Dei judiciô in reprobum sensum daretur, & Spiritus Dei merito ejus conformiter jam olim eandem pœnam per *Mosen* prædixit, locis paulò antè (*b*) citatis; scil. Deut. 4. v. 27. 28. & 28. v. 36. & 64. *Disperget* (inquit) vos *in omnes gentes*, - - - *ibique servie-*

(*y*) *3. Reg. 16. v. 31. 32. 33. & 4. Reg. 17. v. 16. & ibid. 21. v. 3.* (*z*) *Ezech. 16. v. 26. 28. 33. 36. & cap. 23. v. 5. 6. 7. 8. 22. 23. 27.* (*a*) *§. 118. b. cap. p. 467.* (*b*) *Ibid.*

tis Diis alienis, ligno & lapidi. Quomodo ad literam etiam hæc vera facta ſunt, de multis *Iſraëlitis*, aliis immixtis, eruditis notum eſt. De aliis etiam (v. g. de Chriſti interfectoribus,) ſenſû merè ſpirituali comminatio illa impleta eſt, dum *ligneos* & *lapideos* Doctores, (ſcil. *Rabbinos*,) pro veritatis ac pietatis Magiſtris habent & colunt, & figmenta eorum pro cœleſtibus dogmatibus venerantur; uti & ſupra (*c*) retulimus. Talis hîc diſtinctio *fornicationis* neceſſariò adhibenda erat, ut verba Dei utrinque, (ſcil. apud *Moſen* & *Hoſeam*) inter ſe rectè concilîarentur. Quâ adhibitâ, nihil prorsùs contra noſtram expoſitionem ex *Hoſea* objici poteſt.

CXX. Vaniſſimum etiam eſt, quod objicit Spencerus; (*d*) *vix unquam ſine Rege & Principe fuiſſe* Iſraëlitas *decem tribuum Ethnicis* immixtos. Falſum enim eſt, quòd unquam in illo ſuo ſtatu (tranſitionis nempe in alias Gentes) *Iſraëlitis* proprii ſui *Reges* & *Principes Iſraëlitici* (quà tales, ac pro talibus habiti) fuiſſent. At noſter textus tantùm de *Rege* & *Principe Iſraëlitico* loquitur, & quidem quantùm ad literam veteri *Iſraëliticæ* Religioni, ritibusque Moſaicis addicto. Quan-

(*c*) S. LXVIII. h. cap. p. 353. (*d*) S. CXVII. h. cap. pag. 462.

Quantùm ad myſterium autem, de quo & quali *Rege* ac *Principe* loquatur, in ſuperioribus (*e*) jam docuimus. Diximus & hoc (*f*) ſubinde, (ac ſuo loco (*g*) oſtendimus,) *myſticum* hîc potiſſimùm ſpectari ſenſum, qui necdum plenè & ex principali Spiritûs S. ſcopo eſt impletus; & de quo nihil prorsùs extat in allatis *Spenceri* verbis. Faceſſant ergô hinc inanes argutiæ.

CXXI. Huc uſque nos argumenti gravitas, in *Quæſtione quarta* enodanda detinuit. Atque ſic jam ex hactenùs dictis, cum attentione perceptis & conſideratis, ſatis patet, quid in noſtro textù, per *ſeſſionem ſine Rege, ſine Principe, ſine ſacrificio, ſine altari,* (vel *ſine ſtatua,*) *ſine Ephod* & *Theraphim* intelligatur. Nunc bono cum Deo ad ſequentem *Quæſtionem quintam* progrediamur.

(*e*) *§. 3. & 4. h. cap. pag.* 220. & 222. (*f*) *§.* 117. 181. *h. cap. pag.* 462. & 467. (*g*) § 2. *h. cap. p.* 219.

CAPUT VI.

In quo *QUÆSTIO QUINTA* (*de* converſione „*filiorum* Iſraël, *qualis nempe ea futura, & quibus* „*gradibus peragenda debebat ac debet eſſe,*) *expenditur ac deciditur. Eâdem occaſione ſpecialiùs etiam de* Judæis *vulgò* notiſſimis *quædam huc ſpectantia interſeruntur, ac demùm verorum* Iſraëlitarum (*ab ipſâ veteri* Iſraël *deſcendentium*) *verèque* Sanctorum ſigna *recenſentur.*

„ I. QUinta ſic ſonat *Quæſtio* : Qualis fu-
„ tura eſt hæc *reverſio* (ſeu *conver-*
„ *ſio*) *filiorum Iſraël*, & quibus gradibus per-
„ agenda ? Ad quam ſic reſpondeo.

II. Quod primum Quæſtionis membrũ
„ attinet; Qualis nempe futura eſt hæc †
„ *reverſio*, (ſeu, *converſio* ad Deum ;) ex an-
tecedentibus (*a*) facilè jam diſcere poſſu-
mus. Videlicet minimè hæc futura erat
quoad primos ſuos gradus in *Iſraëlitis* in
Veteri Teſt. diſperſis & per alias Nationes
quaſi abſorptis, ita ſenſibilis, ut ſtatim in
primis initiis ſuæ ad Fidem *Chriſtianam* con-
verſionis noſci potuiſſent, aut dehinc è
medio illorum convertendi, illicò digno-
ſci poſſent, quòd ſint ex *ſemine* antiquo
Iſraëlitico. Aliis enim ita *immixti* ſunt Na-
tionibus ſapientiſſimô Dei judiciô, (qua
de re jam ſupra (*b*) egimus,) ut non niſi
longô pòſt * tempore, quando prophetia-
rum altiſſima myſteria implenda ſunt,
(juxta Apoc. 10. v. 7.) vitæ ſuæ eximiâ
ſan-

† *Nota*; Reverſionem *hîc in Vulg. verſione*, *pro ipſa ad Deum* converſione *accipi*, *non eſt dubium eruditis* : *ut ex ſimilibus phraſibus patet*; *Deut.* 30. *v.* 2. 10. & 1. *Reg.* (*al.* 1. *Sam.*) 7. *v.* 3. & 4. *Reg.* 23. *v.* 25. *Item* 2. *Paralip.* 6. *v.* 38. & 24. *v.* 19. & 30. *v.* 6. (*a*) *Cap.* 3. *§.* 32. 34. 35. & *ſeq. pag.* 98. 102. 104. & *ſeq.* (*b*) *Cap.* 3. *§. XX.* & *ſequ. pag.* 67. & *ſequ.* * Longum *hoc* tempus *numerandum hîc eſt à tempore* immixtionis.

ſanctitate, doctrinæque puritate dignoſcantur eſſe è ſemine *Iſraëlitico* : ut ſtatim (*c*) diſtinctiùs etiam & pleniùs *ſigna* dignoſcendi veri *Iſraëlis* recenſebimus. Atque hinc ſequitur tenendum ; quòd, quemadmodùm hactenùs latentes in medio *Chriſtianorum* aliqui ex ſemine *Iſraëlis*, primitùs in ſuis majoribus ſub forma *Gentilium* ſunt ad Fidem converſi *Chriſtianam*; ita etiam in medio *Turcarum* & *Tartarorum* aliorumque *Muhammedanorum*, nec non in *Chinenſium*, *Indorum*, ac ſimilium civili ſocietate occultati *Iſraëlitæ*, ſub illa ipſa earundem Nationum formà & ſtatu accedent priùs (unà cum aliis multis *Gentilibus*) ad Eccleſiam ; demùm verò ubi tempus manifeſtandi Regni *Iſraëlis* aderit, Sanctis & electis Dei ab ipſo Deo manifeſtabuntur. Si quis hoc modô futuram non expectat iſto tempore *Iſraëlitarum* veterum converſionem & manifeſtationem, ille nunquam ſecùs eam videbit, ac per conſequens neque etiam *felicitate* Eccleſiæ *Iſraëliticæ* (& *Catholicæ*,) cum ſuæ ſententiæ in contrarium diverſitate pertinaciter tenenda, fruetur. Nuſpiam enim apparet in Mundo viſibiliter & noſcibiliter vetus *Iſraël*, (de quo loquimur) tanquam diſtinctus ab aliis populus ; ſed populis aliis eſt immixtus ; ut ſupra (*d*)

(*c*) *S. VI. & VII. hoc cap.*

(*d*) fusè docuimus. Attamen luce meridianâ clarius est è Scripturis, (uti & hoc jam antehac (*e*) monstravimus,) *Israëlem* hunc non periisse, sed Regnum posteris ejus reservari. Manifestabit ergo procul dubio posteros illos Deus, ubi aderit tempus implendarum promissionum, veteri *Israëli* factarum de *Ecclesia* illustri & florentissima è semine ejus colligenda & exaltanda. Porrò observemus hîc istud etiam de *conversione* dictorum *Israëlitarum* in medio *Christianismi* jàm latentium, quòd in medio etiam Populi *Christiani* (in quo, ut est notum, ingens passim iniquitas regnat,) longè plenior & evidentior adhuc eorundem ad Deum *conversio* requiritur, quàm nunc est: (quod & supra cap. 3. §. 32. 74. & cap. 5. §. 5. jam insinuavimus:) scil. requiritur, ut abjectâ omni iniquitate, omni odio mutuo, omníque contentione in invicem virulentâ, Deo vivant, ipsumque Deum & proximum sincerè & sanctè diligant. Atque tunc fiet illud in sua plenitudine, quod in nostro textu prædictum est: *Et -- revertentur*, seu *convertentur filii Israël.* &c.

III. Quod attinet *Israëlitas* in Novo Testamento dispersos, specialiùs *Judæos* dictos,

(*d*) *Cap.* 3. §. 28. 30. & *sequ. pag.* 85. 91. & *sequ.* (*e*) *Cit. cap.* 3. §. 28. *p.* 85. & *seq.*

ctos, atque maximâ ſuî parte in certis ac diſtinctis cœtibus conſpicuos; *An & hi cum „ aliis miſcebuntur Nationibus, priùs quàm eorum „ poſteri verè & plenè ad Chriſtum convertantur?* nondum habemus, præſertim ante tempus, quod aſſeveranter & certò de illis hac in *quæſtione* ſtatuere poſſimus. Si tamen hîc conjecturæ, ex conſideratione ſtatûs vetuſtiorum (in diſperſione) *Iſraëlitarum* non temerariæ locus eſt; dicimus etiam hos cum tempore ac ſucceſſivè per partes, aliis populis inter quos vivunt, maximè *Chriſtianis*, per externam quandam acceptationem Religionis eorum intermiſcendos eſſe,& priùs convertendos utcunque ad *Chriſtum*, (externâ nempe profeſſione, quantùm ad nationalem converſionem,) quàm poſteros eorum ad promiſſam in his terris *Eccleſiæ felicitatem* Deus perducat. Hoc enim maximè congruit ſapientiæ Divinæ, attentô ordine providentiæ, quem hactenùs in *Eccleſia* ſua exaltanda & lætificanda obſervavit, ut patiantur priùs medios inter *Chriſtianos*, & eorum infantia (ſeu tenerior ætas) variis modis in *Eccleſia* exerceatur, antequam & ipſi, vel potiùs ipſorum poſteri,promiſſam in *Eccleſia Catholica felicitatem* conſequerentur. (Valet & hîc illud, Act. 14. v. 21. (al. 22.) *Per multas*

tas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. Ubi *regnum Dei*, non solùm supernam significat beatitudinem, sed & *regnum Dei* in *Ecclesia* militante in terris; quod hostium ejus debellationem & conculcationem secum fert; quale vel maximè ultimo tempore erit, in florentissimo *Ecclesiæ* statu.)

IV. Sed dices fortè: Atqui, si *Ecclesia Christiana* felicitate sibi promissâ jam tùnc gaudebit, (occasione scilicet aliquorum, vel etiam multorum *Israëlitarum* occultorum per plenam conversionem manifestandorum,) cùm illi (scil. *Judæi* noti) *Christianis* externâ Fidei professione se se adjungent & immiscebunt, videtur fieri non posse, ut simul & ipsi cum *Ecclesia* feliciter non vivant? Resp. Si *Ecclesia* Christiana, latissimè considerata, ratione omnium suarum partium per Orbem terrarum dispersarum, simul eodemque tempore consequeretur *felicitatem* illam ultimis temporibus promissam, (quam non umbratilem & transitoriam, sed solidam & principaliter in *bonis spiritualibus* consistentem intelligimus,) sic posset objectio illa locum aliquem hìc habere. At quia *Ecclesia* Dei (dicto sensû latissimo considerata) per partes & succeßivè erit compos illius *felicitatis*; ut, omni procul dubio, pars illa *Ecclesiæ*,

quæ

quæ (*f*) *unica* Chriſti *columba* dicitur, priùs participatura ſit de illa *felicitate*, (& quidem ſtatui graduique ſuo conformiter,) quàm aliæ ejus partes, quæ (*g*) *concubinis*, vel *adoleſcentulis*, (vel etiam, quæ *ſexaginta* (*h*) *reginis*) in figura comparantur; ideò locum ea objectio hîc non habet. Partem autem illam peculiarem & celſiorem, eandem eſſe cenſeo cum illa, quæ ſub *Mulieris* glorioſæ typo proponitur nobis in Apocalypſi, c. 12. & cui *locus paratus* erit à Deo, quò *fugiat* (tempore preſſuræ magnæ) *à facie ſerpentis*. Cujus *felicitas* in *loco* illo ſuî receptûs, hæc præcipuè tunc erit; quòd contra omnes technas & inſidias *Serpentis* illius *antiqui*, in dies plus & plus in vera ſanctitate, Deique cultu, & myſteriorum verbi Dei intelligentia proficiet. Eſto ſanè, quòd ad tempus aliquod, *Judæi* illi, de quibus loquimur, dum externâ profeſſione Fidem *Chriſti* amplectentur, guſtum aliquem initiorum *felicitatis* illius promiſſæ habituri ſint, unà cum aliis multis *Chriſtianis*; (uti etiam *Antichriſtus* † magnus ex initiis illius *felicitatis* ſumet ſibi occaſionem ad altiora aſpirandi, atque in dies ſe ſuperbâ erigendi contra *Sanctos* Dei;) non tamen inde

(*f*) *Cantic.* 6. *v.* 8. (*g*) *Ibid. v.* 7. (*h*) *Ibid.* † *Vide* Clavem *meam* Prophet. *p.* 267. 341. 386. & 388.

inde ſequitur, quòd intimæ & ſolidæ Sanctorum *felicitatis* pro illo adhuc tempore participes futuri eſſent. Non enim ſtatim in numero & gradu *Sanctorum* illorum (per varias tribulationes præcedentes excoctorum vel excoquendorum) futuri ſunt, qui jure gratiæ ipſis collatæ vel conferendæ alios præcedere debent in participatione illius *felicitatis*. Et ſanè id videtur ſapientiſſimæ Dei gubernationi congruentiſſimum, ut ex tanta blaſphemia in *Christum*, in qua medios etiam inter *Christianos*, à tot ſeculorum decurſu in hunc uſque diem pertinaciſſimè ſe obdurant, ne permittat illis, unicô veluti ſaltu & immediatè tranſilire ad illud felix Eccleſiæ regnum, quod ultimis temporibus eſt reſervatum; ſed priùs in medio *Christianorum* ab altiori & ſanctiori membrorum Eccleſiæ gradu remotiorum, erudiat eos, & per varia tentamina exerceat, (ut qui hactenùs in Diaboli & Mundi fornace conſtituti non potuerunt ſibi perſuadere, ſe in ſpiritualibus eſſe miſerrimos, & horrendâ Diaboli captivitate oppreſſos,) antequam poſteri eorum jucundâ *felicitate* donarentur. Jam notavi etiam ſupra, (*i*) quòd *Judæi* illi (majori ſuî parte,) ſub prima nationalis ſuæ con-

(*i*) *Cap.* 3. *S*, *LXXV. pag.* 197.

converſionis initia, ex nominalibus, ſegnioribus, & frigidioribus *Chriſtianis* erunt: eò quòd tantùm externâ quâdam *felicitate Chriſtianorum* movebuntur (majori nempe ſuî parte) ad amplectendam profeſſionem Fidei *Chriſti*; ideóque tales ad tempus aliquod *Antichriſti* præda erunt. Póſt *Antichriſti* autem ruinam, ſequetur & illorum ſincerior, plenior, lætior & glorioſior converſio, unà cum ſolida participatione *bonorum* ultimi temporis, juxta prophetiam in textu noſtro (v. 5.) extantem.

V. Quod alterum *Quæſtionis* membrum attinet; (quibus nempe *gradibus* peragenda „ eſt hæc converſio?) jam & de hoc ex iis, quæ ſupra occaſione *Primæ Quæſtionis* §. VI. cap. 2. (p. 27.) diximus, parata peti poteſt reſponſio. Videlicet illi priùs perventuri ſunt ad Fidem & ad Eccleſiæ *felicitatem*, qui adhuc in Vet. Teſt. ducti erant in captivitatem, aliisque populis ſunt immixti; deinde ſequentur illi, qui in Novo Teſtam. *Chriſtum* abnegârunt & interfecerunt. De primis, novimus jam (*k*) ex hactenùs dictis, multos eorum ſub habitu & forma aliarum Nationum perveniſſe dudum ad externam Fidei *Chriſtianæ* profeſſionem, medios inter *Gothos, Thraces, Græcos, Hunnos, Hun-*

(*k*) *Supra cap* 3. §. 34. 35. *pag.* 101. 104. & 105.

Hungaros, *Alanos*, *Sclavos*, *Bulgaros*, *Wandalos*, *Longobardos*, *Sarmatas*; &c. Ceteri eorundem tunc perventuri sunt, cùm Nationes illæ, (uti sunt *Muhammedanæ*, aliæque,) quibus præter dictos populos sunt immixti, convertentur ad Christum: quod etiam ex superioribus † jam patet. Ex iis, qui ignoti adhuc, jam Fidem Christi inter alios profitentur, eò priùs pars quædam manifestabitur esse (utroque sensû) verus *Israël*, quò plùs in diversarum & atrocissimarum fornace afflictionum præ aliis excoquitur & excoquetur. Vide & excute Isa. 60. v. 14. 15. collat. ibid. v. 1. & cap. 54. v. 11. 12. 13. & 61. v. 1. 2. 3. 4. 5. Nullam tamen per se ex meris suis afflictionibus solidam de suo statu (quòd sunt verus *Israël*,) possunt percipere consolationem, qui sic præ aliis maximè affliguntur, nisi postquam sub afflictionum onere verè ad Deum elevaverint oculos, & per veram ad eum suî *conversionem*, sanctiùs præ aliis, qui ita non affliguntur, incipient vivere. Id enim etiam in nostro textu insinuatur, verbô *revertendi* seu *convertendi*, & *quærendi Dominum*. Confer Deut. 30. v. 1. 2. 3. 4. Postquam maximè afflictam populi sui partem Deus consolabitur, inde cum tempore ad alios

† *Cap. 8. §. 32. 85. pag. 97. & 106.*

alios etiam electos eadem consolatio transibit.

VI. Quia verò nunc proximè diximus, non aliter, quàm ex vita sanctiori, posse occultos & afflictos *Israëlitas* Christianis immixtos solidam de suî statu percipere consolationem, ac etiam in superioribus (*l*) subinde insinuavimus, ex singulari quadam vitæ *sanctitate* dignoscendos esse demùm ab aliis *Israëlitas* illos, de quibus loquimur; ideò jam locus & opportunitas requirit, ut toties antehac promissa dignoscendorum illorum *signa* hîc sub *Quæstione quinta*, congruæ appendicis locô, punctatim in medium proferamus. *Signa* autem illa (præcipua saltèm) hæc sunt: (1.) Veri *Israëlitæ*, (de quibus nunc est sermo,) singularia præ aliis veræ *resipiscentiæ* specimina edituri sunt: agnoscent nempe seriò suos defectus, suas miserias spirituales, & ex corde lugebunt super iis, pugnabuntque assiduè contra illas; ac ideò (juxta posse suum) se à mundi vanitatibus, gaudiis perituris & oblectamentis abstrahunt & abstrahent, sed sobriè & temperanter viventes, in sancta *humilitate*, orationibus (pro misericordia Divina sibi & Populo

(*l*) *Vid.* Cap. 3. Qu. 2. §. 32. *sq.* 62, 63. *pag.* 99, 167. 173. 176. 177. & 178.

Dei impetranda) aliisque pietatis operibus, ſunt & erunt addictiſſimi. Hoc ſignum in noſtro quoque textu inſinuatur, verbô *revertendi* ſeu *convertendi*. Confer hîc Deut. 30. v. 1. 2. 8. & Ezech. 20. v. 43. & 36. v. 31. & Jerem. 31. v. 9. *In fletu venient.* Hi ſunt & erunt *dolentes* illi *ſuper cunctis abominationibus* Populi Dei, de quibus extat prædictio apud *Ezechielem* cap. 9. v. 4. Hinc (2.) alterum *ſignum* cognatum ſubſequitur, quòd verorum *Iſraëlitarum* omnis intentio ac delectatio, omneque ſtudium principaliter circa Divina erit: ut nempe *Dei* gloriam & S. *Eccleſiæ* bonum (unà cum animarum ſuarum ſalute) operari & promovere queant; quorum reſpectû Mundus ipſis cum ſuo *faſtu* & omni vanitate prorsùs amareſcet. Vide Jerem. 50. v. 4. 5. *In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus; venient filii Iſraël, ipſi & filii Juda ſimul; ambulantes & FLENTES properabunt, & Dominum Deum ſuum quærent*; (ut & in textu noſtro habetur;) *in SION interrogabunt viam, huc FACIES eorum* erit. Non ergo hi mundana & peritura, ſed ſpiritualia & æterna bona quærent primariò in omnibus ſuis actionibus & intentionibus, juxta illud: (m) *Quærite PRIMUM regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc*

(m) *Matth. 6. v. 33.*

hæc omnia adjicientur vobis. (3.) Quia verò ſic, ut jam dictum, rebus *Divinis* erunt addictiſſimi; ex eo ſequitur, quòd etiam erunt in comparatione aliorum *exercitatiſſimi & illuminatiſſimi* in rebus *cœleſtibus*; juxta Iſa. 60. v. 1. *Surge, illuminare,* (Jeruſalem,) *quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.* (collat. ibid. v. 2. & 3.)

VII. (4.) Veri *Iſraëlitæ* acerrimi erunt omnis *iniquitatis* omnisque *fraudis* oſores, & ex adverſo omnis *juſtitiæ* cultores amantiſſimi, ejuſdemque promotores ſtrenuiſſimi. Sic implebitur illud *Sophoniæ*, jam & antehac (*n*) à nobis citatum: (*o*) *Reliquiæ Iſraël non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua doloſa.* Conf. hîc Jer. 50. v. 20. Ezech. 36. v. 26. 27. Iſa. 32. v. 1. 5. 8. & cap. 60. v. 21. *Populus tuus omnes juſti.* &c. Opponet nempe hos Deus (*p*) *iniquitati* potenter graſſanti in Mundo, ut per eos unicuique jus ſuum tribuatur, ut inter *dignos* & *indignos* recta diſtinctio habeatur, & omne *juſtum, verum* & *bonum* latiores ac latiores in dies progreſſus faciat; & unô verbô, ut vera vitæ & morum *reformatio* in populo Chriſtiano ſequatur. Vide Pſal. 84. (al. 85.) v. 11. 12. 13. 14. Atque

(*n*) 32. 60. *cap.* 3. *pag.* 99. 169. (*o*) *Soph.* 3. *v.* 13. (*p*) *De hac vide Matth.* 24. *v.* 12.

que hi ſunt & erunt, qui cum dolore ſentiunt pernicioſa in Mundo *ſcandala*, juxta illud S. *Auguſtini* dictum: (q) *Multa mala ſunt in iſto ſeculo, intùs, foris, prorsùs non ceſſant; abundant SCANDALA; NEMO ILLA SENTIT, NISI QUI GRADITUR VIAM DEI.* Unde etiam nihil magis in votis habebunt, quàm ut *ſcandala* illa prorsùs tollantur; juxta Matth. 13. v. 41. collat. Iſa. 57. v. 14. & 62. v. 10. (5.) Veri *Iſraëlitæ* in ſuî manifeſtatione, ſinceram, laborioſam, & indeficientem habebunt *charitatem* erga alios, ac inprimis erga ſe invicem. Quia enim *Deo* & *juſtitiæ* (juxta proximè dicta) erunt addictiſſimi, ideò etiam proximos ſuos ſincerè amabunt. Dei enim & proximi (r) amor ſunt ſibi neceſſariò connexa. Unde fiet, ut ubicunque & quantumcunque ſint hi diſſiti ab invicem, ſe ſe tamen in dies magis atq; magis ex operibus noſcent, quòd (ſ) *unum cor*, unamq; mentem habeant in Domino, ac ideò velut magneticâ quâdam vi ſanctæ *charitatis*, magis & magis ſibi appropinquabunt, donec arctiſſimè inter ſe *uniantur*. Atque ex eo, aliorum etiam plurimorum in Populo *Chriſtiano* contentiones virulentiſſimas, ſummoperè deteſtabuntur, (imò

(q) *Enarr. in Pſal. 91. ſub initium.* (r) *Vide 1. Joan. 4. v. 20. 21.* (ſ) *Juxt. Act. 4. v. 32.*

(imò jam etiam aliqui eorum, tametſi de ſua origine adhuc occulti, ut credere par eſt, deteſtantur,) nec quieſcent, donec turbæ variæ & atrocia de Fide diſſidia conquieſcant, & ſanctam inter ſe *Chriſtiani* (inprimis aliquô Dei timore tacti) colant *pacem* & *unitatem*. Hoc ſignum perſpicuè patet ex Ezech. 37. v. 7. *Et acceſſerunt oſſa ad oſſa*, &c. attentô myſticô verborum illorum ſenſû, qui videri poteſt (*s*) in ſuperioribus. Et ibid. ex v. 16. 17. *Adjunge illa* (nempe *ligna Judæ & filiorum Iſraël,*) *unum ad alterum tibi in lignum unum; & erunt in UNIONEM in manu tua.* Cujus figuræ myſterium vide ibid. v. 21. 22. 24. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aſſumam filios Iſraël &c. & Paſtor unus erit omnium eorum.* Confer Ezech. 34. v. 12. 13. & Jerem. 31. v. 10. *Qui diſperſit Iſraël, CONGREGABIT eum.* Item Iſa. 27. v. 12. *Et vos CONGREGABIMINI unus & unus* (ſeu ſigillatim) *filii Iſraël.* Scil. paulatim quidem & per paucos ſucceſſivè fiet, *congregabuntur* tamen in *unum* ſic paulatim, hoc eſt, in *unitatem fidei.* Typi etiam huc ſpectantes, ſcil. (*t*) *Ephod*, ac *Cherubim* (*u*) ſupra explicatorum, ut & *animalium* (*v*) Ezechielis,

(*s*) *Ad quæſt. 2. cap. 3. §. XLV. pag. 133.* (*t*) *Cap. 5. §. 45. 49. pag. 310. 318.* (*u*) *§. 88. 89. Cap. 5. pag. 399. 401.* (*v*) *Cit. cap. 5. §. 105. 106. 110. p. 427. 441. 448.*

id ipsũ monſtrant. Conf. hîc Pſ. 36. (al. 37.) v. 11. & 84. (al. 85.) v. 11. Iſa. 66. v. 18. (6.) Veri *Iſraelitæ*, (de quibus loquimur,) ſingulari præ aliis *ardore* ferentur in Dei honorẽ & gloriam, in Eccleſiæ Catholicæ bonum, inq; omne æquum & juſtum modis omnibus licitis promovendum, contra omnes veritatis, pietatis & juſtitiæ hoſtes vel contemptores. Vide Zach. 12. v. 6. *In die illa, ponam Duces Juda ſicut CAMINUM IGNIS in lignis, & ſicut facem IGNIS in fœno; & devorabunt ad dextram, & ad ſiniſtram omnes populos in circuitu.* Confer Mich. 4. v. 13. & 5. v. 8. 9. *Et erunt reliquiæ Jacob in Gentibus in medio populorum multorum, quaſi LEO in jumentis ſylvarum.* &c. Adde Pſal. 149. v. 2. 6. 7. 8. 9. Fiet nempe, ut Deus planè admiranda & quodam modô extraordinaria faciat tunc in cauſa eorum; juxta Pſal. 125. (al. 126.) v. 2. 3.

VIII. Hæc enumerata *ſigna* junctim in *Iſraëlitis* latentibus in populo Chriſtiano, efficient inſignem illam eorum *ſanctitatem*, de qua ſubinde in ſuperioribus (*x*) meminimus; quòd nimirum ex ea cognoſcentur in dies certò certiùs eſſe ex *fonte* & ſemine veteris *Iſraëlis*. Quæ tamen non ita hîc accipienda ſunt, quaſi in aliorum populo-

(*x*) *Cap. 3. 5. 32. 59. 62. 63. pag. 99. 167. 173. 176.*

pulorum electis ultimo tempore *signa* illa nullô modô sic accumulata reperirentur; sed quòd pleniori mensurâ, & excellentiori in gradû (uti & supra (*y*) verbis aliis insinuavi,) in *Israëlitis* reperientur; & hoc quidem ad infallibilem eorum manifestationem, & ab aliis populis distinctionem. Successivè demùm, aliorum etiam populorum electi, ad exemplum & imitationem dictorum *Israëlitarum*, plùs & plùs in dies in *sanctitate* proficient, donec ad perfectionem & culmen ejus perveniant. (De hoc etiam insinuavimus jam aliquid (*z*) in superioribus.)

IX. Porrò ubi quispiam ex enumeratis *signis* cognoscet se esse origine antiquâ *Israëlitam* in genere; deinde successû temporum, ex gratiæ mensura, quam in dies pleniorem ac pleniorem habebit, atque ex suis in Dei gloriam occupationibus, collatis cum intelligentia mysteriorum prophetiæ dè duodecim *Tribubus* (*a*) per *Jacob*, Patriarcham, & maxima † ex parte per (*b*) *Mosen* etiam factæ, incipiet paulatim intelligere, cujus *Tribûs* (præ aliis) mysteria uberiùs

 in

(*y*) *Cap.* 3. *S.* 63. & 77. *pag.* 175. 176. & 202. (*collat. S.* 47. *pag.* 140.) (*z*) *Cap.* 3. *SS.* & *pag. cit.* (*a*) *Gen.* 49. † *Hoc ideo pono, quia* Simeon *Deut.* 33. *omittitur.* (*b*) *Deut.* 33. *v.* 1. 6. 7. & *seq.*

in se exprimantur, ut sic in mysterio ad eam se (ut origine antiquâ *Israëlitam*) pertinere, certò sibi cum tempore persuasum habeat. Scire verò penitiùs etiam ad literam, ex qua quis sit *tribu*, & per quos qualesve parentes descenderit, non existimo adeò necessarium esse ante illud tempus, quô Dominus Salvator in judicio * extremo,(*c*) omnia occulta & obscura gradatim & successivè revelabit. Ad novum *Israëlem* (*ex fonte* (*d*) veteris *Israëlis* ortum,) ultimis temporibus erigendum, sufficit(ex principali Spiritûs S. scopo) ad bonum & decus totius Ecclesiæ, si in eo, & ejus partibus, mysteria prophetiarum de dictis *Israëlis tribubus* exactissimè impleantur. Tunc jam sanè hæc pars occulti nunc *Israël* rectissimè poterit dici *Juda*, (ex principali Spiritûs S. scopo,) altera *Levi*, tertia, alia *Tribus*, & sic consequenter. Hæc occasione solutæ *Quæstionis quintæ* opportunè hîc adjungenda erant. Ad ultimam nunc jam progrediamur *Quæstionem*.

CA-

* *De latitudine* Judicii *futuri*, *vide* Clavem Prophet. *Class.* 2. *c.* 10. & 11. (*c*) *Juxta* 1. *Cor.* 4. *v.* 5. (*d*) *Juxta Psal.* 67. (*al.* 68.) *v.* 27.

CAPUT VII.

In quo *QUÆSTIO SEXTA expenditur*, *& docetur*, *Quid per* Quæſitionem Domini Dei, *quid per* Quæſitionem David Regis, *quid per* τὸ pavere ad Dominum; *quid item per* bonum Domini, *& quid per* noviſſimum dierum *intelligatur*?

„ I. SExta hæc fuit *Quæſtio*: Quid hîc in„ telligitur per *Quæſitionem Domini Dei*, „ & *Regis David*; quid per hoc, quòd *pave*„ *bunt ad Dominum*; quid item per *bonum Do*„ *mini*, (ad quod etiam *pavidi accedent*;) & „ quid per *noviſſimum dierum*? Ad quam juxta diverſa ejus membra, ſic reſpondeo. (1.) Ratione primi membri; *Quærere Dominum*, (ſeu, *Adonai*, Hebr. יהוה,) amplius quippiam ſignificat, quàm *converti* (ſeu *reverti*) verè ad *Dominum*, ſive *Jehovam*, & poſt priora peccata, prioresque errores, meliùs vivere quàm antea, meliùsque ſentire. Hoc ultrò patet ex tam perſpicua hujus & illius in noſtro textu diſtinctione. Sic enim ait Propheta: *Poſt hæc revertentur* (ſeu *convertentur*) *filii Iſraël*, *& QUÆRENT DOMINUM DEUM SUUM*,&c. Primùm ergo *convertentur* à variis peccatis & erroribus ſuis; (quod unicuique ad ſalutem ſuam conſequendam ſemper fuit neceſſarium;) deinde verò continuando &

augendo actus suæ conversionis, *Quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum*. Unde, *quærere Dominum*, non est hîc tantùm hoc, ut eum externè more communiori colamus, vel operam demus, ut sic colendo magis & magis eum & ejus *vias* cognoscamus; uti illi, de quibus agit *Isaias*, cap. 58. v. 2. Videlicet, *quæsitio* alicujus rei vel personæ supponit, rem illam vel personam priùs quuôdam modô amissam fuisse. Sic *ovis* (*a*) quæsita à Pastore, & *drachma* (*b*) à muliere post *quæsitionem inventa*, priùs fuerat amissa. Sic etiam *Jesum* Dominum *duodecennem* (*c*) amiserant tunc humanitùs ad tempus parentes ejus, quando nescientes eum remansisse in Jerusalem, *quæsiverunt* eum in itinere *inter cognatos & notos*. Ita etiam, dum *Dominum* Deum dicuntur *quærere* homines, vel, dum jubetur eis, ut *quærant Dominum*, supponitur implicitè, Deum quôdã modô ab iis *amissum* priùs fuisse; scil. quoad favorem, & benignitatis suæ jucundum sensum, quatenùs nempe gratiosam & hilarem suam faciem abscondit ab eis, & in inimicum se vertit iisdem. Hoc modô possunt aliqui jam quidem *conversi* esse ad Deum, jam lugere ex corde de peccatis

(*a*) *Matth. 18. v. 12. 13. & Luc. 15. v. 4.* (*b*) *Ibid. v. 8.*
(*c*) *Luc. 2. v. 43. usque ad 48.*

catis & erratis suis, jamque seriò & sincerè dare operam, ut sanctam agant vitam; non tamen sequitur, ut statim sentiant jucundo cum sensu Dei erga se in internis & externis favorem, optatissimamque praesentiam & assistentiam. Hinc dicit S. *Job*, (tametsi verè ad Deum conversus,) *Clamo (d) ad te, & non exaudis me.* Item: * *Mutatus es mihi in crudelem.* Et: † *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me in inimicum tuum?* Hinc etiam S. *David* ait: (e) *Usquequò Domine oblivisceris me in finem? Usquequò avertis faciem tuam à me?* Confer Psal. 10. (juxta Hebr.) v. 1. & Psal. 43. (al. 44.) v. 23. 24. 25. & Cant. 3. v. 1. 2. *Quaesivi illum, & non inveni*, (scil. ad tempus.) Sic nimirum placet Deo, à suis etiam Sanctis abscondere ad tempus suam faciem, & exhilarantem assistentiam eis subtrahere, atque eos hoc modô probare & durè exercere, ut tantô ardentiùs *quaerant* eum, & tantò pleniùs demùm cum omni sua benignitate & jucunditate inveniant. Alios autem, scil. segniores fideles, & tenuiter tantùm adhuc conversos, propter praecedentia ipsorum peccata punit & castigat suae *faciei (f)* ab illis aversione, ut discant, omnem

(d) *Job.* 30. *v.* 20. * *Ibid. v.* 21. † Job. 13. *v.* 24. (e) *Psal.* 12. (*al.* 13.) *v.* 1. (f) *Vide Ezech.* 39. *v.* 23. 24.

mnem teporem & torporem animo ſuo excutere, & ardentiſſimè deinceps eum colere, & colendo, eum ejusque juſtitiam (g) *quærere*, donec cum jucundo benignitatis ſuæ ſenſu inveniatur. (Ab impiis verò, quàm diu tales manent, quantopere ſe ſoleat Deus (h) avertere, non eſt, ut de eo hîc quippiam dicatur. De *converſis* enim, vel certò *convertendis* hîc loquimur.) Hæc ſatis oſtendunt, non eſſe mirum, quòd *τὸ converti* ad Dominum, & *quærere Dominum*, ab invicem in noſtro textu diſtinguantur.

II. Itaque in noſtro textu, (ut ad propoſitum redeam,) per *τὸ quærere Dominum Deum*, intelligitur hoc; videlicet, omnem animæ piam in precibus & lamentis aſſiduis, omnique ſtudio & opere bono, ita adhibere ſollicitudinem, ut poſſint (illi de quibus loquimur,) inter tot Mundi hujus mala, *Dominum* (ut *Adonai*) verè demùm ſentire *ſuum* eſſe *Deum* miſericordem, ſuum Patrem benignum, ſuumque Conſolatorem tum in internis bonis & donis, tum in externa benedictione & liberatione ab adverſis ipſos prementibus. Locum hîc habebit iterum (& quidem in pleniori, quàm olim

(g) *Juxta Hoſ.* 5. *v.* 15. *collat. ibid.* c. 6. *v.* 1. (h) *Vid. Mich.* 3. *v.* 4. *Ezech.* 8. *v.* 18. & *Prov.* 1. *v.* 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30.

olim ſenſu) illud , Jerem. 29. v. 13. 14. *Quæretis me , & invenietis , cùm quæſieritis me in toto corde veſtro. Et inveniar à vobis , dicit Dominus.* &c. Rectè hîc adjungitur : *Cùm quæſieritis me in TOTO CORDE veſtro.* Implicitè enim inſinuatur verbis illis, quòd tempore proximè imminentis *Reſtitutionis Iſraël* ipſe Deus per multas tribulationes efficiet in electis *Iſrilëlitarum* , ut non frigidè vel tepidè , non utcunque & ſuperficialiter, (ob ſuam tantùm *ſcientiam* , ut illi,de quibus eſt ſermo , Iſa. 58. v. 2.) ſed *totô corde* quærant ipſum. Confer hîc Deut. 4. v. 29. 30. Tales ſine dubio etiam *tempus* gratiæ inter tot mundi adverſa ſibi oblatæ obſervabunt , juxta Iſa. 55. v. 6. *Quærite Dominum , dum inveniri poteſt ; invocate eum , dum propè eſt.* Huc facit & illud Soph. 2. v. 3. *Quærite Dominum omnes manſueti terræ , - - ſi quomodo abſcondamini in die furoris Domini.* (Confer hîc Zach. 8. v. 21. 22. & Amos 5. v. 6.) Poſt *Davidis* perſonam , in tales poſſumus applicare etiam illud : *Faciem tuam Domine requiram* : *Ne avertas faciem tuam à me.* &c. Pſal. 26. (al. 27.) v. 8. 9. Adjunge hîc Pſal. 23. (al. 24.) v. 6. & 68. (al. 69.) v. 33. & Pſal. 104. (al. 105.) v. 3. 4. *Lætetur cor quærentium Dominum.* &c. & 2. Paral. 15. v. 4. Dum ſic juxta prophetiam *quærent Dominum Deum*, ut ſuum

Con-

Consolatorem, suumque Liberatorem, simuul & hoc *quærent* atque petent ardentissimis precibus à Deo; ut eum intra ipsos habitantem jucundissimo cum gustu sentiant, ut qui olim promisit se (i) *habitaturum* in ipsis; (uti rectè S. Apostolus sensum phraseos Hebraicæ expressit verbis istis: (k) *Inhabitabo in illis:*) hoc est, suâ ipsos gratiosâ præsentiâ (*Schechina* Hebræis dictâ) totos in anima & corpore impleturum, sicque eum suâ hâc præsentiâ optatissimâ & omni gaudio plenissimâ futurum ipsorum (l) *Deum*, ne deinceps ullam vel minimam partem minimumq; locum *Diabolus* in iis habeat. Hoc non obscurè insinuatur in verbis *Azariæ*, sic prophericè (ac *Hoseæ* nostro conformiter) futurum *Israëlitarum* statum proponentis: (m) *Transibunt multi dies in Israël ABSQUE DEO VERO*, (hoc est, absque sensu, quòd *Deus* sit verissimus in suis promissis,) *& absque Sacerdote Doctore, & absque Lege: Cùmque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israël, & QUÆSIERINT eum, reperient eum.* Insinuatur hîc, quòd Deum *Israëlitæ* ultimis tem-

(i) *Lev. 26. v. 11. Ezech. 37. v. 27. & Zach. 2. v. 10. 11. (al. v. 14. 15.)* (k) *2. Cor. 6. v. 16.* (l) *Juxta cit. Lev. 26. v. 11. 12. Ezech. 37. v. 27. collat. 2. Cor. 6. v. 16.* (m) *2. Paral. 15. v. 3. 4.*

temporibus *quærent* ut *Deum veritatis* in effectibus, ſuorumque promiſſorum actualem impletorem, talemque eum poſt diligentem & ardentem *quæſitionem* invenient. Tunc demùm ſine ulla hæſitatione, ipſo experimentô pleniſſimè & certiſſimè cognoſcent, ſe eſſe è populo illo peculiari, cui Deus olim tot promiſſa ſpecialia dedit. (Hæc *quæſitio Domini Dei* unà cum *quæſitione David Regis*, (de qua etiam ſtatim dicemus,) principalis pars & ſumma perfectio eſt atque erit *ſecundi ſigni* dignoſcendorum *Iſraëlitarum* ſupra (*n*) poſiti.)

III. (2.) Quod alterum attinet membrum, de *quæſitione David Regis ſui*: in phraſi illa, *Quærent Davidem Regem ſuum*, ſupponitur quidem & hoc, quòd *Iſraëlitæ* nondum Fidem Chriſti profitentes, dabunt ſuo tempore operam, ut *Chriſtum* noſtrum, (utpote *Davidis* filium) inſtar aliorum quorumlibet Chriſtianorum, pro ſuo *Rege*, pro ſuo Capite & Salvatore habeant; ſed hoc per ſe non ſufficit; verùm amplius adhuc quippiam requiritur ad ſcopum phraſeos hujus propheticæ plenè exhauriendum. Videlicet, id implicitè hìc indicatur; quòd Chriſtus Dominus verus ille *David*, (Deo *dilectus*, per *Davidem* typicum præfiguratus,) ul-

(*n*) S. VI. cap. 6. pag. 482.

ultimo tempore (de quo in textu eſt ſermo) futurus eſſet gratioſiſſimus *Rex* Populi ſui *Iſraëlitici*, ac totius S. *Eccleſiæ*, etiam apparenter & viſibiliter, ſcil. in eximiis ſuis Servis; h. e. in Populi ſui Ducibus internis & externis, ſeu, tam in Doctoribus ac Directoribus Eccleſiaſticis, quàm in Protectoribus Secularibus, quos totos ſuâ gratiâ, ſuâque virtute cœleſti (ad ſuum munus debitè exequendum) impleturus eſſet. (Conſule hîc Iſa. 32. v. 1. 8. Jer. 3. v. 15.) Atque hæc ejus gratioſa præſentia & aſſiſtentia, vel maximè in primo & Summo *Paſtore* Eccleſiæ viſibili foret conſpicua. Vide Ezech. 34. v. 23. & 37. v. 24. Jerem. 30. v. 9. collat. Matt. 24. v. 45. 46. 47. & confer in hanc rem *Clavis* meæ *Prophet*. p. 182. 183. 184. 322. & 323. & ea, quæ in hoc Libro dicta ſunt, Cap. V. pag. 223. 224. & 226. Per *quæſitionem* ergo *David Regis ſui*, hoc potiſſimùm intelligitur, quòd toties dicti *Iſraëlitæ*, diligenter daturi ſunt operam, tum obſequioſâ veneratione Regiminis utriusque in Populo Dei ab antiquo fidelium conſenſu approbati, tum maximè precibus humillimis apud Deum, ut Chriſtus Dominus (myſticus *David* & *Rex* ſuæ Eccleſiæ,) jam ſe benigniſſimum & faventiſſimum erga

ipſos

ipſos oſtendat in Eccleſiæ Directoribus, Doctoribus & Protectoribus; eos, quos dedit, vel quos dehinc daturus eſt ad præſidendum Populo ſuo, ſuâ gratiâ, ſuâque virtute cœleſti ita induat, ita illos inhabitet, ita per illos regat ac protegat populum ſuum, ut eum in illis ſentiant erga ſe gratioſiſſimum ſuum *Regem*, & ſignanter contra graſſantem tam diù Mundi iniquitatem, juſtiſſimum Judicem, & potentiſſimum Protectorem ac Vindicem; & (in ſumma) ut *præſentiam* illam ſpecialem Divinæ Majeſtatis, *Schechina* dictam, quam olim promiſit, in ipſis præſertim Directoribus & Protectoribus S. Eccleſiæ, tanquam in eminentioribus *Sanctis* experiantur. Hoc enim eſt *Chriſti Regnum* in terris in Eccleſia in ſuo vigore & in ſua plenitudine, *viſibiliter* & apparenter in effectibus, ut Superiores utriuſque Statûs in Eccleſia *Chriſtô* pleni exiſtentes id agant paſcendo, regendo & protegendo, quod ipſe *Chriſtus* Dominus corporali præſentiâ perſonaliter præſens ageret, vel acturus eſſet. Huc faciunt loca paulò antè citata, præſertim ex Ezech. c. 34. & 37. Alioquî *inviſibile* ejus *regnum* per occultam ejus potentiam ac providentiam, perque internam Spiritûs S. in nobis virtutem & operatio-

rationem, in quantumlibet miserrimo & afflictissimo Ecclesiæ statu adfuit & adest inter nos. At longè plenius eô, longèque illustrius est ejus *regnum*, per Prophetas tam frequenter, tamque magnificè promissum; de quo nunc est sermo.

IV. (3.) Quod spectat phrasim illam, *Pavebunt* (seu *pavidi* accedent) *ad Dominum*: insinuatur verbis illis, valde admiranda quædam, & hactenùs hominibus incomperta visuros opera Dei in Ecclesia hos *Israëlitas*, de quibus loquimur: ideò non simpliciter tantùm accessuri, sed cum *pavore* sunt accessuri *ad Dominum*, atque sic (o) *cum metu & tremore salutem* suam sollicitè operaturi. Confer de phrasi illa, lucis causâ Jerem. 33. v. 9. post med. Hos. 11. v. 10. 11. & Mich. 7. v. 17. Ad *bonum* etiam *Domini* ultimô tempore exhibendum, pariter *pavidi* accedent; (uti in textu adjungitur, *& ad bonum ejus*;) quia & *bonum* illud ingens planè erit, & omnem hactenùs experientiam humanam longè superans: ut proximè statim de eo jam dicemus.

V. (4.) Per *bonum* illud *Domini* nunc memoratum, intelligitur ipsa *corporis* & *animæ* Sanctorum felicitas in his terris, ex speciali

(o) *Philipp. 2. v. 12.*

ciali Dei in eos favore, ſpecialique & jucunda in eis *præſentia* & habitatione ultimis temporibus (juxta prophetias) gradatim & ſucceſſivè percipienda. Quod *bonum* ubi ad culmen ſuum pervenerit, tunc electi fruentur optatiſſimâ pace internâ & externâ, lætiſſimum & florentiſſimum Evangelii progreſſum ſecum ferente; item mentis & corporis ſanitate, (& per conſequens deſideratiſſimâ ſanctitate,) ac omni benedictione Divinâ, ad vitam humanam, ſobriè, ſanctè & cum perpetua laude Divini nominis tranſigendam neceſſariâ. Erit nempe hoc *bonum* exactum quoddam exemplar, & vivida effigies deinceps futuræ longè majoris in ſupernis ſedibus gloriæ & beatitudinis; quod & in hoc Libro verbis *Pannonii* (*p*) jam dixi, & alibi quoque (*q*) docui. Ob quam cauſam tam magnificô ſtylô exprimitur: quia *bonum* iſtud in electis continuabitur deinceps cũ ſuperna illa & in æternum duratura beatitudine. De hoc *bono Domini* agit Jeremias, cap. 31. v. 12. *Et venient, & laudabunt in monte Sion, & confluent ad bona Domini*, (Hebr. *ad bonum Domini*) *ſuper frumento*, &c. Et ibid. v. 14. *Et populus meus bonis meis* (Hebr. *bonô meô*)

(p) *Supr. cap. 5. §. 37. p. 289.* (q) Clav. Proph. *p. 255.* *cllat.* *pag. 302. verb.* Pannonii.

adimplebitur. Et cap. 32. v. 42. *Sicut adduxi super populum istum omne malum hoc grande, sic adducam super eos omne bonum.* collat. ibid. Jerem. 17. v. 6. Item Zach. 1. v. 17. & 9. v. ult. & Psal. 26. (al. 27.) v. 13. & Psal. 105. (al. 106.) v. 5. ubi specialiter *bonum electorum* Domini dicitur. Si quis de hoc *bono* plura loca in cumulo videre vult, consulat *Clavem* meam *Prophetic.* p. 245. Et ut pleniùs hoc *bonum* intelligat, legat attentè in eadem *Clavi* Tractatum de futura *Restitutione omnium*, Class. 2. Regul. 32. pag. 255. & seq. usque ad pag. 302.

VI. (5.) Per *novissimum* (seu *extremum*) *dierum* in nostro textu, non intelligitur tantùm latissimô sensû *tempus ultimum* dictum, quod in genere totum Novi Test. tempus denotat, opponiturque tempori Veteris Test. (juxta Hebr. 1. v. 1. & 1. Petr. 1. v. 20. & 1 Joan. 2. v. 18.) sed intelligitur sensû restrictiori *posterior* pars ejusdem *temporis ultimi*, seu Novi Testamenti, & quidem *secunda* ac lætior pars illius quoque partis *posterioris*, in qua jucundissima Dei promissa ad suam Ecclesiam in Prophetis exstantia, debent plenè impleri. Atque hæc pars *ultimi temporis*, potest dici per excellentiam *ultimum* (seu *novissimum*) *tempus*. (Distinctionem *ultimi temporis* nunc insinuatam,

tam, pleniùs poterit videre Lector in *Clavi* mea *Prophet.* Clafs. 2. fub Regul. 5. pag. 81. 82.) Hoc fensû (pofteriore) accipitur *noviſſimum* (feu *ultimum*) *tempus* etiam Deut. 4. v. 30. juxta diftinctionem Hebraicam, & verfionem Vulgatam: *Noviſſimò tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem ejus.* Ita etiam Ifa. 2. v. 2. & Mich. 4. v. 1. fi plenioris implementi prophetiæ illic exftantis habeatur ratio, phrafis *noviſſimorum dierum* eodem fenfu nunc dicto intelligitur, in verbis illis: *Et erit in noviſſimis diebus* (feu in *noviſſimo dierum*) *præparatus mons Domûs Domini in vertice montium*, &c. Huc refer etiam Jerem. 23. v. 20. & 30. v. 24. & 31. v. 17. & 48. v. 47. & 49. v. 39. & Ifa. 30. v. 8. & Ezech. 38. v. 16.

VII. Porrô tametfi phrafis illa in genere fignificat *pofteriorem* partem *ultimorum* (feu Novi Teft.) temporum, ut jam (*r*) docuimus; quæ pars ideo apud *Danielem* fubinde dicitur (*ſ*) עֵת קֵץ, (*Eth ketz,*) h.e. *Tempus finis*, feu juxta quandam LXX. verfionem, (*s*) *Tempus conſummationis*; (fcilicet Mundi hujus in malo pofiti;) attamen quia in phrafi *Hoſeæ*, & in fimillbus, non

 tem-

(*r*) *S.VI. hôc cap. pag.* 500. (*ſ*) *Dan.* 8. *v.* 17. *&* 11. *v.* 35. 40. *&* 12. *v.* 4. 9. (*s*) *Dan.* 12. *v.* 4. ἕως καιροῦ συντελείας.

temporum, sed disertè *dierum extremum*, seu *novissimum* memoratur, (Hebr. *Beacharith hajjamim*, h. e. *in novissimo dierum*,) & alioquî etiam Scripturæ sensus latissimus est, ad significandum quicquid ipsa verba salvâ fidei rectitudine, salvoque scopô verborum permittunt; potest hîc respectus esse ad septem *dies* primævos Mundi hujus, scilicet, ad (*t*) *sex dies* creationis, & *septimum quietis*, mysticè acceptos, pro totidem *millenariis* annorum. Scilicet, (*u*) *sex dies* recensentur ordine in historia *creationis* Mundi, & *septimus* subjungitur, ut dies securæ cessationis ab eadem creatione: qui *septem dies* pro totidem *millenariis* annorum accipiuntur in mystico sensu à quibusdam SS. *Patribus*, procul dubio ex antiquissima *Judæorum* (*v*) traditione. Atque sic *τὸ novissimum dierum*, significat partem *posteriorem*, vel *postremam dierum* illorum mysticorum. Et ne quis sententiam de *septem* primis *diebus* mysticis, pro fundamento expositionis nostræ hîc positam, tanquam fabulam inanem exibilet; is non solùm antiquissimam Judæorum traditionem, sed præ-

(*t*) *Vide Gen.* 1. *v.* 5, 8. 13. 19. 23. & 31. (*u*) *Gen.* 2. *v.* 2. (*v*) *Vide Gemar.* Talmudic. *c.* 11, *S.* 29. (*juxt.edit.* Cocc.) Sex annorum millibus stat Mundus, *&c.* *Et ibid.* Traditio Domûs Eliæ: Sex mille annis durat Mundus, *&c.*

præsertim eximiorum aliquot SS. *Patrum* consonam ea de re mentem, in debitam sumat considerationem. Et sanè si ipsa historia literalis primæ creationis, simul etiam prophetia (seu figura prophetica) est futurorum, (uti revera est;) non possumus negare, quin etiam *dies* in eadem historia ordine recensiti, sint simul etiam mystici. Sic S. *Cyprianus* celeberrimus Doctor & Martyr disertè scribit, (*x*) quòd *primi in dispositione Divina SEPTEM DIES, annorum SEPTEM MILLIA continent.* Et ante eum S. *Irenæus* quoque (circa an. D. 180.) perspicuè ista habet: (*y*) *Quotquot diebus hic factus est Mundus, tot MILLENIS annis consummatur.* Et post citata Geneseos verba, *Et „consummavit Deus in die sexto omnia opera sua, „quæ fecit, & requievit in die septimo*, &c. illicò pro ratione probante hæc subjicit: *Hoc autem est & antefactorum narratio, quemadmodùm facta sunt, & futurorum prophetia. Si enim dies Domini, (z) quasi mille anni; in sex autem diebus consummata sunt, quæ facta sunt; manifestum est, quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus annus est.* Item *Gaudentius* Brixianus Episc. circa an. D. 386. sic pariter

Ii 4 do-

(*x*) *Ad Fortunat. de* Exhortat. Martyr. *cap.* 11. (*y*) *Lib.* 5. *advers. Heres. c.* 28. (*z*) *Psal.* 89. (*al.* 90.) *v.* 4. *collat.* 2. *Pet.* 3. *v.* 8.

docuit: (a) *Expectamus etiam illum verè ſanctum Diem, ſeptimi milleſimi anni diem, qui adveniet & poſt iſtos SEXDIES SEX MILLIUM, videlicet annorum ſæculi.*

VIII Eandem fuiſſe ſententiam etiam S. *Hieronymi*, (fundatam in verbis (b) Pſalmiſtæ, & S. (c) Petri, *de mille annis, ut dies una*,) patet ex ejus Epiſt. 139. ad *Cyprian. Presbyt.* in Explanat. Pſal. 89. cujus verba huc facientia jam alibi (d) retulimus. Vide eum etiam Comm. in Mich. 4. v. 1. Sanctus quoque *Auguſtinus*, etſi Enarr. in Pſal. 6. (ſub init.) & in Pſal. 89. (v. 4.) contrarium ſe huic ſententiæ oſtendit, quantum ad certos annorum *millenarios* durationis mundi hujus, at in eximio ſuo opere de *Civit. Dei*, (Lib. 20. c. 7.) nequaquam videtur ab eadem diſſentire; imò non obſcurè eidem favet: ut ejus verba diligenter excutienti patet. Conſule hîc etiam Authorem *Reſp.* & *Quæſt.* (ſub nomine S. *Juſtini* M.) ad *Orthodox*. Quæſt. 71. & *Iſidorum* (e) Hiſpalenſ. (qui floruit an. D. 627.) Comm. in Geneſ. cap. 6. & ex eo *Gloſſam* ordin. in Gen. 5. v. 24. Nec eſt, quòd quiſpiam

(a) Gaudent. *ad Neoph. de* Exodi *Lection. Serm.* 10. *Bibl. SS. PP. Tom.* 2. *col.* 42. *edit. Par. An.* 1654. (b) *Pſal.* 89. (*al.* 90.) *v.* 4. (c) 2. *Pet.* 3. *v.* 8. (d) *In* Clav. Proph. *pag.* 314. 315. (e) *Pag.* 421. *edit. Pariſ. an.* 1601.

piam arguat, ex ſententia illa ſequi, poſſe ab homine mortali ſciri determinatè *diem* vel tempus adventûs Domini. Quis enim mortalium unquam extitit hactenùs tam peritus Chronologus & ſimul Theologus, qui annos creationis Mundi uſque ad hoc tempus, vel ſaltem uſque ad tempus Nativitatis Domini, potuiſſet nobis rectè & exactè computare? vel, quis inde ſcire poteſt, quo in anno *millenarii* ſexti vel ſeptimi Dominus venturus eſt? Scire autem nunc in genere, quòd jam propè ſit ille (*f*) *adventus*, valde utile, imò & neceſſarium eſt, tum ad magis ac magis excitandam vigilantiam fidelium, eorumque animos erigendos, tum etiam ad majorem inexcuſabilitatem non vigilantium.

IX. De ſententia ſeu opinione illa veterum, ſcil. de *ſex millibus* annorum durationis Mundi hujus, videat cui placet, etiam celeberrimum ac doctiſſimum Corn. à *Lapide*, Comment. tum in 2. Pet. 3. v. 8. tum in Apoc. 20. v. 5. Summatim mens ejus huc redit: quòd *opinio* illa *multorum eſt Patrum & Doctorum*; *unde probabilis eſt*, *NEC TEMERITATIS ARGUI poteſt*: uti ſunt ejuſdem verba, cit. Comm. in 2. Pet. 3. Con-

(*f*) *Primò ſcil. in* Sanctis *eximiis*, *deinde in ſua* perſona: *qua de re vide* Glav. Proph. *Claſſ.* 2. *cap.* 10. & 11.

fer etiam *Feuardentii* Notas in locum S. *Irenæi* non ita pridem (*g*) citatum, ſcil. in Lib. 5. c. 28. ejuſdem. Si cui placet, poterit aliquam de eadem ſententia accipere lucem, ex alio etiam meo Opuſculo, ſcil. ex *Læto ad Lugentes Sion Nuncio*, pag. 94. & 151. 152.

X. Sic ergo, ut ad ſcopum redeam, juxta hanc ſententiam, (ad minùs valde probabilem,) phraſis, *in noviſſimo dierum*, idem erit ſignificantiùs, (uti & ſupra (*h*) inſinuavi,) quòd in *poſteriori* vel *poſtrema* parte memoratorum *dierum* myſticorum, hoc eſt, *ſex* (imò & *ſeptem*) *millenariorum* annorum. Poſtrema nempe pars eſt eorum, in comparatione priorum longè plurium, ipſa pars poſterior *ſexti millenarii*, in quo nunc ſumus, multòque magis ipſe *ſeptimus* millenarius, *Sabbatiſmo* Sanctorum in his terris (longè aliô, quàm unquam ulli putârunt *Chiliaſtæ*, sensû) deſtinatus. Videtur autem phraſis illa, *in noviſſimo dierum*, idem re ipsâ tempus ſignificare, quod alia phraſis apud Ezechielem, c. 38. v. 8. *in noviſſimo annorum*; ſcil. in *noviſſima* ſeu extrema parte *annorum*, ſub myſticis ac millenariis *diebus* (paulò antè dictis) comprehenſorum. Eſt nempe illic Prophetia de *Gog*, ſeu

(*g*) *S. VII. hoc cap. pag. 503.* (*h*) *Ibid.*

ſeu *Antichriſti* doloſo *adventu* in *terram* Ecclesiæ, à priorum diſſidiorum & tribulationum variarum *gladio* liberandam, & *pace* optatâ (initiali parte *boni* ultimi temporis) ad tempus (donec plenior *pax* poſt tentationem adveniat) donandam; quâ *pace* demùm *Antichriſtus* (ubi incipiet actû ſe prodere, quòd ſit *Antichriſtus* ille *magnus*,) abutetur, in ſuî ulteriorem ſublimationem, & *Sanctorum* perſecutionem; uti jam docui in *Clavi* (*i*) *Prophetica*. Quòd autem *noviſſimum annorum* idem ſit apud Ezechielem, quod, *noviſſimum dierum*, patet ibidem, (ſcil. c. 38.) v. 16. ubi idem tempus, per *noviſſimum dierum*, (Hebr. *Acharith hajjamim*) exprimitur. Sed tamen conſolatio hæc magna eſt, quòd in illo *noviſſimo dierum*, ſeu *annorum*, non durabit diu in eximiis *Sanctis* perſecutio illa; ſed brevî finem habebit, adveniente in eodem *noviſſimo dierum* ſeu *annorum*, *die* etiam *ultionis*, & *annô retributionum* pro *Sion*, juxta Iſa. 34. v. 8. & 63. v. 4. (nîl obſtante, quòd reliquiæ quædam *Antichriſti*, etiam in fine *ſeptimi millenarii* tentabunt aliquid (ſed irritô conatû) contra *Sanctos*, juxta Apoc. 20. v. 7. 8. 9.) neque etiam erit ea ita univerſalis, ut aliqui *Sancti* remoti à fervore furoris *Antichriſti*, quietem aliquam pro cultu Divino habituri non eſſent:

(*i*) *Pag.* 344. & 390.

ſent: uti patet ex Apoc. 12. v. 6. 14. Et diſertè docet etiam V. *Beda*, (k) quòd *etſi tempore Antichriſti gravis perſecutio futura ſit, levior tamen erit, quia NON UBIQUE erit*. Eadem fuit mens jam dudum ante *Bedam* etiam S. *Hieronymi*, Comm. in Hab. 2. v. 8. in verbis jam in *Clavi Prophetica* (l) à me relatis. Ubi diſertè ſcribit, *Sanctos* aliquos *Antichriſto non ſervituros, à quibus impius ille exſpoliabitur propter impietatem*, &c.

XI. Nunc poſt explicatas (bono cum Deo) omnes ſex *Quæſtiones* è textu *Hoſeæ* propoſitas, locus eſt, & operæ pretium exigit, ut paucis & hoc illuſtremus, quô ſensû *Reſtitutio Iſraëlis* (uti eſt titulus Libri) debeat hîc intelligi? Ratio dubitandi hæc eſſe debet: quia *Iſraëlitæ* ultimis temporibus in ſtatum illum felicem ponentur ac ſublimabuntur, (juxta prophetias & earum rectam expoſitionem,) in quo nunquam hactenùs fuerunt; quò ſensû ergo illa eorum *felicitas* futura poteſt dici *Reſtitutio?* Reſpondeo: (1.) Poſſumus quidem dicere, quòd *Reſtitutio* illa, etiam in primaria & quaſi magis grammatica ſignificatione, quatenus *τὸ reſtituere* idem ſignificat, quod *reddere*, vel reponere aliquid abla-

(k) Beda *Op. Tom.* 8. *col.* 806. *Comm. in Pſal.* 103. (*juxta Vulg.*) *v.* 9. (l) *Pag.* 325.

ablatum, amiſſum, vel perditum, uti antea fuit, (juxta Gen. 42. v. 37. & Exod. 22. v. 1. & Levit. 5. v. 16. &c.) quodam modô competit dictis quoque *Iſraëlitis*; eò quòd *reponentur* in illam priorem erga illos Dei gratiam, ſecundùm quam Deus ut in peculiari ſuo populo habitabat olim in medio ipſorum, (tametſi in *figura* futurorum,) eosque ſingulari ſuo favore diſcernebat ab aliis populis, quos potenti ſuô brachiô ſubinde humiliabat causâ eorum; attamen (2.) ſciendum eſt, quòd id ipſum verbum *reſtituere*, ſignificat non raró idem, quod *renovare*, *reſtaurare* & *reædificare* aliquid ex prioribus ſuis ruinis, vel poſt priores ſuas ruinas; (quæ ſignificatio priorẽ etiam certo quodam ſensû in ſe includit;) juxta illud Iſa. 1. v. 26. *Et RESTITUAM Judices tuos, ut fuerunt priùs, & conſiliarios tuos ſicut antiquitùs*: Cùm quo textu, conſentit alter per modum illuſtrationis, ſcil. Amos 9. v. 11. *In die illa, SUSCITABO tabernaculum David quod cecidit, & REÆDIFICABO aperturas murorum ejus, & quæ corruerant, INSTAURABO, & reædificabo illud SICUT in diebus ANTIQUIS.* Qui locus tametſi ex parte, ſcilicet, uti in fundamento & baſi majorum futurorum, jam quidem impletus eſt, juxta Act. 15. v. 15. 16: at pleniſſimum ejus im-

implementum in ultima tempora est reservatum; ut contextus integer ibidem Prophetæ *Amos* ostendit, inprimis v. 13. 14. 15. & alia etiam loca sensû huic consona, id ipsum docent.

XII. Cùm itaque Scriptura S. ☩ *restitutionem* vocet ipsam *renovationem*, *restaurationem* & *reædificationem*, rectè nos etiam futuram *Israëlitarum* assumptionem, & in statum valde felicem sublimationem, possumus ac debemus vocare *Restitutionem*, uti & *Ecclesiasticus* Liber, cap. 48. v. 10. sic vocat: ubi de *Elia* venturo (sensu mystico) ista habet: *Qui scriptus es - - conciliare cor Patris ad filium, & RESTITUERE Tribus Jacob.* In his *restituere Tribus Jacob*, idem est, quod *restituere Israëlem, seu* Populum *Israëliticum.* At tenendum est, quòd quemadmodum in mundanis quoque sæpe ipsa *renovatio*, *restauratio*, & *reædificatio* collapsi vel destructi alicujus ædificii, longè amplior, splendidior & excellentior solet esse, quàm erat prius ædificium ante suî destructionem; (quod in comparatione restaurati, poterat tantùm quasi tugurium quoddam extitisse;) sic de futura etiam *Israëlis restauratione* ac *restitutione* sentiendum est, quòd ea longissimè plenior,

☩ *Vide Matth.* 17. *v.* 11. *Marc.* 9. *v.* 11. (*al.* 12) *Act.* 3. *v.* 21. *collat. Isa.* 1. *v.* 26. *Amos* 9. 11. *in textu citatis.*

nior, magnificentior & gloriosior futura est, quàm fuit olim (etiam in flore) status ejusdem Populi in Veteri Testamento: tantô nempe eum superatura, quantô res adumbrata & figurata, suam umbram & figuram debet superare. Omnia enim illa per vices & gradus locupletissimè implebuntur & exhibebuntur, quæcunque olim in typis & promissionibus propheticis Populo illi fuerant oblata & destinata: seu, in genere, omne id dabitur *Israëlitis*, quod juxta Dei consilium, & fœdus gratiosum cum Patribus eorum initum, (vi ejusdem fœderis, & spontaneæ obligationis Divinæ) eis debetur. Impletio ergò promissorum Divinorum, & juxta illa Populi *Israëlitici* plenissima restauratio, (ob peccata Populi tam diu dilata,) rectissimè dicitur *Restitutio*; uti etiam S. *Petrus* bonorum omnium in promissionibus *propheticis* exstantium plenam adductionem & exhibitionem, vocat *Restitutionem omnium*, Act. 3. v. 21. atque etiam ipse Dominus Salvator *Eliæ* venturo tribuit, quòd ille *restituet omnia*, scilicet ministerialiter. Matt. 17. v. 11. (collat. Marc. 9. v. 11. al. 12.) De quibus locis consulat Lector *Clavem* meam *Propheticam*, pag. 257. 258. collat. p. 102. & seq. Lux hinc affulget etiam iis, quibus supra

pra (m) ad *Quæstionem quartam* insinuavimus hoc, quòd ex scopo Spiritûs Dei in textu „ *Hoseæ*, (cap. 3.) *Rex, Princeps, sacrificium,* „ *Altare, Ephod* & *Theraphim certô ac convenien-* „ *ti sensû*, hoc est, *non in cortice literæ, sed in* „ *re per literam in figuris illis antiquis significata,* „ *restituentur aliquando Israëlitis.* Ubi horum *Restitutio* idem est, quod rerum in iis adumbratarum, in *nova* quadam & *gloriosa* forma adductio & exhibitio.

XIII. Hæc pro expositione textûs propositi hactenùs sufficiant. Paucis jam sequentia, velut totidem *Axiomata*, seu *Documenta* è textu explicato notemus & observemus.

CAPUT VIII.

In quo Documenta *quædam traduntur*, & *hic* Tractatus *concluditur.*

DOCUMENTUM I.

I. I*sraëlitæ olim per* Assyrios & Babylonios, *ac deinde per* Romanos *dispersi, multùm diúque debebant,* & *adhuc debent multi illorum, sine promisso sibi ac præfigurato Rege* & *Principe,* (*omnem in suos benignitatem* (*ex scopo prophetiarum*) *plenè exhibituro*) & *sine vera ac salutari intelligentia* & *fruitione mysteriorum* (*seu bonorum*)

(m) *Cap. 5.* §. *II.* & *III. pag.* 219. & 220.

rum) in ritibus & figuris antiquis reconditorum, miserabili in statu delitescere, antequam verè ad Deum suis periodis & intervallis conversi vel convertendi, optatissimâ Restitutione *sibi promissâ beentur.* Clarum hoc est è textu, & ejus expositione. Cur autem hujusmodi hîc adhibeam distinctionem; *multùm diùque DEBEBANT, & adhuc DEBENT* &c. superiora (*a*) Lectori attento perspicuum reddunt: me videlicet in priori dicendi modo respectum habere ad illos, qui jam ex semine illo dispersi *Israëlis*, occultè, Deo tamen noti, adsunt in medio *Christianorum*; qui procul dubio (præmissâ plenâ suî ad Deum conversione,) citiùs jam ad præfigurata ac promissa olim *Israëli* bona pervenient, quàm qui adhuc procul sunt à professione *Christiani* nominis; in posteriori autem ad eos, qui nondum *Christianam* profitentur Fidem; præsertim ad contumacissimos nostri temporis *Judæos*.

II. Fundamentalis ratio nostri *axiomatis* petitur ab horrendis *Israëlitarum* veterum & recentiorum peccatis in Deum, collatis cum ejus justitia. Nec obstat, si quis dicat, *Patres* eorum *peccâsse*. Nam cùm *filii* suo consensu & acquiescentiâ approbent facta *parentum*, (occulti nempe *Israëlitæ*

Kk

(*a*) *Vide supr. Cap.* 3. §. 27. 31. 35. p. 84. 95. 105.

litæ, peccatis suis diversis, manifesti autem *Judæi* manifestâ homicidii veteris in *Messiam* perpetrati approbatione, & augmentô blasphemiarum in ipsum quotidianarum;) justissimum est Dei judicium in ipsis, ut *paternarum* pœnarum, mali quoque *filii* hæredes fiant, usque dum sua in malitia perstiterint. Vide in hanc rem & excute, Num. 32. v. 14. Jud. 2. v. 19. 20. 21. 2. Paral. 30. v. 7. 8. Psal. 105. (al. 106.) v. 6. Jerem. 9. v. 14. & 11. v. 10. & 32. v. 18. & 44. v. 21. Ezech. 20. v. 24. Zach. 1. v. 4. collat. Levit. 26. v. 39.

III. Hinc instructionem accipiant etiam *Christiani* ex ipsissimis *Gentibus* olim in suis majoribus ad Christum vocati, & in ejus peculium assumpti; quòd quicunque eorum viam dictorum *Israëlitarum* in peccatis, in contemptu Divinæ erga ipsos gratiæ, inque impœnitentia (vel saltem neglectu tempestivæ pœnitentiæ) sequuntur & sequentur, (quos etiam subintelligi mysticè in textu *Hoseæ*, jam supra cap. 2. pag. 21. 22. 25. diximus,) certò certiùs cum tempore parem cum *Israëlitis* illis sortem miseram consequentur, pariter nempe à Deo abjicientur, & in diversas nationes miserrimum in statum dispergentur, mansuri in illa miseria, donec sincerè

&

& plenè ad Deum convertantur. Quicquid enim veteribus *contigit Israëlitis*, id omne in *figura nostrî contigit*; ut eorum exemplô discant *Christiani* præcavere Dei offensionem, ne pari cum illis pœnâ plectantur: uti patet ex ipsa doctrina Apostoli, 1. Cor. 10. v. 6. - - 11. Confer hîc & illud, Rom. 11. v. 21. 22. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè NEC TIBI parcat. Vide ergo bonitatem & severitatem Dei; in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin ET TU EXCIDERIS.* Quod malum qui nolunt sibi evenire, en hoc eis ad præcavendum illud remedium: ut nimirùm sincerè & plenè ad Deum conversi, ardenti amore ei fidelissimè adhæreant, ei obediant, ejus gloriam ac honorem, ejusque *Regni* (*b*) incrementum, in omnibus suis studiis & actibus *primariò quærant*, & sanctissimum ejus verbum (*c*) pro summis animæ suæ deliciis habeant. Aloquî, qui hæc non fecerint, metuant terribilem illam sententiam: (*d*) *Jam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

(*b*) *Juxta Matt. 6. v. 33.* (*c*) *Juxta Psal. 118. (al. 119.) v. 14. 15. 16. 24. 72.* (*d*) *Matt. 3. v. 10.*

DOCUMENTUM II.

IV. *Israëlitarum olim per* Assyrios *&* Babylonios,*ac demùm per* Romanos *dispersorum plena ad Deum suis temporibus* conversio,*eorumq; in statum felicissimum* restitutio, *Mundô hoc ad exitum jam propinquante, per vices certò futura est.* Clarum & hoc est è textu, ejusque explicatione.

V. Fundatur hoc *Documentum* in Dei summa veracitate & fidelitate, qui hoc bonum *Israëlitis* olim toties per Prophetas promisit. Loca huc facientia videantur supra sub *Quæstione Secunda*,cap. 3.5.28.29. 31. &c. *Facilius* autem *est, cœlum & terram præterire*, quàm de verbo Dei vel minimum excidere. Luc. 16. v. 17. collat. Matth. 24. v. 35. & Marc. 13. v. 31. Quia verò constat, tum ex tanta (e) *iniquitatis* (in ultima tempora prædictæ) *abundantia*, & *charitatis refrigescentia*, tum ex tam multorum inde à deportatione ac dispersione Populi *Israëlitici* temporum decursu, † *Mundum* hunc *in malo positum* ad exitum properare; inde certò etiam concludere possumus, propè imò proximè esse tempus, quô *Israëlitæ* olim in veteri Test. dispersi aliisque populis immixti, per veram ad Deum & Christum ejus

(e) *Matth. 24. v. 12. & 2. Tim. 3. v. 1. 2. 3. 4. 5. & 2. Pet. 3. v. 3. collat. 1. Tim. 4. v. 1, 2.* † *Phrasis*, 1. *Joan. 5. v. 19.*

ejus *conversionem*, manifestentur, & in promissam eis felicitatem gradatim restituantur. Conferat hîc Lector ea quoq;, quæ supra(*f*) ad *Quæstionem tertiam* diximus, sub fin. Resp. (Ex *novissimo* etiam *dierum* supra c. 7. §. 6. 7. 8. 9. & 10. p. 500. explicato, lucem aliquam hîc accipere potest Lector.) Cur in hac propinquitate, specialiùs *Israëlitas* in Vet. Test. dispersos memoremus, ratio in promptu est: quia jam diximus in superioribus, priùs (*g*) illos restitutum iri *Israëlitas*, ac deinde *Judæos* per Romanos in N. Test. dispersos, h. e. Christi interfectores.

VI. Nostri ergo est officii, hanc à Deo promissam populi *Israëlitici* ac per consequens S. Ecclesiæ *felicitatem* capitibus erectis expectare, atque omni nostro opere pro viribus maturare & accelerare. Maturamus autem & acceleramus, (*I.*) dum ardentissimis & assiduis precibus eam à Deo optamus: juxta Psal. 50. (al. 51.) v. 20. *Benignè fac (Domine) in bona voluntate tua ipsi Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.* Et Psal. 101. (al. 102.) v. 14. *Tu exurgens misereberis* (seu *miserere*) *Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus* statutum. Item, Psal. 106. (al. 105.) v. 4. 5. juxta text. Hebr. *Memento meî Domine in beneplacito populi tui, visita me*

(*f*) Cap. 4. §. IV. p. 216. 217. (*g*) Cap. 2, §. VI. p. 27.

in salutari tuo: ut videam BONUM electorum tuorum, ut læter in lætitia gentis tuæ, & glorier cum hæreditate tua. Et ibid. v. 47. *Salvos nos fac Domine Deus noster, & CONGREGA nos de Nationibus: ut confiteamur Nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua.* (*II.*) Dum non solùm visibiles & vulgò notos *Judæos*, quantùm in nobis est situm, verbis *sale* (*h*) sapientiæ & (*i*) *spiritû lenitatis*, charitatis ac modestiæ temperatis, à blasphemis & perniciosissimis suis opinionibus sensim avocare, ad Christumque nostrum adducere nitimur; sed longè magis apud *Turcas*, aliosque *Muhammedanos*, ceu propinquiores (illis) Christo, modis omnibus, pro re nata, occasioneque datâ allaboramus, ut eis *Christianam* persuadeamus Religionem. Superiora enim in explicatione textûs dicta (*k*) nos docent, multos *Israëlitarum* veterum *Turcis, Tartaris* & *Persis* esse intermixtos. Eôdem fundamentô, si quis inter *Æthiopes*, *Indos* & *Chinenses* Christi Regnum promovere nititur, certum est, quòd eâdem operâ *Israëlis* etiã *restitutionem* præmaturat & accelerat. At vel maximè & proximè de *Turcarum* viciniorum & imanissimorum Christianitatis hostium conversione, no-

(*h*) *Coloss.* 4. *v.* 5. 6. (*i*) *Gal.* 6. *v.* 1. (*k*) *Cap.* 3. *S.* 23. 24. 26. 27. *p.* 73.75. 80.81. *Conf. pag.* 66. 67. & 106.

nobis hôc tempore magna cum sollicitudine laborandum est. Ipsi enim ea nunc de se se prædicant, & actibus suis monstrant, quæ prudentibus certò indicant, longè faciliùs jam hôc tempore, quàm antehac unquam ad Fidem *Christianam* illos allici posse, dummodò modestè, blandè, sanctè & prudenter cum iis agatur. Ex propriis nempe ipsorum confessionibus & actis motiva hanc in rem eis afferantur. Fatentur enim (1.) ipsimet de se, & id communiter ipsorum instructores (*Hogcsæ*) prædicant, quòd *Turcarum Imperium brevì jam ruet*; quod disertè ipsemet ex præcipuis illorum non semel quondam audivi, ac etiam notavi hanc ipsorum sententiam in *Clavi* mea † *Prophetica*; tradens in *Læto* quoque *ad Lugent. Sion Nuncio* * quædam eòdem spectantia. Imò recordor bene, quòd dum quâdam vice (circiter an. D. 1683. aut 1684.) *Turcæ* quidam (quos *Agrienses* puto fuisse,) mecum *Gyöngyösini* occasione lectionis *Bibliorum* coram ipsis factæ sermonem satis modestè & in verba mea attentè miscuissent, mox unus illorum me interrogavit: *Pap Gazda* ! (h. e. Sacerdos hospes,) *quid dicit vester Liber de Turcarum ruina: nam* (inquiebat) *nostri* Hogçsæ *jam communiter*

† *Pag. 420. & 421.* * *Pag. 43. 44. 45.*

ter docent, *quòd miser* Turca *brevî jam ruet ac peribit*: ad quod, poſtquam (petitâ priùs & obtentâ *licentiâ*, ut *liberè dicere id poſſim*, *quod noſter ſacer Codex ea de re* (ſub involucris nempe profundiorum Prophetiarum) *tradit*,) ipſis de rei eſſentia (omiſsò eô, quòd *brevî*, vel *non brevî* fiet,) ſic repoſuiſſem: *No-„ſter Liber* (Scriptura nempe S.) *hoc non tra-„dit*, *quòd ipſa Natio Turcarum prorsùs peritura eſ-„ſet*; *ſed hoc*, *quòd Imperium Turcarum*, *quale ha-„ctenùs fuit*, *omninò ruet*; *at verò Natio Turca-„rum per hoc non peribit*, ſeu *non abolebitur*, *ſed „Fidem noſtri JESU CHRISTI amplectetur*: tum ad hæc poſtrema verba, idem qui me interrogabat (humerô quaſi leniter motô dans nutum) hoc tantùm dixit: *Ah! ha Iſten ugy akarja*. Hoc eſt: *Ah! ſi Deus ita vult*. Subintelligens τὸ, *Fiet*, vel *Fiat*. Videlicet nihil contrarii vel injurioſi repoſuit, ſed implicitè indicavit, paratum ſe & ſimiles *Turcas* eſſe ad *Chriſtianiſmum* amplectendum, *ſi Deus ita velit*. Hoc certum indicium eſt, quàm prope illi ſint ad hoc, ut *Chriſtiani* fiant, dummodò adſint fideles, ſtrenui & prudentes *Operarii* circa ipſos. (2.) Ipſi disertè docent etiam hoc de noſtro Salvatore, (*Iſa Pejgamber*, h. e. *Jeſus Propheta*, ab ipſis dictô,) quòd *brevî jam veniet è Cœlo ad capeſſendum totius Orbis terrarum Regnum &*

& Imperium; (qua de re etiam vide *Clavem* meam *Propheticam*, & *Lætum Nunc.* locis in margine ſupra citatis:) pro cujus expectatione certos etiam *Stipendiarios* jam nunc habent perpetuò in *Turri* quadam *Syriæ* excubantes: (uti etiam hoc jam alibi * à me notatum eſt:) quod ipſi licèt more ſuo carnaliter intelligant; at noſtrum eſt, prudenter illos inducere ad ſpiritualem hujusmodi *Regni* univerſalis in terris per *Chriſtum capeſſendi* ſenſum. Videlicet dicendum eſt ipſis, & blandè perſuadendum, quòd antequam *Iſa Pejgamber* (Jeſus Propheta) è Cœlis publicè ſe perſonaliter manifeſtet, præmittet priùs ſuos quoſdam excellentes & eximiè *Sanctos* Servos, in quibus etiam quodam modô ipſe veniet, eò quòd totos illos ſuâ gratiâ & ſublimi authoritate implebit ac inveſtiet, & per eoſdem univerſi Orbis terrarum Regna ſibi ſubjugabit & pro ſe occupabit. Adjiciendum hìc eſt ad illos inſtruendos, quòd per eoſdem ſuos Servos (h. e. per eorum doctrinam & prædicationem) idem *Jeſus Propheta*, myſteria etiam quæ latent in ipſorum *Alcoran*, (& quæ ipſis quoque ſunt incognita,) in dies aperiet & plenè deteget. (Quomodo hoc dictum Chriſtianè & ſan-

Kk 5 ctè

* *In* Clavi Prophet. *cit. pag.* 421.

ctè intelligi debeat, consulat ea de re Lector *Clavem* meam *Poopheticam*, pag. 51. & 55. collatô etiam hujus operis cap. 3. §. XIII. & cap. 5. §. 85.) Ad maturandam autem ipsorum conversionem, consultissimum hoc tempore esset, ut antequam *induciarum* cum ipsis (sub finem seculi proximè elapsi) factarum tempus expleretur, prudenter & blandè *Christiana* Fides iis offerretur; ad minus hoc saltem primâ vice iisdem intimaretur, ut consiliũ inter se ca„piant, An possint, imò,an debeant *Chri„stianam* potiùs ipsi amplecti Religionem, „(aut saltem suis volentibus eam ample„cti libertatem dare,) quàm frustra & cum „extrema sua ignominia, finaliq; suî (Im„perii &omnis Dominatûs) excidio secu„turo, pugnare ampliùs contra *Christianos?* (Oh utinam Dominus Deus, ad tam sanctum opus inchoandum & continuandum, Sublimiorum utriusque Statûs in *Christianismo* Potestatum animos excitet!) Motiva ad ipsos hanc in rem magna & valida sunt ea, quæ supra retulimus; ac inprimis in memoriam ipsis revocandum est, quàm magna Deus præmisit jam indicia brevî secuturæ extremæ ipsorum ruinæ, (quam & ipsi prædicant,) in nupero ac novissimo contra *Christianos*, eorumque *Imperatorem*

ge-

gesto bello. Nec facilè ipsi armis invadendi sunt, (si non illi priùs *Christianos* (quod Deus avertat) invadant,) ante oblatam ipsis *Christi* Fidem. Imò etiamsi ipsi ante invasionem ipsorum, aliquid furiosè more suo contra *Christianos* tentaturi essent; attamen & tunc cura tentandæ prudenter conversionis eorum non esset negligenda. Apud *Christianos* enim potior semper habenda est cura conversionis talium hostium, quàm externæ, ac merè mundanæ victoriæ de iis reportandæ. Si non acceptent illi sanum consilium, excusabiles erunt coram Deo tales consultores. Hæc de cura conversionis infidelium.

VII. At (*III.*) cùm jam & hoc docuerimus, (*l*) quòd aliqua pars *Israëlitarum* sit jam occultè in medio nostrî, hac viâ vel maximè & primariò acceleramus optatissimam illam *Restitutionem Israëlis*, & Ecclesiæ Dei tot dissidiis, aliisque malis conquassatæ felicitatem, si strenuam dederimus operam, ut occulti *Israëlitæ* se se in medio nostrî quantocyùs manifestent, atque hoc modô medios inter Christianos quæsierimus *locum Domino*, & *tabernaculum Deo Jacob*; juxta Psal. 131. (al. 132.) v. 5. ut postquam *Muhammedani* aliique populi à Fide Christi ad-

(*l*) *Supra cap. 3. S. 27. 31. 85. & passim in hoc Libro.*

adhuc alieni, ſanctam noſtram induſtriam & mutationem in melius viderint, eò libentiùs & ipſi demum ad nos & ad noſtrum Salvatorem accurrant, ut & ipſi fiant nobiſcum una Dei Domus. Quærimus autem inter Chriſtianos *locum Domino*, & ſimul occultorum in medio noſtrî *Iſraëlitarum* manifeſtationem; (1.) Si nos ipſi aliis vitæ *ſanctitate* præfulgeamus, & alios quoque noſtro exemplô ad eam perducere nitamur. Statim enim incipient manifeſtari occulti *Iſraëlitæ*, quamprimùm multi Chriſtianorum eximiâ vitæ *ſanctitate* fulgebunt. Illi ipſi enim, qui in hac Mundi immundi ſenecta, aliis verâ & ſingulari quâdam *ſanctitate* præfulgebunt, eô ipsô declarabunt ſe eſſe ex *fonte* & ſemine antiqui *Iſraël*; ut ſuperiora (*m*) docent, ubi *Signa* dignoſcendorum *Iſraëlitarum* occultorum recenſuimus; quæ videat ibid. Lector. Deinde, (2.) Si virulentas in *Chriſtianiſmo contentiones* toto pectore deteſtemur, & allaboremus, ut quantocyùs tam horrendis, tamque deplorandis de Fide *diſſidiis* renunciantes, ſanctam in Fide ineamus *unionem*, & tanquam fratres in Chriſto nos mutuò amemus, qui *Chriſti* nomen, & SS. *Trinitatem* profitemur. (Sufficiat

ciat

(*m*) *Cap. VI. S. 6. & 7. pag. 481, 483. & 486.*

ciat jam, sufficiat, tot contentionibus (proh dolor!) acerbissimis, tamque diuturnis *Christianos* in risum alienorum à Fide (inprimis *Turcarum*) inter se ad nauseam usque hactenùs digladiatos fuisse, & quidem plurimos eorum, neglectô prorsùs studiô maturandæ dissidentium *unionis*, & sepositâ omni curâ tractandi de modis sanctæ cum invicem reconciliationis. Falluntur, qui putant, rem hanc sanctæ Christianorum *unionis* ineundæ impossibilem, & prorsùs desperatam esse. Habe charitatem, & *quære pacem* strenuè & perseveranter, juxta Psalmistam, Psal. 33. (al. 34.) v. 15. col. 2. tunc nosces rem hanc non esse impossibilem. Et ut hoc facias, habes hîc etiam motiva paucis à me in sequentibus indicata.) Non enim agnoscit Deus pro suo *loco*, & pro vivis suæ *Domûs* membris, nisi qui sunt *unanimes*; ut patet Psal. 67. (al. 68.) v. 7. nec *ossa* (*n*) occulti *Israël* dispersa in *valle*, seu *scissione* magna priùs resurgent ex suarum calamitatum pulvere, ut agnoscantur esse *Israëlitæ*, & amplissimarum promissionum participes fiant, quàm ubi *exauditô* Dei *verbô*, sibi invicem appropinquabunt, sibique mutuò jungentur: ut superiora

(*n*) *Ezech.* 37. *v.* 1. 2. *& seq.*

riora (o) de *offibus* illis dicta docent. (Vide etiam (p) *quintum Signum* dignoſcendorum verorum *Iſraëlitarum.*) Et planè hoc unum etiam nos valde moveat ad maturandam ſanctam Chriſtianorum *unionem*, quòd *oſſei* illi *Iſraëlitæ*, de quibus nunc loquimur, non ſolùm in una parte, ſed in diverſis *Chriſtianiſmi* partibus ſunt diſperſi: (ut in expoſitione parabolæ *Ezechielis* † audivimus;) ita ut nulla pars dicere queat, in ſe ſola illos latere *Iſraëlitas*, & extra ſe in partibus & *Sectis* aliis non reperiri. Amor recollectionis talium *Iſraëlitarum* in Chriſtianiſmo *diſperſim* latentium, magnum ſanè in nobis motivum eſſe debet, ut miſsô veteri odiô & horrore mutuô, ſanctæ *unioni* habendæ, ſincerô ſtudiô operam demus. (3.) Si hæc omnia, non utcunque, ſed ardenter, ſincerè & perſeveranter proſequamur, omnemque noſtram utilitatem, noſtrum honorem, noſtramque gloriam privatam, reſpectu gloriæ Dei, & Eccleſiæ ædificandæ, pro nihilo reputemus, nec ullis noſtris laboribus moleſtisque fatigiis parcamus, (imò juxta poſſe noſtrum, nec ſumptibus neceſſariis,) dummodò Eccleſiæ Dei prodeſſe poſſimus, ſic ſanè quærimus

(o) *Cap. 3. §. 43. 44. & ſequ. pag. 128. 131. & 133.*
(p) *Cap. 6. §. 7. p. 484. & 485.* † *Cap. 3. p. 127. 133. & cap. 6. p. 485.*

rimus *locum Domino* juxta verba Pſalmiſtæ; quô inventô Populi etiam ejus antiqui reliquias (ex principali ſcopo *Pſalmi* (q) citati) inveniemus.

VIII. Audiamus quæſo hanc in rem quædam ex eruditiſſimo S. Patre *Auguſtino*, (antequam hæc concludamus,) hunc in modum ſcribente: (r) *Ubi quærebat* David *locum Domino? Si manſuetus erat, in ſe quærebat. Quomodo eſt enim locus Domini? Audi Prophetam:* (ſ) Super quem requieſcet Spiritus meus? ſuper humilem & quietum, & trementem verba mea. *Vis ergo eſſe* locus Domini? *Eſto humilis & quietus, & tremens verba Dei, tu ipſe efficieris, quod quæris. Si enim in te non fiat, quod quæris, in altero quid tibi prodeſt? Operatur quidem Deus aliquando per Evangeliſtam ſalutem alterius tantùm, ſi ipſe dicit & non facit; & fit per linguam ejus in alio* locus Domino. *Qui autem quæ docet, ipſe benè facit, & ſic docet, fit* locus Domino *cum eo quem docet; quia omnes credentes unum faciunt* locum Domino. *In CORDE habet* locum *Dominus; quia UNUM COR eſt omnium in in CHARITATE copulatorum. - - Et ut noveritis, quia* unus locus *factus eſt Domino in omnibus, Scriptura dicit:* „ Erat *illis* (s) anima „una

(q) *Hôc Paragr. ſcil. Pſal.* 131. (*al.* 132,) (r) *Enarrat. in Pſal.* 131. *v.* 3. 4 5. (ſ) *Iſa.* 66, *v.* 2. (s) *Act.* 4. *v.* 32.

„ una & cor unum *in Deum. Multi autem, ne faciant* locum Domino, (*t*) *sua quærunt, sua diligunt, potestate suâ gaudent, PRIVATUM suum concupiscunt. Qui autem vult facere* locum Domino, *NON de PRIVATO, sed de COMMUNI debet gaudere. - - Intendat charitas vestra, quia propter illa quæ singuli possidemus,* (intellige hîc præter externa bona, etiam honorem & existimationem privatam,) *existunt lites, inimicitiæ, discordiæ, bella inter homines, tumultus, dissensiones adversùm se, scandala, peccata, iniquitates, homicidia. Beati ergo qui sic faciunt* locum Domino, *ut PRIVATO suo non gaudeant. Talem enim describebat iste, qui dicebat :* (*u*) „ Si introiero in Taber- „ naculum domûs meæ. *Privatum hoc erat: sciebat privatô se impediri, ne faceret* locum Domino, *& ea commemorat, quæ ad se ipsum pertinebant.* „ Non introibo in tabernacu- „ lum domûs meæ, donec inveniam. *Quid? Cum inveneris* locum Domino, *intrabis in* tabernaculum *tuum, ubi inveneris* locum Domino? *Quare? Quia IPSE ERIS* locus Domini, *& CUM EIS qui fuerint* locus Domini, *UNUM eris.*

IX. Et illicò subjungit ista : *Abstineamus ergò nos fratres à possessione rei privatæ, aut ab amore, si non possumus à possessione, & facimus* lo-

(*t*) *Philipp.* 2. *v.* 21. (*u*) *Psal.* 131. (*al.* 132.) *v.* 3.

locum Domino. *Multum est à me, ait aliquis. Sed vide quid sis facturus* locum Domino. *Si vellet apud te hospitium habere aliquis Senator, (non dico Senator, Procurator alicujus Magni secundùm seculum,) & diceret:* Offendit me quiddam *in domo tua; etsi amares hoc, auferres tamen, ne eum offenderes, cujus amicitiam ambires. Et quid tibi prodest hominis amicitia? Fortè ibi non solùm nullum auxilium, sed & periculum invenires. - - Securus opta amicitiam Christi. HOSPITARI APUD te vult; fac illi* locum. *Quid est, fac illi* locum? *Noli amare te ipsum: illum ama. Si te amaveris, claudis contra illum: si ipsum amaveris, aperis illi. Si autem aperueris, & intraverit, non peribis amando te, sed invenireris cum amante.* „Si introiero in tabernaculum domûs meæ, si ascendero super „lectum strati mei. *Privata enim res ipsa ubi homo acquiescit, superbos facit: ideò dixit*, Si ascendero. *In re, quam privatim quisque possidet*, (in privatas nempe tantùm utilitates, & cum acquiescentia,) *necesse est, ut superbus sit. Inde se enim tendit homo ad hominem, cùm ambo sint caro. - - Iste autem qui vult invenire* locum Domino, *dicit*: „ Si ascen„dero super lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis. *Multi enim cùm dormiunt, non faciunt* locum Domino.*Tales exci-*

 tat

tat Apostolus: (*v*) Surge qui dormis, & exur-
„ge à mortuis, & illuminabit te Chri-
„stus. - - *Omnes istæ felicitates quæ videntur seculi, somnia sunt dormientium. Et quomodo qui videt thesauros in somnis, dormiens dives est, sed evigilabit & pauper erit: sic omnia ista vana hujus seculi, de quibus homines gaudent, in somno* ~~*gaudent.*~~ *Evigilabunt quando nolunt, si non modò evigilant, quando utile est, & invenient somnia illa fuisse, & transiisse, sicut dicit Scriptura*: (*x*)
„ Veluti somnium exurgentis. - - *Iste ergo qui vult invenire* locum Domino, *dixit etiam*: Si dedero somnum oculis meis. *Sunt autem quidam, qui non* dormiunt; *sed* dormitant. *Aliquantum retrahunt se ab amore temporalium, & rursus revolvuntur in eum, quasi* dormitantes *caput crebrò inclinabunt. Evigila, excute somnum*, dormitando *casurus es. Non vult Psalmus oculis suis dare somnum, nec* palpebris dormitationem, *eum qui vult invenire* locum *Domino*. Et requiem, *inquit*, temporibus meis. *A requie* temporum *somnus venit ad oculos*. - - *Cùm ergo cœperit te aliquid temporale delectare ad peccatum, jam gravantur tibi* tempora. *Vis evigilare & non dormire, nec* dormitare? *Noli te credere tali delectationi: majores dolores habebis, quàm suavitates. Istâ cogitatione quasi confricans frontem, excutis somnum, & paras*

(*v*) *Ephes.* 5. *v.* 14. (*x*) *Psal.* 72. (*al.* 73.) *v.* 20.

paras locum *Domino*, tabernaculum *Deo Jacob*. Hæc ille valde piè & eruditè. Adde his illud ex Psal. 37. (al. 36.) v. 34. *Exspecta Dominum, & custodi viam ejus, & exaltabit te, ut hæreditate capias terram*, (nempe cum *Israëlitico* ejus populo;) *cùm succisi fuerint* (seu *perierint*) *impii, videbis.*

X. Postquam verò fecerimus omnia, quæ in nobis ad manifestandos in medio Christianismi veros *Israëlitas*, & ad *inveniendum locum* ac *tabernaculum Deo* forti *Jacob*, requiruntur, tunc intelligemus mysterium *Psalmi* 126. (al. 125.) in pleniori verborum ejus emphasi, & ex scopo principali, eumque cum summa animi lætitia canemus: qui ex *Hebræo*, juxta versionem *Vatabli*, & ex parte etiam *Pagnini*, sic se habet: *Quando redire fecit Dominus captivitatem Sion, fuimus VELUTI SOMNIANTES. Tunc repletum est risû os nostrum, & lingua nostra laude; Tunc dixerunt inter Gentes; Res maximas egit Dominus cum istis. Res maximas egit Dominus nobiscum;* unde *fuimus lætantes. Redire fac Domine captivitatem nostram, sicut torrentes in austro.* (Ubi nimirum jam aliqui eximii fideles, veluti *somnia* sancta suis in meditationibus, quas super admirandis Dei circa se operibus habebunt, *somniantes*, & stupentes, incipient se se & alios quosdam noscere, tanquam

(y) *ex fonte Israëlis* ortos, tunc eò ardentiùs orabunt ad Dominum Deum, ut totam suam *captivitatem*, per tot animorum dissidia, ac diversa peccata & errata, perque innumeras alias adversitates laqueis Diaboli velut in *Babylone* constrictam & detentam, in dies magis ac magis ad se reducat; inprimis eos qui jam latent in *Christianismo*, quantocyùs per eorum excitationem & sanctificationem manifestet. Quia nempe *gelaveramus in captivitate*, (ut S. *Augustinus* (z) loquitur) *constringebant nos peccata nostra*: ergo misericorditer ille in nobis efficiat, ut possimus verè dicere: *Flavit* in nos *Auster Spiritus Sanctus*; (ut sunt verba (a) citati S. Patris;) *dimissa sunt nobis peccata*; *soluti sumus à frigore iniquitatis*: *tanquam glacies in sereno*, (austri flatû,) *sic solvuntur peccata nostra. Curramus ad patriam, quasi torrentes in Austro.*) Sequitur deinde apud Psalmistam: *Qui seminaverunt* (vel *seminant*) *cum lacrymis*, (scil. Dei verbum cum exemplo bonorum operum, ingemiscentes super tot ruinis Populi Christiani,) *cum exultatione metent. Eundo ibit, & flendo, qui portat pretiosum semen; & veniendo veniet cum exultatione, reportans manipulos suos.* Amen.

Psalm. 129. (al. 130.) v. 7. 8.

Speret ISRAEL in Domino; quia apud Dominum (est) *misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus.*

(b) *Veni Domine Jesu!*

(c) *GLORIA DEO IN SECULA SECULORUM.*

(y) *Phrasis sæpe citata ex Psal.* 67. (*al.* 68.) *v.* 27. (z) *Enarrat. in Psal.* 125. (a) *Ibid.* (b) *Apoc.* 22. *v.* 20. (c) *Hebr.* 13. *v.* 21.

IN-

INDEX

Rerum & Nominum *in hoc Libro memorabilium.*

A.

Con-

De

Israë-

Ossium

W. V. U. & X.

ERRA-

ERRATA CORRIGENDA.

Primùm etiam Lector Hebraica quædam (ob mutationem *Vau* & *Daleth*,) sic corrigat:

Pag. 31. lin. 2. vocem prim. *legat*, ומטילמאם
Ibid. lin. 3. vocem 2.dam *leg.* ואומרים
Ibid. lin. 4. vocem prim. *leg.* ראובן
Ibid. & lin. 4. vocem 2.dam *leg.* וגד
Ibid. &ead. lin. vocem tert. *leg.* וחצי

Reliqua sic corrigenda.

Pag.	*Lin.*	*Errata.*		*Correcta.*
44.	21.	in imo	*leg.*	in uno
65.	15.& 16.	menium	*leg.*	medium
71.	6.	ipsis	*leg.*	& ipsis
94.	26.& 27.	vete-teres	*leg.*	veteres
176.	14.	resp.	*leg.*	respondeo,
201.	15.	post victoriam	*leg.*	post victoriam ipsorum
240.	11.	adhuc	*dele.*	
272.	6.	byssyno,	*leg.*	byssino,
273.	5.	*diademade*	leg.	*diademate*
276.	23.	prmitùs	*leg.*	primitùs
286.	24.	*sna*	leg.	*sua*
302.	13.	(z)	leg.	(x)
400.	12.	*eis*:	leg.	*es*:
454.	1. in marg.	97. *& seq.*	leg.	97.102. *& seq.*
Ibid.	2. in marg.	496. *& seq.*	leg	396.429. *& seq.*

Cætera minora, ubi vel literæ subsident, vel aliud parvi momenti sphalma occurrit, facilè Lector ex se ipso corriget; uti etiam dum in numeris; post pag. 78. non 81. sed 79. debet haberi.

Paucula per *Additionem* illustranda.

Pag. 150. lin. 11. post voces, *venturi Spiritûs*; *adde*: exceptô, quòd major jam hîc plenitudo *Spiritûs*, quàm illic promittitur.

Pag. 468. lin. 18. post *vocem*, potestate, *adde*, *& totum sic lege*: locô pœnæ occultô Dei judiciô, & nonnunquam non sine quadam *&c.* (*uti sequitur in textu.*)

FINIS.